BIBLIOTECA

.....

BIBLIOTECA
Manoscritti
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 145

BIBLIOTECA
Montefusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE III O
NUMERO 145

3613

CLYPEUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

CONTRA VETERES ET NOVOS
ejus Impugnatores,

AUTHORE R. P. F.

JACOBO CASIMIRO GUERINOIS, Cenomanensi, Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Tholosanæ, Strictioris Observantiæ, in Burdigalensi Academia Regio Antecessore.

In hoc opere veterum Philosophorum Dogmata, adversus Cartesii aliorumque modernorum inventa, stabiliuntur.

TOMUS TERTIUS

Primam PHYSICÆ Partem complectens.

VENETIIS,
Ex TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis

OTECA O. F. M. CAP.
MONTEPUSCO
(Av)

INDEX
TOMI TERTII.

PHILOSOPHIÆ PARS SECUNDA.
PHYSICA. PROOEMIUM. pag. 13
QUAESTIO *Proœmialis. De natura* PHYSICAE. 14
ARTIC. Unicus, *Quæ ad Physicæ naturam pertinent, breviter explicantur.* *ibid.*
§. Unicus, *Objectiones solvuntur.* 16

PHYSICÆ PARS PRIMA.
De ente mobili in communi. 20
QUAESTIO I. *De principiis entis mobilis.* *ibid.*
ARTIC. I. *De principiis in communi; quo pacto sint definienda; & an sint prima contraria?* 21
ARTIC. II. *Quæ & quot sint principia entis mobilis secundùm antiquos.* 23
§. I. *Opiniones eorum, qui unum rerum naturalium posuere principium, referuntur.* *ibid.*
§. II. *Eorum placita, qui multa rerum naturalium principia statuerunt, recensentur.* 24
§. III. *Confutatur specialiter Atomistarum opinio* 27
§. IV. *Refellitur amplius Atomistarum sententia.* 30
§. V. *Cartesii sententia de rerum naturalium principiis explanatur.* 31
§. VI. *Doctrina Cartesii oppugnatur.* 34
§. VII. *Tres aliæ Adversariorum responsiones refelluntur.* 38
§. VIII. *Alio argumento convellitur eadem Cartesianorum sententia.* 41
§. IX. *Duæ aliæ responsiones confutantur.* pag. 44

INDEX

ARTIC. III. *Quæ sint apud Peripateticos primæ principia mobilis entis?* 46
QUAESTIO II. *De materia prima.* 52
ARTIC. I. *Vtrum materia prima actum habeat entitativum?* 56
§. I. *Quædam prænotantur.* *ibid.*
§. II. *Statuitur conclusio, & authoritate ac ratione probatur.* 58
§. III. *Satisfit adversariorum objectis.* 60
§. IV. *Quo pacto materia prima ex se actum* METAPHYSICUM *non habeat, declaratur.* 64
ARTICULUS II. *Vtrum materia prima sibi propriam vendicet existentiam?* 70
§. I. *Quædam prænotantur, & relatis sententiis, vera eligitur, & authoritate D. Thomæ firmatur.* *ibid.*
§. II. *Eadem conclusio ratione probatur.* 73
§. III. *Præcipuæ adversariorum objectiones solvuntur.* 75
§. IV. *Aliæ objectiones diluuntur.* 79
ARTIC. III. *Vtrum materia prima absque omni forma divinitùs existere queat?* 81
§. I. *Quædam prænotantur, & sententiæ referuntur.* *ibid.*
§. II. *Conclusio stabilitur.* 83
§. III. *Argumenta adversariorum dissolvuntur.* 85
§. IV. *Fit satis aliis argumentis.* 88
ARTIC. IV. *De appetitu materiæ primæ, ejusque ingenerabilitate & incorruptibilitate.* 90
§. I. *Quonam modo materia prima formas substantiales appetat?* *ibid.*
§. II. *Quædam objectiones solvuntur.* 91
§. III. *An materia prima ingenerabilis sit & incorruptibilis?* 94
QUAEST. III. *De forma substantiali.* 97
ARTIC. Primus, *An, & quid sit forma substantialis?* 98
§. I. *Sententiæ referuntur.* *ibid.*
§. II. *Sententia Epicuri & Gassendi confutatur.* 99

§. III.

§. III. *Refellitur Carteſii ſententia.* 102
§. IV. *Peripateticorum ſententia explanatur.* 105
§. V. *Satisfit adverſariorum objectis.* 107
§. VI. *Aliæ objectiones diluuntur.* 113
§. VII. *Aliæ objectiones diſſolvuntur.* 120
ARTIC. II. *Quæ formæ ſubſtantiales è materiæ potentia educantur?* 125
§. I. *Quædam prænotantur.* *ibid.*
§. II. *Quid de formarum ſubſtantialium mixtorum corporum productione ſit ſentiendum?* 127
§. III. *Quonam modo anima rationalis producatur?* 130
§. IV. *Qua actione productæ fuerint Cælorum & Elementorum formæ?* 134
§. V. *Præcipuæ contra hanc concluſionem objectiones ſolvuntur.* 136
ARTIC. Tertius, *An formæ accidentales de potentia ſubjecti educantur?* 143
ARTICUL. Quartus, *Quo pacto materia, forma, & privatio, in ratione principii conveniant?* 147
QUAEST. Quarta, *De compoſito naturali.* pag. 151
ARTIC. I. *An materia, & forma, ſint partes entis naturalis intrinſecæ & eſſentiales?* *ibid.*
§. I. *Sententiæ referuntur, & vera eligitur, ac probatur.* *ibid.*
§. II. *Præcipuæ objectiones ſolvuntur.* 153
ARTIC. II. *Qua ratione materia prima, & ſubſtantialis forma, uniantur?* 159
§. I. *Difficultatis ſtatus ſenſuſque explanatur, & vera ſententia ſtabilitur.* *ibid.*
§. II. *Satisfit adverſariorum objectis.* 162
§. III. *Aliæ objectiones ſolvuntur.* 166
ARTIC. Tertius, *An compoſitum, vel totum naturale, realiter à partibus diſtinguatur?* 170
§. I. *Quædam ut certa ſupponuntur, & vera ſententia explanatur ac probatur.* *ibid.*

§. II. *Objectiones contra primam conclusionem dilu-untur.* 174
QUAEST. V. *De natura, violentia, & arte.* 185
ARTIC. Primus, *Quid, & quotuplex sit natura? ibid.*
§. I. *Quid sit natura?* *ibid.*
§. II. *Quotuplex sit natura?* 188
§. III. *An naturæ ratio propriè conveniat animæ rationali, ac formæ totali; & quo pacto materia & forma in ratione communi naturæ consentiant?* 191
ARTIC. II. *De violentia, & causis violentiam inferentibus.* 199
ARTIC. III. *De arte.* 202
§. I. *Possit-ne ars naturæ opera efficere? ibid.*
§. II. *An chimicæ artis industria verum fiat aurum?* 207
QUAESTIO Sexta, *De causis in communi.* 212
ARTIC. Unicus, *Quæ de causis in communi dici solent, breviter explanantur.* *ibid.*
§. I. *Quid & quotuplex sit causa?* *ibid.*
§. II. *Quid de prioritate ac nobilitate causarum, per comparationem ad effectus, sit dicendum?* 216
QUAEST. VII. *De causa materiali, & causa formali.* 221
ARTIC. Unicus, *Quæ ad causam materialem, & causam formalem, pertinent, breviter explicantur.* 222
§. I. *Qua ratione causent materia, & forma, & qui sint earum effectus?* *ibid.*
§. II. *Quid de causa formali extrinseca, seu exemplari, sit sentiendum?* 224
QUAEST. VIII. *De causa efficiente.* 229
ARTIC. I. *Quid & quotuplex sit efficiens causa, & quo agat principio?* *ibid.*
§. I. *Quid & quotuplex sit causa effectrix?* *ibid.*

§. II.

§. II. *An vis effectiva substantiis corporeis verè proprièque conveniat?* 233
§. III. *Quo principio agat corporea quæque substantia?* 238
§. IV. *An substantia creata sit immediatè operativa?* 241
§. V. *Præcipuæ Scotistarum objectiones solvuntur.* 245
ARTIC. II. *Quid sit de causalitate efficientis causæ dicendum?* 251
§. I. *Quæ sit causæ efficientis causalitas?* ibid.
§. II. *Num actio in creatis realiter ab agente, patiente, & termino, discriminetur?* 252
§. III. *Satisfit Adversariorum objectis.* 256
ARTIC. III. *De concursu simultaneo.* 263
§. I. *Dari concursum Dei simultaneum probatur, & demonstratur.* ibid.
§. II. *Præcipuæ Durandi objectiones diluuntur.* 266
ARTICUL. IV. *De præmotione seu prædeterminatione physica.* 270
§. I. *Quid sit præmotio seu prædeterminatio physica; qui sint qui eam tueantur, & à quibus rejiciatur?* ibid.
§. II. *Probatur* 1. *Authoritate Scripturæ sacræ.* 272
§. III. *Prob.* 2. *Authoritate Concilii Tridentini.* 274
§. IV. *Prob.* 3. *Authoritate Catechismi ex decreto Concilii Tridentini, & Beati Pii V. Pont. Max. jussu editi.* 276
§. V. *Prob.* 4. *Authoritate D. Augustini.* 279
§. VI. *Prob.* 5. *Authoritate D. Thomæ.* 280
§. VII. *Prob.* 6. *Authoritate Aristotelis.* 284
§. VIII. *Prob.* 7. *Ratione generali.* 285
§. IX. *Prob.* 8. *Alia ratione generali.* 287
§. X. *Prob.* 9. *Alia etiam ratione generali.* 289
§. XI. *Prob.* 10. *Ratione speciali pro causis contingentibus & liberis.* 290

BIBLIOTECA C. MONTE

§. XII. *Satisfit Adversariorum objectis ex Scripturæ Sacræ & sanctorum Patrum authoritate sumptis.* 294
§. XIII. *Exponuntur plura D. Thomæ testimonia.* 302
§. XIV. *Objectiones contra physicæ prædeterminationis necessitatem & quidditatem diluuntur.* 321
§. XV. *Solvuntur objectiones contra concordiam physicæ præmotionis cum libertate creata.* 327
ARTIC. V. *Quonam modo actus peccati sit à Deo?* 356
§. I. *Difficultas explanatur, & quæ sit verior sententiæ, declaratur.* *ibid.*
§. II. *Satisfit Adversariorum objectis ex authoritate petitis:* 360
§. III. *Objectiones ex ratione depromptæ diluuntur.* 372
ARTIC. VI. *An debeat instrumentum à principali causa moveri?* 391
§. I. *Sententiæ referuntur, veraque sententia eligitur.* *ibid.*
§. II. *Præcipuæ adversariorum objectiones solvuntur.* 399
ARTIC. VII. *An instrumentum debeat habere propriam virtutem activam, propriamque actionem prævíam & dispositivam ad actionem principalis agentis?* 409
§. I. *Difficultas explanatur, sententiæ referuntur, veraque eligitur ac probatur.* *ibid.*
§. II. *Satisfit adversariorum objectis.* 411
ARTIC. VIII. *De fortuna, casu, & fato.* 423
§. I. *De fortuna, & casu.* *ibid.*
§. II. *De fato.* 426
QUAESTIO IX. *De causa finali.* 427
ARTIC. I. *Quid, & quotuplex sit finis?* 428
§. I. *Definitur finis, eumque esse causam veram physicamque, probatur.* *ibid.*

§. II.

§. II. *Quotuplex sit finis?* 431
ARTIC. Secundus, *Per quid finis in actu primo constituatur?* 434
§. I. *Explanatur tituli sensus, sententiæ referuntur, vera eligitur, & authoritate firmata, ratione demonstratur.* *ibid.*
§. II. *Objectiones diluuntur.* 438
§. III. *An ratio finalizandi, sive ratio constituens finem in actu primo ad finalizandum, sit bonitas finis secundùm esse reale, vel secundùm esse intentionale aut apprehensum?* 445
§. IV. *Satisfit adversariorum objectis.* 450
ARTICULUS III. *Quæ sit causalitas finis?* 456
§. I. *Sententiæ referuntur, vera eligitur, explanatur, & probatur.* *ibid.*
§. II. *Præcipuæ objectiones solvuntur.* 462
ARTICULUS IV. *Quænam agant propter finem?* 470
§. I. *Quædam prænotantur.* *ibid.*
§. II. *Agentia purè naturalia, id est, omni cognitione destituta, non agunt temerè, sed propter finem, ex motione & directione Dei ut generalis provisoris.* 472
§. III. *Bruta animantia propter finem operantur; non solùm ex innata inclinatione, sicut agentia purè naturalia; verùm etiam ex aliqua apprehensione seu cognitione finis.* 474
§. IV. *Bruta omni prorsus ratione carent.* 476
§. V. *Bruta non agunt propter finem formaliter, sed materialiter tantùm.* 485
ARTIC. V. *De monstris, & eorum causis.* pag. 494
QUAEST. X. *De comparatione causarum inter se.* 499
ARTIC. I. *Virum una causa sit prior nobiliorque altera?* 500
ARTIC. II. *Possint-ne plures causæ totales ejusdem ordinis & generis, simul producere eumdem numero effectum?* 506

INDEX

§. I. *Difficultas explanatur, sententiæ referuntur, & vera eligitur ac probatur.* *ibid.*
§. II. *Objectiones diluuntur.* 513
ARTIC. III. *Possint-ne plures causæ totales ejusdem generis & ordinis divisim producere eumdem numero effectum?* 518
§. Primus, *Exponitur difficultas, referuntur sententiæ, & vera eligitur ac probatur.* *ibid.*
§. Secundus, *Satisfit adversariorum objectis.* 523
QUAEST. XI. *De motu.* 531
ARTIC. I. *Quid sit motus, & quonam modo ab actione, & termino, atque passione, distinguatur?* *ibid.*
ARTIC. II. *Quodnam sit motus & actionis subjectum?* 537
§. I. *In quo subjectetur motus?* *ibid.*
§. II. *Variæ de subjecto actionis transeuntis, sententiæ referuntur, & quæ vera sit atque eligenda, declaratur.* 539
§. Tertius, *Satisfit adversariorum objectis.* 546
ARTIC. III. *Quis sit, vel esse possit terminus motus?* 556
ARTIC. IV. *De unitate, & distinctione, tum specifica, tum numerica, motus, & de ejus contrarietate.* 563
§. I. *De unitate & distinctione specifica motus.* *ibid.*
§. II. *De unitate & distinctione numerica motus.* 566
§. III. *De contrarietate motus.* 569
ARTIC. IV. *Quædam circa motum localem curiosè quæruntur.* 572
QUAESTIO XII. *De tempore.* 576
ARTIC. I. *Quid, & quotuplex sit duratio, & quomodo à re existente atque durante distinguatur?* 577
ARTIC. II. *Qua ratione existat tempus?* 584

§. I.

§. I. *Quædam prænotantur, sententiæ referuntur, & vera eligitur, ac probatur.* *ibid.*
§. II. *Satisfit præcipuis adversariorum argumentis.* 588
QUAESTIO XIII. *De continuo.* 597
ARTIC. I. *Vtrum continuum constet solis indivisibilibus, vel paribus semper divisibilibus?* *ibid.*
§. I. *Quædam prænotantur, sententiæ referuntur, vera eligitur, ac probatur.* *ibid.*
§. Secundus, *Satisfit adversariorum argumentis.* 605
ARTIC. II. *An indivisibilia tam copulantia, quàm terminantia, sint in continuo verè realiterque ponenda?* 622
§. I. *Quibusdam præmissis, relatisque sententiis, veritas explanatur.* *ibid.*
§. II. *Præcipuæ adversariorum objectiones solvuntur.* 632
ARTIC. III. *Quonam modo res incipiant, vel desinant?* 643
QUAESTIO XIV. *De infinito.* 647
ARTIC. I. *An naturaliter dari possit infinitum?* *ibid.*
ARTIC. II. *An infinitum actu secundùm essentiam ex Dei extraordinaria & absoluta potentia dari possit?* 653
ARTIC. Tertius, *Vtrum ex absoluta Dei potentia, magnitudo actu infinita dari possit?* 662
ARTICULUS Quartus, *Vtrum ex Dei absoluta potentia, multitudo actu infinita dari possit?* 671
ARTIC. Quintus, *Vtrum ex Dei absoluta potentia, qualitas actu infinitè intensa dari possit?* 683
ARTIC. Sextus, *Vtrum quælibet res naturalis suum, habeat maximum, & minimum quod sic?* 690
QUAESTIO XV. *De conditionibus ad* mo-

motum necessariis. 695
ARTIC. I. *Virum omne quod movetur, ab alio moveatur?* ibid.
ARTIC. II. *Virum movens & mobile debeant esse simul?* 703

Finis Indicis I. Partis Physicæ.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ

PARS SECUNDA.

PHYSICA.

PROOEMIVM.

TRadita & explanata Logica, ad eam Philosophiæ partem venimus, quæ Physica *seu naturalis dici solet, eo quòd de universa rerum natura disserat. Illam verò veteres Philosophi præter cæteras coluere, quòd omnium artium quasi parens & altrix videatur: sed in tot abiere sectas, ut in tanta opinionum varietate, quam potissimùm viam sequamur, vix nobis liqueat. Aristotelem tamen & D. Thomam præ cæteris sequi nobis in animo est; eos namque Academiæ penè omnes, velut Duces & Philosophiæ Principes, selegerunt. Et meritò; nam si cum reliquis Philosophis comparentur, illos ingenii acumine, rationum pondere, rerum varietate, ac tractandarum ordine, longè superant. Nova quoque Recentiorum inventa referemus; & quæ vera docuere, amplexabimur; quæ autem ut plurimùm falsa censuere, refellemus.*

QUÆ-

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

De Natura Physicæ.

QUod primò in re unaquaque concipiendum & cognoscendum occurrit, natura ejus est. Nobis igitur de Physica acturis, & ejus conceptum atque notitiam traditurus, de illius natura in primis est dicendum.

Articulus Unicus.

Quæ ad Physicæ naturam pertinent, breviter explicantur.

CIrca objectum Physicæ Philosophi dividuntur. Congruentiùs tamen dicitur, ens mobile esse objectum formale & adæquatum Physicæ. Et quidem convenientiùs asseritur, esse ens mobile, quàm ens naturale, vel corpus naturale, aut substantiam naturalem: quia, ut ex ipsis terminis patet, ens mobile clariùs exprimit principium radicale motus, quàm illud significet ens vel corpus naturale, aut substantia naturalis: cùm igitur Physica potissimùm consideret radicale motus principium, ut in confesso est apud omnes; objectum formale adæquatum Physicæ, eò clariùs explicet principium radicale motus necesse est, quò fieri potest.

Præterea aptiùs affirmatur, objectum formale adæquatum Physicæ esse ens mobile, quàm corpus mobile, vel substantiam mobilem. Quia, ut arguit D. Thomas, sicut notius est, aliquid esse animal, quàm esse hominem, quoniam animal est homine universalius; sic etiam & notius est, mobile esse ens, quàm corpus vel substantiam, eadem

de

de causa, quia nimirum ens quoque, corpore substantiaque universalius est; objectum autem formale adæquatum Physicæ debet esse nobis notissimum, cùm Physica præsertim, inter alias scientias, familiariter utamur.

Itaque ens mobile esse objectum formale adæquatum Physicæ, convenientissimè asseritur. Etenim juxta Philosophos, objectum formale adæquatum alicujus scientiæ illud est, de quo in ea potissimè agitur, & ad quod omnia alia reducuntur, de quibus in ipsa disseritur: atqui in Physica, de ente mobili, in quo nempè est principium radicale motus, maximè disputatur; & alia omnia, de quibus in Physica sermo habetur, ad ens mobile, vel tanquam species, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates, vel tanquam accidentia connaturalia, revocantur; ut in continuatione Physicæ patebit: ergo &c.

Physicam autem esse propriè scientiam, docet Aristoteles 3. Physic. c. 4. quem sequuntur omnes ejus Discipuli, contra Heraclitum, Socratem, Cratylum, & alios veteres Philosophos. Ratio autem hujus veritatis est, quia scientia propriè dicta est habitus per demonstrationem comparatus: atqui Physica est ejusmodi: ergo &c. Min. patebit ex infrà dicendis; nam ut in singulis quæstionibus articulisque constabit, innumeræ fiunt in Physica demonstrationes, quibus ipsa comparatur.

Demùm, Physicam esse totam speculativam docent omnes Peripatetici, cum Arist. 6. Metaph. cap. 1. Idque ratio probat: scientia enim speculativa ea est, apud omnes verè Philosophos, quæ in sola objecti sui contemplatione sistit: atqui Physica tota in sola objecti sui contemplatione sistit; neque enim dum circa Cœlos, vel elementa occupatur, ad eorum praxim seu productionem tendit, sed in sola eorum cognitione quiescit: ergo &c.

§. UNI-

§. UNICUS.

Objectiones solvuntur.

OBj. 1. objectum formale adæquatum Physicæ congruentiùs termino physico, quàm metaphysico, designatur; ut liquet satis: atqui *corpus* est terminus physicus, ut infrà patebit; *ens* verò terminus est metaphysicus, de quo in Metaphysica maximè disseritur: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo 2. p. min. *Ens verò terminus est metaphysicus*: si seorsim accipiatur, concedo: si simul cum *mobili*, aut *mobilitate*, conjungatur, nego. Quamvis igitur *ens* seorsum & in universali usurpatum, sit terminus metaphysicus, de quo in Metaphysica disputatur; non tamen si sumatur, prout per mobilitatem contractum est, & *ens mobile* dicitur; sub ista enim ratione, terminus est physicus, de quo primariò agit Physica.

Obji. 2. illud est formale & primarium Physicæ objectum, quod primariò aut ratione sui est mobile: atqui corpus primariò vel ratione sui est mobile; ens verò solùm secundariò, & ratione corporis; ideò namque ens movetur, quia movetur corpus: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo similiter 2. p. min. *ens verò solùm secundariò, & ratione corporis, est mobile*: si *ens* seorsim & in universali spectetur, concedo: si simul cum mobilitate jungatur, & accipiatur pro composito, quod *ens mobile* nominatur, nego. Unde tametsi *ens* seorsim & in universali spectatum, secundariò solùm & ratione corporis moveatur; in quo sensu verum est, ideò ens moveri, quia corpus movetur: attamen ens cum mobilitate conjunctum, sive ens mobile, primariò & ratione sui moveri, verè proprièque asseritur.

Objic. 3. in assignandis scientiarum objectis, congruentiùs affertur genus proximum, quàm remo-

motum : atqui *corpus* est proximum rerum physicarum genus, *ens* verò genus est remotum: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. in assignandis scientiarum objectis, congruentiùs affertur genus proximum, quàm remotum : quando genus proximum notius est remoto, concedo : quando è contrà genus remotum notius est, imò notissimum, nego; præsertim cùm assignatur objectum scientiæ nobis familiarissimæ, qualis est Physica : quamvis autem *corpus* sit proximum rerum physicarum genus, *ens* verò sit earum genus remotum; attamen *ens* simpliciter notius est corpore, imò notissimum est nobis; ut ex dictis patet.

Objic. 4. non tantùm principium motus, sed etiam principium quietis pertinet ad objectum formale adæquatum Physicæ : ergo cùm ens mobile, solum motus principium exprimat, non est objectum formale adæquatum Physicæ.

Respondeo concesso ant. negando conseq. cùm enim motus ad quietem, velut ad terminum, tendat; dum ens mobile principium est motus, per modum viæ, etiam principium est quietis, per modum termini.

Obj. 5. objectũ formale alicujus scientiæ non debet alteri convenire: atqui ens mobile alteri scientiæ à Physica distinctę cõpetit; v. g. medendi scientię, quę cõsiderat ens ad sanitatẽ mobile: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui ens per artem mobile, alteri scientiæ à Physica distinctæ competit, concedo; quo pacto medendi scientia considerat ens per artem ad sanitatem mobile : atqui ens per naturam mobile, alteri scientiæ à Physica *distinctæ* competit, nego: non asserimus autem, objectum formale adæquatum Physicę esse ens per artem, sed per naturã, mobile.

Objic. 6. *De mutabilibus propriè dicta non datur scientia* ; ut habet commune Philosophorum axioma : atqui de mutabilibus agit Physica; nimirum de corporibus naturalibus, quæ variis mutationibus obnoxia sunt; imò & ipsa differit de

ente

ente mobili, quod utique mutabile est: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. de mutabilibus propriè dicta non datur scientia: si sub ea ratione spectetur, sub qua mutabilia sunt; si nempè quantùm ad existentiam sumantur, concedo: si sub ea ratione considerentur, sub qua immutabilia sunt; nempè, quoad essentiam, aut necessariam prædicatorum essentialem inter se, & cum proprietatibus, connexionem, nego. Etsi autem corpora naturalia & mobilia, de quibus agit Physica, sint quoad existentiam mutationi obnoxia; non tamen quoad essentiam, aut necessariam prædicatorum essentialium inter se, & cum proprietatibus, connexionem.

Objic. 7. est quoque Philosophorum effatum, *De singularibus non dari scientiam*: ergo cùm Physica de singularibus, v. g. de Cœlis, Sole, Luna, &c. differat, ipsa non est scientia.

Respondeo distinguendo ant. est Philosophorum effatum, *De singularibus non dari scientiam*: quando singularia peculiares non constituunt species, nec speciales sibi vendicant proprietates, de ipsis demonstrabiles, concedo: quando peculiares constituunt species, & speciales sibi vendicant proprietates, de se demonstrabiles, ut sunt Cœli, Sol, Luna, & hujusmodi, de quibus agit Physica, nego.

Objic. 8. Physica inservit medicis ad curationem morborum; ut quotidiana docet experientia: ergo ad praxim (qualis est morborum curatio) tendit, proindèque practica est.

Respondeo distinguendo ant. Physica inservit medicis &c. ex usu medicorum, concedo; cùm etenim Physica scientiæ medendi explicet ac probet principia, commodè medici ad curandos morbos illa utuntur: Physica inservit medicis &c. ex proprio fine; ita ut morborum curatio sit finis, ad quem per se tendat Physica, nego; ut autem scientia propriè practica dici posset, deberet ex proprio fine ad paxim tendere.

Quan-

Quantùm verò ad Physicæ partitionem; æquum est, ut eam Philosophi sequantur, quam tenuit omnium Philosophorum Princeps, nimirum Arist. Totum igitur Physicæ corpus quatuor in partes dividemus. In prima de ente mobili in communi dicetur; ubi octo libri *De Physica auscultatione* erunt explanandi. In secunda, de ente mobili motu locali differetur; ubi de Cœlo & Mundo erit sermo. In tertia, de ente mobili motu generationis & corruptionis disputabitur. Quarta demùm sermonem de ente mobili motu vitali, seu de vivente, aut de anima, quæ est radicale principium vitæ, complectetur. In his quatuor partibus exponentur, non tantùm quæ de rebus naturalibus aut mobilibus olim tradita fuere; sed etiam plura, quæ nunc experimento comperta sunt.

PHY-

PHYSICÆ

PARS PRIMA.

De Ente Mobili in Communi.

QUÆSTIO PRIMA.

De Principiis Entis Mobilis.

MOnet Philosophus 1. Physic. cap. 1. Text. 1. ut si de re habente principia acturi simus, priùs de principiis ejus disseramus. Quonam pacto enim fieri potest, ut absolutam perfectamque rei notitiam assequamur, nisi principia, ex quibus constat, vel à quibus proficiscitur, in primis noverimus? Cùm igitur ens mobile propriè sibi vendicet principia, ex quibus coalescit, & à quibus ortum ducit, de illis primò incumbit agendum.

Articulus Primus.

De Principiis in communi, quo pacto sint definienda, & an sint prima contraria?

PRincipium, si propriè sumatur, patet latiùs, quàm causa. Quia ad rationem principii sat est, si ex eo aliquid sit, fiat, aut cognoscatur. Ut verò causa dicatur, opus est, ut effectus ab ea esse accipiat, ab ipsaque dependeat. Unde locus, à quo quisque progreditur, principium est viæ, non tamen causa. Hanc doctrinam Philosophus 5. Metaphys. cap. 1. tradit.

Principia autem rerum naturalium his aut similibus verbis definit hìc cap. 5. ipse Philosophorum Coriphæus: *Principia sunt, quæ nec ex se se, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt.* In qua definitione tres principiorum conditiones exprimuntur. Prima est, ut prima rerum naturalium principia non sint ex se se mutuò, quia sunt prima contraria, ut infrà clarebit: inter prima autem contraria; ut inter frigidum & calidum, humidum & siccum, unum non fit ex altero. Secunda conditio est, ut naturalium rerum prima principia non sint ex aliis, quia si fierent ex aliis prioribus principiis, non essent prima principia, nec principii sed principiati rationem haberent. Tertia tandem conditio est, ut ex illis omnia entia naturalia fiant; unumquodque enim ex suo principio fieri debet. Sanè verò particula, *ex*, discrimen ponit inter prima entium naturalium principia, & inter causas externas, quæ sunt efficiens, finis, & exemplar. Neque etenim ex his, si propriè ac philosophicè loquamur, res ulla fit; sed efficiens est id à quo, finis id propter quod, & exemplar id ad cujus imitationem res efficitur: at prima rerum naturalium principia sunt, ex quibus omnia entia naturalia constant, aut fiunt, vel oriuntur.

Dices: forma equi fit ex materia, siquidem de illius

illius potentia educitur; ut infrà dicetur : fit item ex ſui privatione, cùm generatio equi ſit progreſſio à privatione formæ equi ad formam equi : ergo cùm forma equi inter prima equi principia numeretur, nihil impedit, ne prima principia ex aliis fiant.

Reſpondeo diſtinguendo ant. concedo namque formam equi fieri ut quo & impropriè ex materia, & ſui privatione; id eſt tanquam id quo equus conſtituitur : ſed nego, eam fieri ut quod, videlicet tanquam ſuppoſitum, quod ſolùm propriè fit & exiſtit. Quando autem in definitione allata docet Ariſtoteles, prima rerum naturalium principia non fieri ex aliis; hoc venit intelligendum ut quod & propriè, non verò ut quo & impropriè.

Eodem capite textu 42. aſſerit probatque Ariſtoteles, prima rerum naturalium principia eſſe prima contraria. Hoc autem in primis de contrarietate ſtricta intelligendum non eſt; cùm ex communi Philoſophorum conſenſu, ſtricta contrarietas inter primas qualitates duntaxat, nempe inter calorem & frigus, ſiccitatem & humorem, inveniatur. Dicuntur ergo principia rerum naturalium contraria contrarietate lata, hoc eſt privativè oppoſita. Neque etiam omnia entium naturalium principia privativè opponuntur, ſed duo tantùm, nimirum forma ſubſtantialis, & ejus privatio; tertium verò principium, quod materia prima nominatur, aliis duobus privativè non opponitur, ſed eſt commune eorum ſubjectum, quod ipſis ſucceſſivè ſubeſt. Dicuntur autem principia rerum naturalium, prima contraria, quia ex aliis prioribus contrariis non fiunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ & quot sint principia entis mobilis secundùm antiquos?

§. I.

Opiniones eorum, qui unum rerum naturalium posuere principium, referuntur.

MIrum est planè, quanta fuerit de rerum naturalium principiis apud veteres Philosophos dissensio; ut videre licet apud Aristotelem cap. 2. hujus lib. & in 1. Metaph. à ca. 3. aliisque in locis. Erit autem operæ pretium, ejusmodi placita breviter comprehensa sub uno aspectu ponere.

Hesiodus non solùm Poeta, sed & Philosophus, inter antiquos nobilis, terram è Chao primùm natam fuisse, atque omnium rerum materialium principium esse pronuntiavit; & ex vulgi opinione censuit, terram esse Cœli conjugem, atque omnium entium naturalium communem matrem. Idem sensisse Pherecidem, scripsit Theodoretus in lib. de materia & mundo.

Thales Milesius Jonicæ familiæ parens, unus è septem Græciæ sapientibus, & eorum antiquissimus, docuit, principium rerum omnium naturalium esse aquam, ex qua modò addensata, modò in raritatem abeunte, universa constarent. Cum Thalete idem sensisse Anaximandrum, refert Aristoteles in lib. de Xenophane. Etsi alii aliam ei sententiam attribuant.

Anaximenes Jonicæ familiæ alumnus, ejusque auditor Diogenes Appolloniates, Idæus Imereus, & Archelaus Athenienſis, cognomento Physicus, Magister Socratis, aerem omnium rerum naturalium esse principium, dixere.

Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ignem rerum naturalium principium fecere, ni-

nimirum quòd inter omnia elementa, loco & dignitate emineat, quòd per omnia commeet, & quòd cætera illi in pabulum cedant.

Xenophanes Colophonius, Parmenides Eleates, itemque Parmenidis diſcipulus Meliſſus Samius, unicum adſtruxerunt rerum mobilium principium, nimirum ens, quod immobile ſtatuerunt, ingenerabile, & incorruptibile. In hoc tamen differebāt illi Philoſophi, quòd Xenophanes principiū illud infinitū eſſe ajebat, ſimiliterq; Meliſſus; Parmenides verò finitum; etſi alii aliud de eis prodiderint. Plura alia fuerunt hujuſmodi placita, quę in hoc libro acerbè inſectatus eſt Ariſtoteles.

Et meritò: nam ſi res unaquæque naturalis ex unico interno conſtaret principio; vel aliquid adderet uni illi principio, vel non? ſi adderet nihil, nulla eſſet inter principium & principiatum differentia; cùm principiatum ab interno principio non diſcriminetur, niſi per id, quod à principiato additur principio: ſi autem res naturalis unico interno conſtans principio adderet aliquid: ergo ſaltem ex duobus principiis res naturalis coaleſceret neceſſe eſſet; nempè ex principio ipſo, & ex eo quod illi additum eſſet: ſicut dum homo ad *animal* adjicit *rationale*, ex utroque, velut ex internis principiis, componitur: proindèque unicum non eſſet rerum naturalium principium, ſed ad minimum duo eſſent illarum principia.

§. II.

Eorum placita, qui multa rerum naturalium principia ſtatuerunt, recenſentur.

LEucippus Eleates, & Democritus Abderites ſive Mileſius, ſecuti Mochum Phœnicium, infinita fecere rerum naturalium principia; nempe infinitas atomos, ex quibus, & ex inani ſeu vacuo, mundum coaluiſſe aſſerebant. In eadem ferè ſententia fuit Epicurus, eamque ſequitur Poeta Lucretius in 1. & 2. Lib. ſui Poematis; cui ſen-

ſententiæ Anaxagoras Clazomenius etiam favit. Quam pariter penè exoleram noſtra ætate inſtauravit Petrus Gaſſendus. De illa quoque in ſequenti §. operoſiùs erit dicendum.

Plura, non tamen infinita, rerum naturalium principia alii poſuere, ex quibus Zareta Chaldæus lucem & tenebras, ſub patris & matris nomine; Hippus Reginus aquam & ignem; Oenopides Chius ignem & aerem; Onomacritus ignem, aquam, & aerem; Empedocles autem Agrigentinus præter illa tria, terram & chaos, vel ſphæram, aſſignarunt.

Sed hæ opiniones facili negotio refelluntur. In primis ergo dici non poteſt lucem & tenebras eſſe interna rerum naturalium principia: hæc enim principia in rebus naturalibus, quas componunt, uniri debent & conjungi; cùm autem lux & tenebræ mutuò inter ſe pugnent, jungi ſimul non poſſunt.

Quòd etiam quatuor elementa, ſcilicet, ignis, aer, aqua, & terra, prima rerum naturalium principia ineptè dicantur, facilè ſuadetur: neceſſe etenim eſt, ut res omnes naturales conſtent ex primis rerum naturalium principiis; & tamen Cœli, Sol, Luna, Stellæ, & hujuſmodi res naturales ex elementis non conſtant. Deinde primum principium ex alio fieri non debet; alioquin primum non eſſet, quia fieret ex priori; & nihilominùs experientia quotidiana compertum eſt, accendi ignem ex ſtupa, formari aquam ex aere, & aerem ex aqua generari.

Prætereà aſſerere chaos, vel ſphæram, eſſe rerum omnium naturalium principium, videtur apertè falſum; neque etenim ignis fit ex chao, vel ex ſphæra, dum ex ſtupa, vel ex ligno, generatur. Quod autem dicunt antiquiores Philoſophi, quos impugnamus, chaos eſſe rerum omnium initium, quòd ante omnes Deos, Deaſque natum ſit; fabula eſt, quæ ex ſeipſa ſola evaneſcit.

Pytagorei, ut erant Arithmeticæ ſtudioſi, totũ

numeris dedere: docuerunt ergo, numeros esse omnium rerum naturalium principia; sed immeritò: nam ex principiis rerum naturalium, totum seu compositum nascitur naturale; ex numeris autem totum oritur artificiale, utpote ex partibus artificialibus, nempè ex numeris ad artem vel scientiam, quæ Arithmetica est, pertinentibus, ab ipsaque ordinatis, coalescens. Ex eo tamen excusari possunt Pythagorei, quòd non qualescumque numeri, sed *par* & *impar*, erant apud illos rerum naturalium principia; nomine paris, materiam intelligentes (siquidem numerus par in partes æquales divisibilis est, materia autem est divisibilitatis radix) & per numerum imparem, qui in partes æquales dividi non potest, formam substantialem designantes, eo quòd substantialis forma indivisibilem constituit essentiam; quod utique verum est, ut infrà clarebit.

Dixere autem Platonici, tria esse rerum naturalium principia; scilicet, unum, magnum, & parvum, juxta Aristotelem, 1. Phys. 4, & 1. Metaph. 6. vel secundùm Plutarchum, Mentem, Ideam, & Materiam. Quibus verbis, quid indicare voluerint, non planè constat; sunt tamen qui asserãt, Platonicos per verba relata, materiam intellexisse ac formam: si ita est, verum quidem dixerunt, sed obscuris vel etiam ineptis usi sunt verbis.

Stoici duo tantùm admittebant prima rerum omniũ naturalium principia, teste Seneca nobili Stoico epist. 66. videlicet agens & patiens. Sed agens & patiens extrinseca sunt rerum naturaliũ principia; sic v. gr. ignis agens, & lignum patiens, sunt igni genito prorsus extrinseca, Quærimus autem intrinseca rerum naturalium principia.

Chymici, qui & Alchimistæ, vel Hermetici, aut Spagirici, nuncupantur, quinque ponunt rerum naturalium prima principia; nimirum, Salem, Sulphur, Mercurium, Aquam, & Terram. Nomine *Salis* apud Chymicos intelligenda venit solida quædam sapidaque substantia. Nomen *Sulphuris*

sub-

ſubſtantiam indicat oleoſam, liquidam, inflammabilem, & odoroſam. Nomine *Mercurii* ſignificatur alia ſubſtantia ſubtilior, omnia penetrans, facilèque evaneſcens. Nomen *Aquæ* liquorem deſignat inſipidum, minimèque inflammabilem, quo potiſſimùm ſal diſolvitur. Denique nomen *Terræ* ſubſtantiam exprimit aridam atque pulveream, quæ avidè humorem ebibit. Aſſeruntque Chymici, hæc quinque beneficio ignis ex mixtis educi poſſe.

Sed hæc ſententia ex eo rejicienda cenſetur, quòd non aſſignat ſatis omnium rerum naturaliũ principia; quandoquidem cœli veræ ſunt res naturales, ſeu vera compoſita naturalia, & tamen ex Sale, Sulphure, Mercurio, Aqua, & Terra, non conſtant, ut clarum eſt; cùm hæc quinque in mixtis ſuprà & ſublunaribus compoſitis reperiantur: ſicut illa quinque non ſunt prima eorum principia. Tum etiam quia quinque præfatæ ſubſtantiæ, ut eas ex mixtis educentibus patet, ſunt compoſita quædam ſubſtantialia: compoſitum ſubſtantiale nequit dici primum principium, cùm ex prioribus componatur principiis.

§. III.

Refutatur ſpecialiter Atomiſtarum opinio.

Docuerat olim Epicurus, Atomos eſſe prima omnium rerum vel corporum naturalia principia. Hanc opinionem à multis ſæcuſtione deletam inſtaurare conatus eſt hiſce Petrus Gaſſendus, cui aſſentiuntur prioribus plures.

Hi autem vocant minutiſſimas partes, ex quibus quodque corpus componitur. Phyſicus eſſe illas Atomos volunt; non tamen indiviſibiles & impenetrabiles; variaſque diſtinguunt figuras: Rotundas, Acutas, Aduncas, Oblongas, in modum

tamen illas atomos esse mathematicè quantas divisibilesque, quatenùs diversas habent facies per intellectum designabiles: docentque illi authores, atomos esse puncta, non mathematica, sed physica; quia quamvis physicè indivisibiles sint illæ atomi, mathematicè tamen sunt divisibiles; quod contra puncti naturam est.

Cæterum in primis dicendum est, atomos illas ita explicatas, & à Gassendo, aliisque usurpatas, apertam implicare contradictionem; nam volunt hujus sententiæ defensores, præfatas atomos esse physicè extensas, indivisibiles tamen: atqui in hoc est implicantia manifesta: ergo &c. Maj. ex dictis, & ex fideliter relata adversariorum sententia patet. Prob. mi. sicut divisibilitas mathematica est extensionis mathematicæ proprietas, ex ipso adversariorum consensu; ita divisibilitas physica sit extensionis physicæ proprietas, necesse est; apertissimè ergo repugnat, atomos esse Physicè extensas, indivisibiles tamen.

Deinde, alia est implicantia in eadem sententia nempè quòd allatæ atomi physicè sint extensæ, non tamen physicè quantæ: nam apud adversarios, mathematica extensio est ipsa mathematica quantitas: ergo pariter physica extensio est physica quantitas; proindèquè si atomi Physicè sint extensæ, etiam physicè sunt quantæ.

Respondent Epicuri & Gassendi discipuli, atomos esse indivisibiles, quia inter earũ partes nullum est vacuum; putant namque, ideò majora corpora esse divisibilia, quia inter illorum partes aliquod dissleminatũ est vacuũ; vacuĩ igiturin corporibus, apud ipsos, divisibilitatis est radix, & è cõtrà vacui carẽtia est in eis indivisibilitatiscausa.

Sed contra hanc responsionem experientia clara est; nam dentur duo corpora solida, perfectè plana, & unum alteri admoveatur, inter illa nullum aderit vacuum; cùm, ut supponitur, ita sint se habitura, ut undequaque se tangant; alioquin perfectè

fectè plana non essent: inter illa ergo erit indivi-
sibilitatis causa, nempè vacui carentia, proin-
dèque unum ab alio dividi vel separari non pote-
rit; quod tamen experientia probat esse falsum.

Objicies primò cum aliquibus recentioribus:
dantur creaturæ spirituales extensæ, & tamen in-
divisibiles ac impenetrabiles, ut sunt Angeli: ergo
atomi extensæ, indivisibiles, & impenetrabiles.
Respondeo distinguendo ant. dantur creaturæ
spirituales extensæ, extensione virtutis, qua-
nus in eis: virtus operativa se ad spatium ex-
sum potest extendere, in eoque effectum pro-
cere, ut est operativa virtus Angelorum, con-
o: dantur creaturæ spirituales extensæ, ex-
sione molis, ita ut vel moles sint, vel com-
ant molem, nego. Unde paritas nulla est;
si darentur Epicuri & ejus discipulorum a-
, forent extensæ molis extensione ut quo
m; essent enim id, quo constituerentur mo-
quæ ex ipsis unitis consurgeret.

Objicies secundò: animalium perfectorum
indivisibiles sunt, ut suo loco clarebit;
en sunt extensæ, cùm extensum infor-
corpus: ergo nihil impedit, ne dentur
mdivisibiles, & tamen extensæ.

Respondeo distinguendo ant. animalium per-
animæ indivisibiles sunt, & tamen sunt
extensione virtuali aut æquivalenti,
eminenter æquivalent animabus im-
m animalium, & formis rerum inani-
quæ sunt extensæ extensione forma-
(sufficitque hæc virtualis aut emi-
, ut animalium perfectorum animæ
sum informare corpus) Animalium
animæ indivisibiles sunt, & tamen
, extensione formali & physica,
orent Epicureorum atomi, nego
paritas est manifesta inter perfe-
llium animas, & atomos illas;
quentia neganda est.

§. IV.

Refellitur ampliùs Atomiſtarum ſententia.

DIcendum eſt præterea, etiamſi darentur Epicuri; Gaſſendi, & diſcipulorum ipſorum Atomi, illæ tamen non eſſent prima rerum naturalium principia. Eſt contra Atomorum defenſores.

Probatur: nam intrinſeca & eſſentialis diſtinctio rerum naturalium, ex primis & intrinſecis earum principiis ſumēda eſt; ut patet: atqui ſi Atomi ſint prima & intrinſeca rerum naturalium principia, intrinſeca & eſſentialis naturaliū rerum diſtinctio à primis & intrinſecis illarum principiis ſumi non poterit: ergo &c. Prob. mi. quando res aliquæ intrinſecè & eſſentialiter diſcrepāt, intrinſeca & eſſēntialis illarum diſtinctio eſt à principiis intrinſecè & eſſentialiter differentibus deſumenda, ut clarum eſt; cùm igitur res naturales (v. g. homo & equus) intrinſecè ac eſſēntialiter à ſe mutuò diſtinguantur, intrinſeca & eſſentialis rerum naturalium diſtinctio eſt à principiis intrinſecè & eſſentialiter diſcrepantibus depromenda: atqui Atomi, ut explicant Epicuri & Gaſſendi diſcipuli, eſſentialiter non differunt: ergo &c. Prob. mi. Atomi, ut docent laudati authores, ratione diverſarū figurarum dūtaxat diſcrepant; quia nempè earum quædam rotundæ ſunt figuræ, quædam acutæ, vel quadratæ, &c. atqui diſtinctio, quę ex diverſis oritur figuris, eſſentialis non eſt, ſed accidentalis; ut enim ad ſenſum patet, eadem eſt eſſentialiter cera, dum figuræ eſt rotundæ, vel dum quadratam habet figuram: ergo inter Atomos diſtinctio eſſentialis non eſt, ſed accidentalis tantùm.

Objicies primò: neceſsè eſt, ut prima rerum naturaliū principia eſſentialia priora nō dividātur, alioquin ſimpliciter prima non eſſent: ergo cùm Atomi ſint penitùs indivisibiles cōvenienter admodū aſſeritur, ipſas eſſe prima rerū naturaliū principia.

Reſ-

Respondeo distinguendo ant. necessè est, ut prima rerum naturalium principia in alia priora non dividãtur, &c. ita tamen ut sint partes essentiales, rerum naturalium intrinsecam substantiam constituentes, concedo: ita ut sint tantùm accidentia substantiæ rerum naturalium adventitia, ut sunt Atomi Epicureorum penitùs indivisibiles, nego: ex quo ad conseq. patet responsio.

Objicies secundò: unumquodque ens naturale debet in prima dividi principia: ergo cùm in infinitum progredi non liceat, sistendum' est in Atomis indivisibilibus, tamquam in primis entium naturalium principiis.

Respondeo concesso ant. negando conseq. etenim unumquodque ens naturale debet in materiam primam & formam substantialem, sicut in prima principia, distribui; materia autem prima, & substantialis forma, esto in compositis naturalibus merè corporeis sint quantitativè in infinitum divisibiles; essentialiter tamen, seu quoad essentiam, indivisibiles sunt; quod ad primorum principiorum rerum naturalium sat est rationem. Plura alia de Atomis infrà dicentur, quando de principiis sigillatim agetur.

§. V.

Cartesii sententia de rerum naturalium principiis explanatur.

REnatus Cartesius patria Armoricus fuit, nobili genere natus, ingenio abundans, & in Mathematicis versatus. Hic neglecta vel contempta veterũ Philosophorum doctrina, novam proprio Marte Philosophiam instituit, in qua de rebus physicis seu naturalibus maximè disserit. Juxta ipsum ergo, Physica est rerum naturalium scientia. Res verò nuncupantur *naturales*, quia sunt natura præditæ; natura autem apud Cartesium duplex est, nempe materia prima, & substantialis

forma. Quid verò materiæ, quid formæ nomine intelligendum veniat? celebre eſt inter Carteſii diſcipulos & Peripateticos diſſidium.

Prima ergo materia, ex Carteſii mente, eſt eſſentialiter corpus mathematicum, cujus eſſentia in extenſione in longum, latum, atque profundũ, poſita eſt; quæ trina dimenſio eſt ipſa quantitas; ideòque nullam admittit quantitatem vel extenſionem realiter à ſubſtantia corporea diſtinctam. Unde apud Carteſium, ubi corporea ſubſtantia eſt, ibi extenſio aut quantitas ſit neceſſe eſt. Ubi autem eſt extenſio in longum, latum, & profundum, etiam ibidem adeſt corporea ſubſtantia.

Docet verò Carteſius, materiam omnem, quæ nunc in mundo eſt, fuiſſe creatam à Deo homogeneam, ſive ejuſdem rationis, ejuſdemque naturæ, atque diviſam in partes æquales, omne ſpatium totum per orbem diffuſum implentes, nihilque vacuum relinquentes.

Præterea, apud Carteſium, materia in ipſo mundi exordio cum motu & quiete à Deo creata eſt; aſſeritque nunc per ſolum Dei concurſum ordinarium tantumdem motus & quietis in tota materia conſervari, ob immutabilitatem Dei, & conſtantiſſimum operandi modum, quantum ab initio fuit; ex quo infert, nullum de novo motum in tota materia generari, nullumque perire, quamvis ſæpiùs moveantur materiæ partes, dum impetus motus ab uno corpore in aliud trãſit. Affirmatque, unumquodque corpus, quantùm in ſe eſt, in eodem ſtatu permanere, nec unquam niſi à cauſis externis mutari. Unde quod quieſcit in quiete perſeverat, donec ab aliqua exteriori cauſa motus impetum accipiat. Et ſimiliter, quod movetur, moveri pergit eadem celeritate, donec aliquod ei occurrat impedimentum, quod ejus impetum minuat, vel ſiſtat.

Aſſeverat inſuper Carteſius, omnes materiæ partes dupliciter eſſe à Deo motas. Primò quidem, ſingulæ partes materiæ circa ſe movẽtur, & turbinis

nis instar circum aguntur. Secundò, plures ex illis materiæ partibus eodẽ impetu circa alia mũdi pũcta & cẽtra movẽtur. Hinc colligit Carteſius, ſucceſſu tẽporis ſingularũ materiæ particularũ angulos affrictu mutuo attritos fuiſſe, & in minutiſſima ramenta, ſeu tenuiſſimũ pulviſculũ abiiſſe. Addit que, ipſas materiæ particulas, detritis angulis, in globulos tornatas eſſe; & pulviſculum ex angulis particularum deciduum impleviſſe interſtitia, quæ globuli rotundi implere non poſſunt.

Eſt quoque Carteſii placitum, unamquamque materiæ partem ſeorſim ſumptam, ex ſe nõ poſtulare, ut moveatur motu obliquo, vel circulari, ſed recto; fatetur tamẽ, propter aliarum partiũ occurſum, plures materiæ partes ſæpè cogi deflectere à motu recto, ita ut fiat quidam circulus in motu ex tota materia ſimul mota. Quocirca notat Carteſius, quæ circulariter movẽtur, tendere ſemper, ut recedant à centro circuli, quem componunt. In cujus experimentũ & exemplum eſt lapis, quem manus funda circulariter rotat; tunc enim, ut experiẽtia probat, conatur lapis recedere à cẽtro ſui motus, id eſt, à manu lapidẽ ipſũ fũda circulariter movente; unde cùm primùm funda expeditur, nõ movetur ampliùs lapis motu circulari, ſed recto.

Ex hac doctrina, apud Carteſium ejuſque diſcipulos, infertur, ſingulas materiæ partes circa idem centrum cõmune circumvolutas, inſtar vorticis recedere, quantùm poſſunt, à communi cẽtro ſui motus. Ideòque volunt, partes materiæ circulariter ſic motas relinquere in medio circuli ſui ſpatium aliquod vacuum, quod tamen præfatorũ angulorum ramentis, ſive ſubtili pulviſculo ex particularum materiæ angulis abraſo, impletur.

Diſtinguit ergo Carteſius tria elementa, quę ex ejus mẽte ſunt prima omnium corporũ principia. Primum elementum, eſt ſubtilis materia, ſive ſubtilis pulviſculus, de quo ſermonẽ habuimus, quique eſt primũ ſolis & ſtellarũ fixarũ principium. Secundum elementum, ſunt globuli, de quibus

etiam dictum eſt, ſuntque primum cœlorum principium. Tertium tandem elementum, ſunt partes materiæ craſſiores, minimo agitatæ motu, & in varias figuras compactæ; quæ ſunt primum Planetarum, Animalium, Plantarum, Metallorum, Lapidum, &c. principium. Ea ſunt Carteſii de principiis rerum naturalium placita vel inſomnia. Quid verò nomine formæ intelligat Carteſius, infrà ſuo loco dicetur.

§. VI.

Doctrina Carteſii oppugnatur.

DOcet Carteſius, ut ex dictis conſtat, extenſionem in longum, latum & profundum, ſubſtantiæ corporeæ naturam conſtituere. Ita diſertè tradit Princip. Philoſ. p. 1. n. 53. & p. 2. n. 11. n. 21. n. 22. & multis aliis in locis; putatque veritatem eſſe, de qua jure contendi non poteſt, ibi adeſſe ſubſtantiam corpoream, ubi eſt in longum, latum, & profundum extenſio; & ibi corpoream ſubſtantiam nullam eſſe, ubi præfata extenſio deeſt; eo quòd ſentiat, hanc extenſionem eſſe corporeæ ſubſtantiæ eſſentiam.

At iſta Carteſii doctrina cum fide non conſentit. Nam juxta fidem, Corpus Chriſti eſt verè & ſubſtantialiter in Euchariſtiæ Sacramento: atqui cum hac veritate fidei non cõvenit Carteſii circa corporis, aut ſubſtãtiæ corporeæ, eſſentiam, allata ſententia: ergo &c. Ma. certa eſt: Conciliũ quippe Trident. ſeſs. 1. Can. 1. de hac veritate ſic fatur: *Si quis negaverit, in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter, Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, anathema ſit.* Quando autem cum anathemate Concilium generale aliquid decernit, dogma fidei eſt. Prob. verò mi. ut Corpus Chriſti verè, & realiter, ac ſubſtantialiter, ſit in Euchariſtiæ Sacramento, corporis ſubſtãtiam vel eſſentiam habeat neceſsè eſt: atqui ſi vera ſit Carteſii ſentẽtia, Chriſti Corpus

pus in Sacramento Euchariſtiæ ſubſtantiam aut eſſentiam corporis non habet: ergo &c. Ma. plana eſt: ſicut enim quod hominis eſſentiã non habet, verè ac propriè non eſt homo: ita id, cui eſſentia corporis non competit, corpus verè ac propriè appellari non poteſt. Mi. autẽ prob. nam juxta Carteſii ſententiam, corporis ſubſtantia vel eſſentia in extẽſione locali in longum, latum, & profundum, poſita eſt; Corpus verò Chriſti in altaris Sacramẽto extenſionẽ non habet localem, quæ neceſſariò poſtulat, ut una locati corporis pars unum repleat locum, alia alium, altera alterum, & ita de aliis: Chriſti autem Corpus non ſic in Euchariſtia exiſtit, ut una ejus pars uni correſpondeat loco, & altera alteri; ſed ex Conc. Trid. decreto ſeſſ. 13. c. 3. totum eſt in tota hoſtia, & totum in qualibet ejus parte; ac proinde totũ Corpus Chriſti eſt in toto hoſtiæ loco, & totũ in qualibet ejuſdẽ loci parte.

Mirum in modum urgentur hoc argumento Carteſii diſcipuli; unde varias excogitarunt reſponſiones, ut ab eo ſe expediant; ſed ineſſicaces, ut ſtatim clarebit.

Reſpondent ergo primò adverſarii, ſubſtantiæ corporeæ naturam, vel eſſentiam, in extenſione in longum, latum, atque profundum, non eſſe quidem ponendam, ſi de ea ſecundùm fidei lumen, quod ſupra naturam eſt, judicetur; aſſerunt tamen, hanc extenſionem eſſe corporeæ ſubſtantiæ naturam, ſi naturali lumine rationis ſpectetur.

Sed contrà ſic argui poteſt: eſſentiæ ſeu naturæ rerum immutabiles ſunt, & eædem ſemper, ſive ſupernaturali lumine fidei, ſive naturali ratione conſpiciantur; unde abſurdè & ridiculè diceretur, hominis eſſentiam vel naturam in eo eſſe ponendam, ut ſit animal rationale, ſi naturali lumine rationis adſpiciatur, non autẽ ſi ſupernaturali fidei luce adſpectetur; non minori ergo cum abſurditate ab adverſariis aſſeritur, ſubſtantiæ corporeæ eſſentiam in extenſione in longum, latum & profundum, non eſſe quidem ponendam, ſi de ea ſe-

cundùm fidei lumen, quod ſupra naturam eſt, judicetur; benè tamen ſi ſubſtantia corporea naturali lumine rationis ſpectetur.

Deinde, ſicut corrigendus eſt ſenſus, quando rationi contrarius eſt; ita naturalis emendanda eſt ratio, quando cum fide non conſentit: ſicut ergo cùm Lunam magnitudine Soli eſſe æqualem judicat ſenſus, id ſanæ mentis affirmat nemo, vel defendit, quia contrarium recta judicat ratio; ſic etiam eſto, lumini naturali rationis, extenſio in longum, latum & profundum, ſubſtantiæ corporeæ natura videatur; id tamen aſſeverare non debet Philoſophus Chriſtianus, quia id eſſe falſum, Chriſtiana affirmat fides.

Reſpondent ſecundò, ſi Philoſophorum more loquamur, eſſe aſſerendum, extenſionem in longum, latum & profundum, conſtituere naturam corporeæ ſubſtantiæ; at oppoſitum eſſe docendum, ſi Theologorum principia ſequamur.

Sed contrà ſic inſtatur: Philoſophiæ principia Theologiæ principiis non adverſantur; clarũ enim eſt, & experientia compertum, Philoſophiã Theologiæ non contradicere, ſed eam juvare: quod ergo ſecundùm Philoſophiæ principia verum eſt, juxta Theologiæ principia falſum non eſt: ſi igitur ex Philoſophorum principiis, extenſio in longum, latum, & profundum, ſubſtantiæ corporeæ naturam verè conſtituat; oppoſitum non eſt docendum, ſi vera Theologorum principia ſequamur.

Reſpondent tertiò, extenſionem in longum, latum & profundum, non eſſe quidem corporeæ ſubſtantiæ naturam, ſi in ſtatu aut ordine ſupernaturali & extraordinario, atque rationi naturali impervio, ſumatur; verè tamen ita eſſe aſſerendum, ſi ſubſtantia corporea in ſtatu vel ordine naturali & ordinario, quem ratio naturali lumine aſſequi poteſt, uſurpetur.

Sed contrà urgetur: nam, ut dictum eſt ſuprà, rerum naturæ ſeu eſſẽtiæ ſunt immutabiles, & eędẽ ſemper perſeverant, ſive in iſto ſtatu vel ordine,

ſive

ſive in illo accipiantur; etenim ſive in ſolo ſtatu vel ordine naturali & ordinario, ſive in ſtatu vel ordine ſupernaturali & extraordinario, hominem conſideres, ejus eſſentia vel natura eadem ſemper eſt; nempè ſemper eſt animal rationale, licèt in diverſis illis ſtatibus aut ordinibus diverſa ſint in eo accidentia: ergo ſubſtantiæ corporeæ in ſtatu vel ordine ſupernaturali ac extraordinario eadem ſemper eſt eſſentia vel natura, eſto in diverſis illis ſtatibus diverſa ſortiatur accidentia; & ita falsò & abſurdè reſpondent Adverſarii extenſionem in longum, latum, & profundum, non eſſe quidem corporeæ ſubſtantiæ naturam, ſi in ſtatu vel ordine ſupernaturali & extraordinario ſumatur; verè tamen ſic eſſe aſſerendum, ſi ſubſtantia corporea in ſtatu vel ordine naturali & ordinario uſurpetur.

Reſpondent quartò Carteſii diſcipuli, immeritò ab ipſis exigi, ut objectioni ex articulo fidei depromptæ faciant ſatis; hoc quippe non Philoſophi, ſed Theologi munus eſt; ſeipſos autem ſimplices Philoſophos profitentur.

Sed ſi vera ſit iſta adverſariorum reſponſio, licebit in poſterum Philoſophis, quælibet dogmata articulis noſtræ fidei contraria palam profiteri; & juſta reprehenſione carebunt, dummodo reſpondeant, ſe ſimplices eſſe Philoſophos, & loqui Philoſophorum more. Si autem ita eſt, frequens erit hæreſum occaſio.

Deinde, tametſi munus Philoſophi non ſit, ut articulorum fidei exponat ænigmata; attamèn ſuo non fungitur officio fidelis Philoſophus, ſi dum ſua proponit dogmata, & ea tuetur, ab articulis fidei, quam profitetur, ipſe recedat, & doctrinam illis planè contrariam, quæque cum eis ſociari non poteſt, pro viribus defendat. Ita autē agunt Carteſii diſcipuli. Unde ab eis non exigitur, ut inenarrabilia fidei myſteria nobis explanent; ſed ut hujuſmodi myſteriis, quæ nobiſcum credunt, contraria non loquantur, nec doceant.

§. VII.

§. VII.

Tres aliæ Adverſariorum reſponſiones refelluntur.

RESPONDENT quintò, verum eſſe hoc axioma Philoſophicum: *Quæ ſunt eadem uni tertiò, ſunt eadem inter ſe*: & tamen quamvis tres divinæ perſonæ ſint eædem in naturâ, nihilominus inter ſe non ſunt eædem; ſed potiùs relativè realiter oppoſitæ, proindèque realiter diſtinctæ, ut Catholica docet fides: ſimiliter ergo verum eſſe poteſt apud Philoſophos, extenſionem in longum, latum & profundum, eſſe corporis eſſentiam; etſi apud Theologos, Chriſti Corporis eſſentia in Euchariſtiæ Sacramento careat prorſus in longum, latum, & profundum, extenſione.

Sed contrà inſtatur: ideò namque tres divinæ perſonæ ſunt eædem in natura, & nihilominùs inter ſe non ſunt eædem; quia Deus cum creaturis, in quibus illud axioma præſertim habet locum, ejuſdem non eſt rationis; ſed in immenſum ſuperat creaturas, ejuſque natura eſt infinitè fœcunda, petitque, ob infinitam fœcunditatem ſuam, pluribus communicari perſonis relativè oppoſitis, realiterque diſtinctis, abſque ulla ſui diviſione & multiplicatione: at Chriſti Corpus in Euchariſtiæ Sacramento, ut docet Carteſius, ejuſdem eſt rationis cum Corpore ex Virgine nato, & nunc in Cœlis regnante; ſi igitur Corporis Chriſti ex Virgine nati, & nunc in Cœlo regnantis eſſentia, in extenſione in longum, latum, & profundum, eſt ponenda; apud ipſum Carteſium, etiam ejuſdem Corporis Chriſti realiter in Euchariſtia præſentis eſſentia, in eadem extenſione eſt collocanda.

Et ſanè juxta Carteſii doctrinam, Corpus Chriſti in altaris Sacramento latentis, eſſentialiter

ter differt à Corpore ejuſdem Chriſti in Cœlo triumphantis; quæ enim diverſas habent eſſentias, eſſentialiter differunt: ſi autem vera ſit Carteſii ſententia, alia eſt eſſentia Chriſti Corporis, quod in præfato latet Sacramento, & alia eſt diverſaque ejuſdem Chriſti Corporis eſſentia, dum in Cœlis triumphat; quandoquidem juxta illam ſententiam, eſſentia Chriſti Corporis in iſto ſtatu accepti eſt in longum, latum, & profundum extenſio; non tamen ejuſdem Corporis in Euchariſtia exiſtentis: aſſerere autem, Corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, & in Cœlo, eſſentialiter diſcrepare, novum eſt & apud Catholicos inauditum.

Reſpondent ſextò, D. Auguſtinum, & S. Thomam non latuiſſe, quid Catholicè ſit de Sacramento Euchariſtiæ ſentiendum; & tamen Corporis eſſentiam in extenſione in longum, latum, & profundum, poſuerunt.

In primis enim S. Auguſtinus Lib. 7 de Geneſi ad Lit. cap. 21. ſic fatur: *Corpus dicimus, materiam quamlibet longitudine, latitudine, & altitudine ſpatium loci occupantem*; & in lib. de quant. animæ ca. 4. hæc iterum ſcribit: *Nam priùs abs te quæro, utrum Corpus ullum putas eſſe, quod non pro modo ſuo habeat longitudinem, & latitudinem, & altitudinem: ſi hoc demas corporibus, quantùm mea opinio eſt, neque ſentiri poſſunt, neque omninò corpora eſſe rectè exiſtimari.*

Et D. Thomas 4. contra Gentes cap. 81. ad 2. de Corporeitate, aut corporis eſſentia, loquens ſic ait: *Corporeitas nihil aliud eſt, quàm tres dimenſiones* (ſcilicet in longum, latum & profundum.) Ariſtoteles quoque paſſim in lib. Phyſic. aſſerit, materiam eſſe rei extenſæ dimenſionem; vel rem in longum, latum, & profundum extenſam. Et Ammonius in Categorias Ariſtotelis cap. de quantitate: *Ratio*, inquit, *corporis exoritur, cùm id cum longitudine, latitudine, atque profunditate, accipimus.*

Sed

Sed hæc facilia ſunt, facilèque diluuntur. Corpus namque dupliciter accipi poteſt, phyſicè nempè & geometricè. Phyſicè acceptum, eſt ipſa corporea ſubſtantia. Geometricè verò aut mathematicè uſurpatum, peculiaris eſt ſpecies quantitatis. Quando ergo D. Auguſtinus, S. Thomas, Ariſt. Ammoinus, & alii, docere videntur, corporis naturam in extenſione in longum, latum & profundum, aut altum, eſſe ponendam; de corpore geometricè ſumpto, non autem phyſicè ſpectato, veniunt exponendi. Vel ſi de corpore phyſicè inſpecto loquantur, intelligendos puto de extenſione radicali, ſeu de extenſionis radice, quæ extenſionem actualem connaturaliter petit, & in qua corporeæ ſubſtantiæ eſſentia verè ponenda eſt; at illos de extenſione formali vel actuali ad locum, in longum, latum, & altum, vel profundum, fuiſſe locutos non ſentio.

Miror ſanè, dum in adverſariorum libris D. Thomæ nomen in ſententiæ ipſorum argumentū & fidem allatum conſpicio, quoniam in locis ab eis laudatis, illorum ſententiæ planè adverſatur. Unde loco ab ipſis ſuprà citato docet, trinam in longum, latum, & profnudum extenſionem, eſſe *formam ſubſtantiæ corporeæ accidentalem*: verba S. Doctoris ſunt hæc: *Corporeitas dupliciter accipi poteſt, uno modo ſecundùm quod eſt forma ſubſtantialis corporis, prout in genere ſubſtantiæ collocatur; & ſic oportet, quòd corporeitas, prout eſt forma ſubſtantialis in homine, non ſit aliud, quàm anima rationalis. Alio modo accipitur prout eſt forma accidentalis, ſecundùm quam dicitur, corpus eſſe in genere quantitatis; & ſic corporeitas nihil aliud eſt, quàm tres dimenſiones.*

Reſpondent ſeptimò, Deum potentia ſua infinita efficere poſſe, ut res unaquæque ſine ſua ſit eſſentia; proindèque Deus eadem potentia præſtare poteſt, ut Corpus Salvatoris in Euchariſtiæ Sacramento abſque ſua inveniatur eſſentia, id eſt, ſine in longum, latum, & profundum, extenſione.

Sed

Sed contra arguitur: nam in primis eſſentia apud omnes eſt id quod primò in re apprehenditur, & ſine quo nec eſſe, nec concipi poteſt. Deinde eſſentia rei ab ipſa re non diſtinguitur, ſed cum ea convertitur; homo namque eſt animal rationale, & animal rationale eſt homo: ſi ergo res aliqua ſine ſua eſſet eſſentia, foret ſine ſeipſa; quod apertiſſimè repugnat. Et certè, ſi res abſque ſua eſſentia eſſe poſſit, homo ſine animali & rationali eſſe poterit; & triangulus ſine tribus angulis, mons ſine altitudine, baculuſque ſine extremis, poterunt dari. In quibus omnibus contradictio clara eſt.

§. VIII.

Alio argumento convellitur eadem Carteſianorum ſententia.

DEcernit Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. Can. 2. non remanere in Sacramento Euchariſtiæ panis & vini ſubſtantiam; ſic enim loquitur Synodus Sancta: *Si quis dixerit, in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis & vini, unà cum Corpore & Sanguine Chriſti; Anathema ſit.* Si autem vera ſit Carteſianorum ſententia, in Euchariſtia remanebit panis & vini ſubſtantia, cùm in illa perſeveret tota panis & vini in longum, latum, & profundum extenſio, quæ apud Carteſianos eſt ipſa corporea ſubſtantia. Sentiunt adverſarii vim hujus argumenti, unde in varias ſolutiones abiere; quare

Reſpondent primò, dimenſiones, quæ poſt conſecrationem remanent in Euchariſtiæ Sacramento, reipſa non eſſe panis & vini in longum, latum, & profundum extenſionem; ſed ſubſtantiolas quaſdam, ſeu particulas aeris, furfuris, pulveris, &c. in poris panis & vini anteà incluſas.

Sed contra inſtatur primò: nam Concilium Trid. loco allato decernit, remanere duntaxat,

poſt

post consecrationem factam, in sacro Eucharistiæ convivio, species panis & vini; species autem panis & vini non dicuntur, nisi quia erant pani & vino ante Consecrationem intrinsecæ aut ab eorum principiis intrinsecis oriundæ; substantiolæ verò, seu particulæ aeris, furfuris pulveris &c. in poris panis & vini anteà inclusæ non erant pani & vino intrinsecæ, sed extraneæ potiùs, ac penitùs alienæ, & ab extrinseco oriundæ; ut de se clarum est: Sacramentales igitur species panis & vini, inter quas sunt dimensiones ex pane & vino remanentes, dici nequeunt substantiolæ, aut particulæ aeris, furfuris, pulveris, &c. in poris panis & vini ante consecrationem inclusæ.

Deinde: quod ex pane & vino post consecrationem permanet, eundem replet locum, quem anteà panis & vinum implebant, ut experientia probat; proindèque æqualis est cum pane & vino extensionis: ergo cùm particulæ aeris, furfuris, pulveris, &c. in poris panis & vini anteà inclusæ, æqualis non essent cum pane & vino extensionis, sed longè minoris; debet aliquid, præter illas particulas, ex pane & vino post consecrationem remanere, quod totum panis & vini repleat locum; hoc autem aliud esse non potest, præter ipsammet panis & vini in longum, latum, & profundum, extensionem.

Nec valet, si Cartesius respondeat, præfatas aeris, furfuris, pulveris, &c. particulas post consecrationem rarefieri aut dilatari, & sic rarefactas vel dilatatas totum panis & vini implere locum.

Non valet, inquam: in primo namque consecrationis instanti, quo nempè verum est dicere: Nunc primò facta est consecratio; species Sacramentales locum panis & vini replent totum; si igitur hujusmodi species sint illæ particulæ rarefactæ, oportet, ut in primo indivisibili illo instanti fiat rarefactio; hoc autem dici non potest, cùm

rare-

rarefactionis motus sit successivus, maximè in Cartesii sententia, quæ rarefactionem esse successivum corpusculorum ingressum in poros corporis rarefacti aiieverat; successivus autem motus uno & indivisibili instanti fieri nequit, ut suo loco invictè probabitur.

Respondent secundò, remanere quidem panis & vini superficiem, ad quam sensus terminantur; non tamen panis & vini in longum, latum, & profundum, extensionem.

Sed contra sic potest argui: omninò repugnat, ut non permaneat amplius panis & vini in longum, latum, & profundum extensio, sed desinat tota, nihilque ex ipsa remaneat; & tamen superficies panis & vini perseveret, cùm superficiei nomine, latitudo, aut in latum extensio, apud omnes intelligatur.

Et sanè, si Cartesiani concedant, superficiem panis & vini remanere in Eucharistiæ Sacramento; concedere tenentur, partem extensionis panis ac vini perseverare; cùm tres sint adæquatæ extensionis partes, nimirum longitudo, latitudo, atque profunditas; & superficies sit ipsa latitudo, ut dictum est: si verò in altaris Sacramento permaneat extensionis panis & vini pars; ergo & pars substantiæ, cùm extensio, & corporea substantia, apud Cartesium & ejus sectatores, pro eadem re usurpentur; doctrina autem, quæ asserit partem substantiæ panis & vini in Eucharistia remanere, cum fide Catholica non consentit.

Respondent tertiò, remanere tantùm apparentias aut imagines vel spectra extensionis, coloris, saporis, & aliorum panis & vini accidentium, sensibus illusis.

Sed miror sanè, quo pacto Cartesiani adeò experimentis confidant, & ferè omnia velint experimentis esse probanda; & tamen negent assensum apertissimæ & constantissimæ sensuum experientiæ, qua in Eucharistiæ Sacramento eadem

ex-

extenſio, idem color, idem ſapor, & eadem, quæ anteà erant in pane & vino accidentia, percipiuntur.

Deinde, hæc reſponſio ſaltem temeraria cenſenda eſt; aſſerit namque, in Euchariſtia illudi aut decipi ſenſus; & tamen oppoſitum aſſerit Eccleſia in officio Corporis Chriſti, quod totum per orbem Chriſtianum decantatur; ibi etenim ſic legitur: *Accidentia ſine ſubjecto in eodem Sacramento ſubſiſtunt, ut fides locum habeat, dum invisibile visibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum; & ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant ſibi notis.*

§. IX.

Duæ aliæ reſponſiones confutantur.

REſpondent quartò, ſpecies ſacramentales eſſe impreſſiones, quæ ante conſecrationem à pane & vino fiebant ad ſenſus.

Sed contra: nam omnis impreſſio ab aliquo fiat neceſsè eſt; debet igitur in Euchariſtiæ Sacramento eſſe aliquid ſenſibile, à quo ad ſenſus impreſſiones illæ fiant; cùm igitur Corpus & Sanguis Chriſti in hoc Sacramento id eſſe nequeant, à quo fieri poſſint illæ in ſenſus impreſſiones; eo quòd Chriſti Corpus & Sanguis, juxta doctrinam Eccleſiæ univerſalis, iſto in Sacramento ſunt inſenſibili modo; opus eſt, ut aliquid aliud admittatur, quod ſit illarum impreſſionum radix; hoc autem eſſe non poteſt præter accidentia Euchariſtica panis & vini phyſicè & ſenſibiliter remanentia, nempe extenſionem, colorem, &c.

Reſpondent quintò, Euchariſticas ſpecies eſſe ſenſuum actiones, v. g. tactionem extenſionis, frigoris, aut caloris panis & vini, viſionem coloris, guſtationem ſaporis, & ſimiles ſenſuum actiones in nobis poſt conſecrationem remanentes,

nentes, & divinitùs conservatas, vel de novo productas, in extensionis, frigoris, aut caloris, coloris, saporis, & aliorum panis & vini accidentium absentia.

Sed contra sic urgetur: hoc est inter sensus internos & externos discrimen, quòd sensus interni, saltem phantasia & memoria, apprehendere quidem possunt objecta absentia: at sensus externi objecta duntaxat præsentia percipere valent; unde sicut repugnat prorsùs, nec divina virtute fieri potest, ut memoria circa præsens versetur objectum, quia sensibile absens, est ejus objectum formale: ita non minor est repugnantia, ut externus sensus, absens cognoscat objectum; quoniam sensibile præsens, ipsius est objectum formale: si ergo in Eucharistiæ Sacramento, extensio, frigus vel calor, color, sapor, aliaque panis & vini accidentia sunt absentia, ea tactus, visus, gustus, aliique sensus externi, etiam divinitùs, percipere non valent, nec proinde circa illa sensitivas actiones habere.

Deinde, si in altaris Sacramento accidentia panis & vini absentia externi cognoscant sensus, ipsi falluntur, dum quod reipsa absens est, ut præsens apprehendunt; hoc autem est contra doctrinam universalis Ecclesiæ, ut ex dictis patet.

Quæ verò opponunt Cartesiani argumenta, ut probent essentiam corporis, aut substantiæ corporeæ, esse in longum, latum & profundum extensionem, facilè diluuntur. Distinguenda siquidem est duplex in longum, latum, & profundum extensio; radicalis una, formalis altera. Prima est ipsa corporis vel substantiæ corporeæ essentia; & hoc tantùm probant universa Cartesii & sectatorum ejus argumenta. Secunda, quæ & *quantitas* nominatur, est accidens substantiæ corporeæ extensivum, quod ex corporis essentia tanquam ex radice enascitur, estque à corpore divinitùs separabile. Unde in Sacramento altaris tota panis & vini quantitas est ab eorum substantia

reali-

...ntò probarunt satis, extensionem formalem ac localem esse corporis essentiam. Denique tria Cartesii elementa non esse prima substantiarum naturalium principia, ex eo abundè probatur, quòd hujusmodi elementa sunt quædam materiæ portiones, ut Cartesius ultrò fatetur; materiæ verò portiones nequeunt esse prima substantiarum naturalium principia, accipiendo materiam eo modo, quo apud Cartesium usurpatur, nempè pro quantitate, seu in longum, latum, & profundum extensione; demonstratum quippe fuit in Logica, q. de quantit. a. 1. quantitatem esse accidens quoddam superveniens substantiæ corporeæ, realiterque ab ea distinctum: ex Cartesii igitur mente, omnes materiæ portiones, & ita tria præfata elementa, sunt quædam accidentia, aut saltem esse accidentia necessariò ipsi est concedendum; proindèque esse non possunt prima & intrinseca substantiarum naturalium principia.

Articulus Tertius.

Quæ sint apud Peripateticos prima principia Mobilis Entis?

Ens mobile in duplici statu solet usurpari; *in fieri* nempè, & *in facto esse*. Tunc ens mobile *in fieri* spectatur, quando, prout generatur aut fit, conspicitur; unde *fieri* entis mobilis, est ipsa ejus generatio. Tunc verò ens mobile *in facto esse* consideratur, quando prout factum aut genitum, & ex suis partibus intrinsecis constitutum est, inspicitur. Hoc prænotato.

Dico primò: tria sunt entis mobilis *in fieri* prima principia; materia scilicet, forma, & privatio. Ita omnes Peripatetici.

Probatur & explanatur: in Schola Peripatetica idem omnino est, ens mobile *in fieri*, & entis mo-

nobilis generatio: atqui tria sunt generationis
ntis mobilis prima principia; videlicet materia
rima, forma, & privatio: ergo &c. Prob. m.
ima sive intrinseca & essentialia generationis
tis mobilis principia sunt ea, quæ in intrinseca
essentiali ejus definitione exprimuntur: atqui
teria prima, forma & privatio, in intrinseca ac
ntiali definitione generationis entis mobilis
rimuntur: ergo &c. Ma. certa est. Min. ve-
x eo constat, quòd apud omnes Peripateti-
ntrinsecè ac essentialiter definitur entis mo-
generatio, *Mutatio vel transitus materiæ pri-*
privatione formæ ad formam: ubi fit aperta
riæ primæ, formæ, & privationis expressio.
jicies primò: *non ens* nequit esse entis mo-
rincipium: atqui privatio est *non ens*: ergo
a. videtur clara. Min. etiam manifesta est;
? quippe est formæ carentia; unde cùm
t ens quoddam, privatio est carentia en-
stat autem carentiam entis non esse ens,
is *non ens* debere nuncupari.
ndeo distinguendo ma. *non ens* nequit
mobilis principium, per modum par-
cè componentis, concedo: nequit es-
bilis principium, per modum termini à
nam transeat, nego: revera namque
in sui generatione, ex parte materiæ
on ente ad ens transit, nempè à ca-
ad formam. Unde dum in primo-
rum definitione legitur, ex primis
mia fieri, id ita venit intelligen-
a entia mobilia ex primis princi-
ius, vel per modum partis com-
er modum termini à quo, fiant.
orma sunt partes componentes,
rminus à quo.
minus à quo ens mobile in sui
t, ejus est principium, etiam
s erit entis mobilis princi-
n ignis, v.g. in ligno genera-

tur, ignis ipſe à præexiſtente forma ligni ad formam ignis tranſit: erunt ergo entis mobilis *in fieri* ſaltem quatuor principia; nimirum materia, forma entis mobilis geniti, privatio hujuſmodi formæ, & forma præexiſtens compoſiti corrumpendi.

Reſpondeo negando, formam præexiſtentem compoſiti corrumpendi eſſe per ſe ac propriè entis mobilis *in fieri*, ſive ejus generationis, principium; quamvis enim entis mobilis generatio tranſeat ſemper ab aliqua præexiſtente forma; hoc tamen per ſe non eſt, quaſi ipſa entis mobilis generatio per ſe aut ratione ſui id expoſcat; ſed per accidens tantùm id contingit, ex eo nempè, quòd materia prima, quæ in entis mobilis generatione ad novam tranſit formam, præexiſtere non poterat nuda & ab omni forma ſeparata: ſed neceſsè erat, ut ſub aliqua exiſteret forma, ſaltem alicujus compoſiti corrumpendi.

Objicies ſecundò: prima entium mobilium principia ſunt ea, ex quibus omnia entia mobilia fiunt; ut ex Ariſtotele dictum eſt ſuprà: atqui ex privatione omnia entia mobilia non fiunt: ergo &c. Min. in cœlis patet; cùm enim, ut infrà conſtabit, eorum materia nunquam privata fuerit forma, ex privatione formæ facti non fuere cœli; & tamen cœlos eſſe entia mobilia dubitat nemo.

Reſpondeo ex communi Peripateticorum doctrina, diſtinguendo ma. prima entium mobilium principia ſunt ea, ex quibus omnia entia mobilia fiunt, juxta accommodam entium mobilium diſtributionem, concedo (ita ut videlicet omnia ejuſcemodi entia ex pleriſque illis principiis fiant, nimirum ex materia & forma ſemper; ex privatione verò, juxta naturæ eorum exigentiam; eo ordine, ut ex privatione fiant entia mobilia, quæ non ſunt prima univerſi compoſita, ſed ſupponunt alia priora, in quibus præextitit materia prima cum privatione formæ ſum entium illorum mobilium; cujuſmodi ſunt

om-

omnia compoſita ſublunaria: alia verò entia mobilia, quæ fuere prima in univerſo compoſita, ut cœli & elementa, quorum materia numquam præextitit formis eorum privata, ex privatione facta non fuerint.) Prima entium mobilium principia ſunt ea, ex quibus omnia entia mobilia fiunt, juxta diſtributionem abſolutam, (ita ut nullum abſolutè ſit ens mobile, quod ex illis tribus principiis non fiat) nego: ex quibus ad min. conſeq. & min. prob. reſponſio patet.

Objicies tertiò: generatio entis mobilis eſt etiam à generante: ergo præter materiam, formam & privationem, generans eſt entis mobilis principium.

Reſpondeo diſtinguendo ant. generatio entis mobilis eſt etiam à generante, tanquam à principio extrinſeco, & in definitione intrinſeca & eſſentiali generationis entis mobilis minimè poſito, concedo: generatio entis mobilis eſt etiam à generante, tanquam à principio intrinſeco, & in præfata definitione collocato, de quo tantùm nunc eſt quæſtio, nego: & cum eadem diſtinctione reſpondendum eſt conſequenti. Ex qua doctrina colligas velim, quo pacto diſpoſitiones ad generationem entis mobilis deſiderentur; vel enim deſiderantur ut extrinſeca principia; & in intrinſeca hujus generationis definitione non inventa; vel ad materiam, quam præparant, reducuntur, neque diſtinctum ab ea generationis principium conſtituunt.

Objicies quartò: ſi privatio munus principii generationis exerceret, vel hoc eſſet, quando ipſa privatio eſt, vel quando non eſt? atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. & in primis, privatio munus principii generationis non exercet, quando eſt; quandiu enim, v. g. materia ligni eſt ignis forma privata, tamdiu lignum perſeverat, & ex ligno ignis non generatur; proindèque ad ignis generationem, quæ nondum

eſt, non concurrit privatio formæ ignis per modum principii; id etenim quod nondum eſt, nullum habet principium; cùm non concurrant principia, niſi ut res ſit; ideòque antequam ſit res, principia ſuo munere non funguntur. Quòd autem privatio munus principii non exerceat, quando non eſt, videtur clarum; nam quod non eſt, quo pacto munus aliquod exequi poteſt?

Reſpondeo, privationem formæ ſubſtantialis munus principii generationis entis mobilis obire, quando non eſt; ſiquidem quamvis quod non eſt, munus aliquod per modum partis componentis exequi non poſſit, benè tamen per modum termini à quo; terminus quippe à quo tunc officium ſuum explet, quando ab eo fit tranſitus, ipſeque deſeritur; id autem à quo fit tranſitus, quodve deſeritur, neceſſariò eſſe non debet; ſed ſat eſt, illud antea immediatè fuiſſe.

Objicies quintò: id, in quo finitur generatio, ejus non eſt principium; ſed potiùs finis: atqui in forma ſubſtantiali finitur entis mobilis generatio; quandoquidem in forma ſubſtantiali terminatur & conſummatur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. id, in quo finitur generatio, ejus non eſt principium, ſed finis: ſi principium eo modo ſpectetur, quo apud Grammaticos uſurpatur, nempè pro initio, concedo: ſi principium generationis eo modo conſideretur, quo apud Philoſophos explicatur, nimirum pro eo quod intrinſecam & eſſentialem generationis definitionem ingreditur, nego: licèt autem entis mobilis generatio in forma ſubſtantiali terminetur, conſummetur, finiatur; ipſa tamen in intrinſeca & eſſentiali generationis entis mobilis definitione ſibi vendicat locum, cùm intrinſecè ac eſſentialiter definiatur entis mobilis generatio: *Mutatio vel tranſitus materiæ primæ à privatione formæ ſubſtantialis ad ſubſtantialem formam*: quam definitionem ingreditur ſubſtantialis forma; ut patet.

Dico

Dico ſecundò: duo ſunt tantùm entis mobilis *in facto eſſe* prima principia, materia ſcilicet & forma. Hanc concluſionem docent Peripatetici uno conſenſu.

Probatur & explanatur: nomine entis mobilis *in facto eſſe* conſiderati intelligunt omnes compoſitum ſubſtantiale phyſicum, prout eſt factum aut genitum: atqui duo tantùm ſunt compoſiti ſubſtantialis phyſici facti aut geniti prima principia, videlicet materia & forma: ergo &c. Prob. min. nam quando tranſiit compoſiti ſubſtantialis phyſici generatio, & jam factum aut genitum eſt ipſum compoſitum, non permanet ampliùs formæ compoſiti ſubſtantialis phyſici privatio, cùm hæc privatio, & forma compoſiti ſubſtantialis phyſici facti vel geniti, ſibi mutuò repugnent, nec valeant ſociari: perſeverant ergo ſolùm materia & forma, ex quibus tanquam ex primis, ſive intrinſecis ac eſſentialibus principiis, componitur & conſtituitur.

Tum etiam quia prima ſeu intrinſeca ac eſſentialia entis mobilis in facto eſſe principia, debent eſſe partes ipſum intrinſecè ac eſſentialiter componentes; ut in confeſſo eſt apud omnes: conſtat verò, privationem non eſſe partem intrinſecè ac eſſentialiter ens mobile componentem; cùm partes intrinſecæ ac eſſentiales entis poſitivi, quale eſt ens mobile ſumptum *in facto eſſe*, debeant eſſe poſitivæ; ut clarum eſt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia prima.

DE principiis entis mobilis in communi acceptis diximus satis; de illis sigillatim sumptis deinceps est agendum, & primò quidem de materia prima dicendum est. Hæc autem ut entis quædam larva & simulachrum, nihil actu, omnia potestate, formarum omnium avida, nullius tenax, generationis & corruptionis subjectum, cùm ipsa sit ingenerabilis & incorruptibilis, describi solet. Quæ omnia infrà clarebunt.

Materia verò duplex est, prima & secunda. Materia secunda est accidentalium formarum subjectum; hujusmodi est lignum, quod est calo ris & frigoris capax, tanquam commune eorum subjectum. Vocatur verò *materia secunda*; quæ priorem supponit materiam, ex qua intrinsecè ac essentialiter constat compositum, quod accidentium, aut formarum accidentalium, subjectum nuncupatur. Et de hac materia nunc non est sermo. Materia autem prima est primum cujusque substantialis formæ subjectum, in qua nimirum substantialis forma excipitur. Dicitur *subjectum*, quia universim nomine materiæ subjectum designatur. Appellatur verò *subjectum primum*, eo quòd nullum subjectum prius materia prima concipi potest.

Hinc à Philosopho, 1. Phys. hoc pacto definitur: *Primum subjectum uniuscujusque, ex quo aliquid, cùm insit, & non per accidens.* Priores particulæ jam sunt explanatæ. Subditur, materiam primam esse subjectum, ex quo fit aliquid vide-

videlicet compositum substantiale physicum. Additur, *cùm insit*; materia quippe prima illi inest composito, ex qua intrinsecè ac essentialiter constat, unà cum forma. Indicant tandem posteriores particulæ, *& non per accidens*, præfatum compositum, quod ex materia & forma coalescit non esse unum per accidens, seu secundùm quid & per aggregationem, plures completas involvens essentias (ut est, *homo albus*, in quo essentiæ completæ hominis & albedinis inclusæ cernuntur;) sed esse per se ac simpliciter unum per veram partium compositionem, & unam completam dumtaxat exprimens essentiam.

Existere autem materiam, perspicuum est: nam in primis, existente toto, ejus partes existant necesse est: cùm igitur esse plura composita physica substantialia in rerum natura, neminem lateat; ut liquet in *homine*, *leone*, *bove*, & aliis; necessarium omninò est, ut etiam sint in rerum natura essentiales eorum partes, nimirum materia prima, & substantialis forma.

Deinde, ex omnium Philosophorum consensu, hoc inter creationem & generationem discrimen est, quòd creatio ex nihilo fiat, generatio verò ex præsuppositio subjecto; cùm ergo homines, leones, boves, &c. generari quotidiana doceat experientia, in omnibus illis generationibus debet præsuppositum inveniri subjectum; & cùm in subjectis inquirendis, in infinitum progredi non liceat, deveniendum est ad unum primum subjectum, quod alio nomine *materiam primam* nominamus.

Ex dictis clarè infertur, realem esse inter materiam primam, & substantialem formam, distinctionem. Quæ enim realiter separantur, sine ulla dubitatione, realiter distinguuntur; ex doctrina autem tradita apertè colligitur, sæpiùs materiam primam & substantialem formam realiter separari; dictum namque est, in qualibet generatione, expulsa realiter priori forma substantiali;

materiam primam, ſeu præſuppoſitum ſubjectum, realiter permanere; ſi autem uno realiter expulſo, realiter aliud perſeverat, realiter ſeparantur; ut intuenti patet.

Totam hanc doctrinam Peripatetici omnes amplexantur; eam tamen reſpuunt Gaſſendi diſcipuli, materiam primam eſſe atomorum congeriem aſſerentes. Eorum fundamentum ſic proponitur & explanatur. Materia prima in rebus corporeis creata eſt, in communi Philoſophorum ſententia: atqui in rebus corporeis ſola atomorum congeries creata eſt: ergo &c. Prob. minor. creari, eſt ex nihilo fieri: atqui in rebus corporeis ſola atomorum congeries ex nihilo facta eſt: ergo &c. Prob. min. nam quando cœlum, v. g. à Deo productum eſt, non fuit ex nihilo factum; ſed potiùs ſecundùm nos, ex partibus compoſitum: ſupereſt igitur, ut atomi in cœlo exiſtentes, quæ ſimplices ſunt & indiviſibiles, ex nihilo fuerint factæ.

Reſpondeo in primis, hoc argumentum adverſariis ipſis eſſe contrarium; nam cùm congeries atomorum ſit quoddam totum, ut infrà dicetur, ex nihilo non fit, ſed ex partibus (neceſsè etenim eſt, ut totum ex partibus fiat:) proindèque non creatur. Secundò reſponderi poteſt negando ma. ut enim ſuo loco probabitur, materia prima creata non fuit, ſed ad cœlorum & elementorum creationem, in ipſo mundi exordio, concreata eſt.

Tertiò reſpondeo data ma. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo ma. creari eſt, ex nihilo fieri: ſi illa particula ex, ad terminum *à quo* referatur, eo ſenſu, ut quod creatur, à mero nihilo debeat proficiſci, concedo: creari, eſt ex nihilo fieri, ſi hæc particula ex, ad partes intrinſecas & eſſentiales ordinetur, ita ut repugnet ei, quod creatur, ipſum intrinſecas ac eſſentiales habere partes, ex quibus componatur, nego. Licèt autem cœlum coaleſcat ex partibus intrinſecis ac eſſentia-

tialibus, ex materia nempè & formâ; attamen terminus à quo cœlum in sui productione ad esse transivit, nihilum fuit.

Et sanè, atomorum congeriem non posse propriè materiam primam nuncupari, ex eo manifestè colligitur, quòd materia prima id esse debet, ex quo per se unum fiat, nempè physicum totum seu compositum; ex congerie autem atomorum unum per se fieri nequit; totum siquidem si alteri toti conjungatur, unum per se non efficit, sed per accidens tantùm; quandoquidem ubi plura sunt tota, ibi plures sunt essentiæ totales ac completæ; & tamen in omnium sententia, unum per se unius sit essentiæ completæ necessè est; totum ergo ad constituendum unum per se, aptum non est: atomorum verò congeries est aliquod totum, cùm ex adversariorum opinione, sit quædam partium coadunatio; & partes non coadunentur, nisi in toto. Ex quo patet, falsum esse aliud eorumdem adversariorum fundamentum, quo asserunt, atomorum congeriem habere omnia ad materiæ primę rationem necessaria, proindèque meritò materiam primam appellari. Hoc, inquam, falsum est: postulat quippè materiæ primæ ratio, ut ex ipsa unum per se componatur; quod atomorum congeries non habet, ut ostensum est.

Rejicit quoque Cartesius traditam ex Aristotele doctrinam, asseveratque, materiam primam esse essentialiter mathematicum corpus; ejusque essentiam in extensione in longum, latum, & profundum esse ponendam. Sed hæc sententia fusè suprà oppugnata fuit.

Articulus Primus.

Vtrum Materia prima actum habeat entitativum.

§. I.

Quædam prænotantur.

NOtandum eſt primò, alium eſſe actum eſſentiæ, alium exiſtentiæ. Actus exiſtentiæ eſt ille, quo res unaquæque eſt actu à parte rei exiſtens, actuque extra cauſas ſuas poſita; & de iſto actu in ſequenti articulo dicetur, utrum nempè materiæ independenter à forma ſit concedendus? Actus eſſentiæ is eſt quo res in ſua eſſentia conſtituitur, & ab aliis diſcernitur. Hic actus iterum duplex eſt, phyſicus unus, & alius metaphyſicus. Actus phyſicus eſſentiæ, alio nomine *ſubſtantialis forma* vocatur; actus verò eſſentiæ metaphyſicus, ut uſurpari ſolet, eſt *eſſentialis differentia*.

Notandum eſt ſecundò, duos in adverſariorum doctrina eſſe diſtinguendos actus eſſentiæ metaphyſicos, videlicet unum ſpecificum, tranſcendentalem alterum. Actus metaphyſicus eſſentiæ ſpecificus, ſaltem propriè ac rigorosè acceptus, eſt ille, qui ad naturam ſpecificam totalem & completam conſtituendam ordinatur, quo pacto *rationalitas* ad naturam humanam conſtituendam tendit. Actus verò metaphyſicus tranſcendentalis, ille eſt, qui entitatem omnem realem tranſcendit; eo ipſo etenim, inquiunt adverſarii, quòd entitas realis eſt, actualis ſit neceſſe eſt, tranſcendentali ſaltem actualitate. Et hujuſmodi tranſcendentalis actus, à multis *entitativus* nuncupatur, quòd realem conſtituat entitatem; iſteque nuncupandi modus

dus

dus nunc invaluit; & de actu entitativo sic sumpto quæritur in articuli titulo, an materia prima ex se illum habeat. Actus tamen entitativi nomine, intelligunt Scotistæ existentiæ actum; quòd putent, proprium esse munus existentiæ, ut entitatem constituat realem.

Notandum est tertiò, vel supponendum cum Philosopho pluribus in locis, & præsertim hìc cap. 7. & 3. de Cœlo cap. 8. materiam primam ex se actum physicum nullum habere, sive nullam determinatam habere substantialem formam: si enim materia prima formam includeret substantialem, ex ea componeretur; cùm eam in se non concluderet, nisi ut partem, cujus munus est, totum componere: materia igitur prima tunc ampliùs pars non esset, sed totum compositum; & quidem physium, utpotè ex actu physico constitutum; quod prorsus inauditum est, cùm doceant omnes, materiam primam & substantialem formam esse dumtaxat partes physicas, totum substantiale physicum constituentes. Unde materiam primam esse puram potentiam physicam, una omnium vox est.

Notandum est quartò, atque etiam supponendum, materiam primam in suo essentiali conceptu actum metaphysicum specificum, saltem propriè & rigorosè sumptum, non involvere: actus siquidem metaphysicus specificus propriè & rigorosè acceptus, ille est, qui ad naturam specificam totalem & completam constituendam ordinatur; ut suprà dictum est: constat autem apud omnes Peripateticos, materiam primam, & substantialem formam, non esse naturas specificas totales & completas, sed esse tantùm naturæ specificæ cujuslibet compositi physici partes. Unde Philosophus loco citato de Cœlo, ait, materiam primam secundùm se spectatam, forma & specie carere, proindèque & actu metaphysico specifico propriè & rigorosè usurpato.

Notandum eſt quintò, ac pariter ſupponendum, quòd ſi materia prima eſſet, vel atomorum congeries, ut cenſet Gaſſendus; vel in longum, latum, & profundum extenſio, ut docet Carteſius; ipſa ſibi actum entitativum vendicaret; materia quippe prima, juxta hanc doctrinam, entitas foret actualis, ac proinde actum haberet, quo actualis efficeretur, quique entitativus nominatur. At utrum in ſententia Ariſtotelis, in qua materia prima eſt pura potentia, iſte actus ſit materiæ primæ concedendus? celebris eſt controverſia.

§. II.

Statuitur Concluſio, & authoritate ac ratione probatur.

DIco: materia prima ex ſe actum entitativum non includit. Ita Thomiſtæ omnes, quibus conſentiunt Conimbricenſes, Ruvius, & alii ex recentioribus plures: contra Scotum, Suarez, & alios.

Probatur primò ex Ariſtotele, hoc pacto: quod actum includit entitativum, eſt ens actuale: atqui ex Ariſtotele, materia prima de ſe non eſt ens actuale: ergo &c. Maj. clara videtur; effectus quippe formalis actus entitativi, aliud eſſe non poteſt, quàm ut ens conſtituat actuale; neque hoc adverſarii inficiamur. Min. autem prob. Ariſtoteles lib. 1. de generat. cap. 3. textu 11. & 12. & 5. Phyſic. cap. 1. textu 8. & alibi ſæpè, materiam primam appellat *ens in potentia*; nullibi verò eam vocat *ens actuale*; nec ullum poſſunt adverſarii afferre Ariſtotelis locum, in quo materia prima *ens actuale* à Philoſopho nuncupetur: ergo ſi cum Ariſtotele loquamur, materiam primam *ens in potentia*, non autem *ens actuale*, nominemus neceſſè eſt.

Pro-

Probatur secundò ex D. Thoma; ipse siquidem Doctor sanctus 1. contra gent. cap. 43. sic fatur: *In rebus invenitur aliquid, quod est potentia tantùm, ut materia prima; & aliquid quod est actus tantùm, ut Deus; & aliquid quod est actus & potentia, ut res cæteræ.* Similia habet verba 1. p. q. 66. a. 1. quibus omnibus asseverat, eo modo materiam primam esse potentiam, quo Deus est actus: sicut ergo Deus ita est actus, ut omnem prorsùs potentialitatem excludat; sic etiam materia prima adeò est potentia, ut de se òmni planè careat actualitate, quæcumque tamdem sit, sive entitativa, sive quævis alia. Addi posset, Angelicum Doctorem perpetuò inculcare, materiam primam non esse *ens in actu*, sed *in potentia tantùm*; quod foret falsum, si materia prima ex se actum haberet entitativum; tunc enim esset *ens actuale*, ut ex dictis patet; proindèque foret *in actu*, & non *in potentia tantùm*.

Probatur tertiò: quod ex se, aut ratione sui, entitativum includit actum, ratione sui est actu à parte rei, ut constat satis; cùm formalis effectus entitativi actus sit, ut à parte rei ens constituat; reddatque actuale: atqui materia prima ratione sui non est actu à parte rei: ergo &c. Prob. min. cùm aliquid à parte rei non ponatur, nisi virtute productionis agentis, illud dumtaxat ratione sui est actu à parte rei, quod ratione sui terminat productionem agentis: atqui materia prima ratione sui non terminat productionem agentis: ergo &c. Prob. min. illud tantùm ratione sui terminat productionem agentis, quod ratione sui intenditur ab agente; cùm eo modo aliquid terminet productionem agentis, quo ab ipso intenditur: atqui materia prima ratione sui non intenditur ab agente: ergo &c. Min. ex eo declaratur, quòd partes ratione sui ab agente non intenduntur, sed solùm ratione totius; cùm agens non

intendat partes, niſi ut ex eis coaleſcat totum, quod producit; materia autem prima, & ſubſtantialis forma, ſunt totius phyſici partes; ut ex dictis in hac quæſtione patet, & ex infrà dicendis clarebit ampliùs.

§. III.

Satisfit adverſariorum objectis.

OBjicies primò: materia prima ex ſe eſt ens actuale: ergo ex ſe habet actum entitativum. Conſeq. conſtat. Prob. antec. materia prima ex ſe non eſt ens merè poſſibile: ergo eſt ens actuale. Conſeq. ex eo clara eſt, quòd inter ens actuale, & ens merè poſſibile, nullum eſt medium. Prob. verò ant. ſicut accidens nequit eſſe pars intrinſeca entis ſubſtantialis, ita ens merè poſſibile non poteſt eſſe pars intrinſeca entis actualis: ergo cùm materia prima ſit pars intrinſeca entis actualis, phyſici nempè compoſiti, non eſt ens merè poſſibile.

Reſpondeo diſtinguendo ant. materia prima ex ſe eſt paſſivè ens actuale, quatenùs ex ſe eſt potentia realis paſſiva in genere entis, per formam actuabilis, concedo: materia prima ex ſe eſt formaliter ens actuale, ita ut vel ſit actus ipſe, vel independenter à forma aliquem ſibi proprium vendicet actum, nego.

Unde & conſeq. neganda eſt. Ut igitur innumeræ adverſariorum ſolvantur inſtantiæ, advertas velim, quòd, eſto inter ens actuale, & ens merè poſſibile, nullum ſit medium, ſi ens actuale univerſaliter, id eſt, tam paſſivè quàm formaliter uſurpetur; attamen inter ens actuale formaliter ſumptum, & ens merè poſſibile, aliquod ens reale datur; nempè potentia realis paſſiva, ſive ens reale aut actuale paſſivum, per ſubſtantialem formam actuabile:

ideòque perperam argumentantur adverſarii, dum ex eo quòd materia prima ex ſe non eſt ens merè poſſibile, ſtatim colligunt, illam eſſe ens formaliter actuale: poteſt enim eſſe, & reipſa eſt tantùm ens actuale paſſivè.

Ex iſta doctrina hæc & ſimilia argumenta facilè ſolves: materia prima ex ſe eſt ens actu, eſt actualiter extra nihilum poſita: ergo actum habet entitativum. Diſtinguendum etenim eſt, & ſic dicendum: materia prima ex ſe eſt ens actu, & actualiter paſſivè extra nihilum poſita, concedo: materia prima ex ſe eſt ens actu, & actualiter formaliter extra nihilum poſita, nego.

Inſtabis: quod eſt ſolùm in potentia, nihil eſt actu; ſed merè quid poſſibile: atqui juxta ſolutionem datam, materia prima ex ſe eſt ſolùm in potentia: ergo &c.

Reſpondeo, duplicem eſſe potentiam, objectivam unam, ſubjectivam alteram: objectivæ potentia, eſt alicujus ut producatur non repugnantia, quando nempe aliquid nondum eſt productum, ei tamen produci non repugnat: potentia verò ſubjectiva, eſt ſubjectum actus ſeu formæ receptivum. Hoc poſito diſtinguo maj. Quod eſt ſolùm in potentia objectiva, nihil eſt actu, ſed merè quid poſſibile, concedo: quod eſt ſolùm in potentia ſubjectiva, nihil eſt actu, ſed merè quid poſſibile, nego; nihil quippe vetat, ne potentia ſubjectiva, id eſt, ne ſubjectum formæ ſuſceptivum, ſit ad totius productionem actu aut de facto productum. Non diximus autem, materiam primam eſſe in potentia duntaxat objectiva, ſed ſubjectiva.

Urgebis: quando materia prima producta eſt, potentiam objectivam immediatè per ſuam entitatem explevit; potentia namque objectiva ſeu poſſibilitas rei, tunc impletur, quando res ipſa producitur; ergo cùm potentia non niſi

per

per actum expleatur, debet materia prima immediatè ſecundùm ſuam entitatem habere actum.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. Nam quamvis potentia poſitiva, ſive ſubjectum exceptivum formæ, non niſi per actum aut formam expleatur; de potentia tamen negativa, quæ eſt mera alicujus ut producatur non repugnantia, non ita dicendum eſt; ſufficit enim ad hujuſmodi potentiæ expletionem, ut id quod non repugnabat, producatur, quicquid tamdem illud ſit, ſive ſit actus, ſive ſubjectiva potentia, ſive aliquid ex utroque conflatum.

Objicies ſecundò: Materia prima aliquem habet actum: ergo ſaltem entitativum. Conſeq. patet. Prob. ant. participatio actus puriſſimi aliquem actum habeat neceſſe eſt: atqui materia prima eſt participatio actus puriſſimi, ſcilicet Dei; quandoquidem omnis creatura eſt quædam participatio aut emanatio Dei: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo ma. participatio actus puriſſimi, ut actus eſt, aliquem actum habeat neceſſe eſt, concedo: participatio actus puriſſimi, præcisè ut ens eſt, nego. Etſi autem materia prima ſit actus puriſſimi, Dei nempè, quædam participatio; non tamen ut eſt actus, ſed tantùm ut ens eſt: quemadmodùm verò licèt lapis Deum participet, qui ſummè eſt intelligens; attamen quia eum non participat, ùt eſt intelligens, ſed ſolùm ut ſubſtantia eſt, lapis eſt quidem ſubſtantia, at non intelligens: ſic pariter quamvis materia prima ſit actus puriſſimi particeps, nihilominus quia in actus puriſſimi, non ut eſt actus, ſed duntaxat ut ens eſt, participationem venit, debet quidem eſſe ens, at propterea ſibi actum vendicet neceſſe non eſt.

Urgebis: ſubſtantialis forma tametſi actus phyſicus; ex omnium tamen conſenſu, expers non eſt omnis potentialitatis: ergo pariter mate-

ria

ria prima, quamquam potentia physica, attamen omnis actualitatis expers censenda non est.

Respondeo negando paritatem: disparitas est clara, etenim soli actui puro proprium est, ut omni prorsùs careat potentialitate: ratio autem puri actus nulli creaturæ competere potest, sed Deo soli; ideòque mirum non est, si forma substantialis, quæ est quid creatum, aliquam includat potentialitatem. At non apparet, quo pacto repugnet, inter creaturas inveniri aliquam, quæ sit pura potentia, quæque proinde sit expers omnis planè actualitatis; id namque designatur puræ potentiæ nomine; hæc verò potentia suprà alio vocabulo *materia prima* nuncupatur.

Objicies tertiò: quod est bonum, actualitatem aliquam includit: atqui materia prima ex se bona est: ergo &c. Ma. ex eo patet, quòd omnis bonitas in perfectione fundatur, ut docent omnes; proindèque quod bonum est, perfectionem includit, & consequenter actualitatem; omnis namque perfectio, actualitas quædam est. Min. etiam claret; nam bonitas transcendentalis est proprietas entis, & ita quod est ens, est quoque bonum; materiam verò primam ex se esse ens, negat nemo. Tum etiam quia quod alteri conveniens est, bonum est, cùm in hac convenientia sit maximè posita bonitas: materia autem prima, saltem dum est ad formæ receptionem parata, & formæ, & composito substantiali physico, conveniens est.

Respondeo distinguendo ma. quod est bonum bonitate formali, actualitatem aliquam includit, concedo ma. quod est bonum sola bonitate transcendentali, actualitatem aliquam includit, nego ma. & ad min. similiter dicendum est, materiam primam ex se quidem esse bonam bonitate transcendentali, non tamen formali. Circa quod diligenter notandum est, bonitatem esse duplicem, unam transcendentalem, formalem alteram. Bonitas formalis dicitur, quæ ex forma

aut

aut actu ortum ducit, & hæc bonitas ſemper
perfectione ſeu actualitate fundatur; unde qu
bonum eſt bonitate formali, ſine ulla dubitat
ne, perfectionem vel actualitatem includi
Bonitas verò tranſcendentalis nuncupatur, qu
quamcumque entitatem conſequitur; ſive h
entitas perfectionem aut actualitatem incl
dat, ſive non; unde ut aliquid ſit hac bon
tate bonum, opus non eſt, ut ſit in eo pr
pria perfectio, propriaque actualitas; ſed
ſatis, ut integram in ſuo genere habeat entit
tem. Materia autem prima ex ſe non eſt b
na bonitate formali, ſed ſolùm tranſcendent
li. Neque materia prima ad formæ recepti
nem parata, formæ & compoſito ſubſtantia
phyſico conveniens eſt convenientia formali au
actuali, ſive per modum formæ aut actus; ſe
convenientia tranſcendentali ſolùm vel potenti
li, id eſt, per modum puræ potentiæ, ad fo
mam recipiendam, & compoſitum conſtituen
dum paratæ.

§. IV.

*Quo pacto materia prima ex ſe actum metaphyſi
cum ſpecificum non habeat, declaratur.*

QUamvis in confeſſo ſit apud omnes, mate
riam primam ex ſe actum metaphyſicum
ſpecificum propriè & rigoroſè nſurpatum non
habere, id eſt, differentiam ſpecificam, ad
naturam ſpecificam totalem & completam con
ſtituendam, ordinatam, eo quòd materia
prima ex ſe non ſit natura ſpecifica totalis &
completa, ſed ſolùm naturæ ſpecificæ cujusli-
bet compoſiti phyſici pars, ut dictum eſt ſuprà:
attamen docent Suarez, & alii plures, materiam
primam ex ſe actum metaphyſicum ſpecificum
ſaltem incompletum, ſeu differentiam ſpeci-
ficam incompletam, ſibi vendicare; qua &

eſſen-

ſſentialiter diſcrepet à forma, & fiat una ſpecie incompleta.

Sed hi authores nominibus *differentiæ* & *ſpeciei* planè abutuntur. Nam ex communi omnium Philoſophorum doctrina, in hoc ſpecies à genere & differentia diſcriminatur, quòd genus & differentia ſunt gradus partiales & incompleti; ſpecies verò eſt natura totalis & completa, ex utroque gradu generis & differentiæ conſtituta. Dividere igitur differentiam vel ſpeciem in completam, & in incompletam, eſt manifeſtus terminorum abuſus. Non eſt ergo in ullo ſenſu proprio concedenda materiæ primæ differentia ſpecifica, etiam incompleta, ad ſpeciem incompletam conſtituendam, ut volunt adverſarii, ordinata; ſed in ipſa ſecundùm ſe ſpectata ponenda eſt duntaxat differentia omninò impropriè & latiſſimè ſumpta, nempè ratio aliqua, qua eſſentialiter à forma diſtinguatur, quæ eſt puræ potentiæ ratio; ita ut intantùm eſſentialiter diſcrepent materia prima, & ſubſtantialis forma, inquantùm forma eſt actus ſubſtantialis materiæ primæ informativus, & materia prima eſt pura potentia ſubſtantialis hujuſmodi actus ſuſceptiva. Unde facilè ſolvuntur omnia adverſariorum argumenta.

Objiciunt ergo primò: quod eſſentialiter differt ab alio, differentiam habet eſſentialem, ac proinde ſpecificam: atqui materia prima ex ſe eſſentialiter differt à forma, ut conſtat ſatis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod eſſentialiter differt ab alio, tanquam natura actualis & completa, ex actu & potentia compoſita, differentiam habet eſſentialem, ac proinde ſpecificam, concedo: quod eſſentialiter differt ab alio, tamquam pura potentia, differentiam habet eſſentialem; ſubdiſtinguo: differentiam habet eſſentialem omninò impropriam & latiſſimè ſumptã,

in

in ratione puræ potentiæ consistentem, co
differentiam habet essentialem propriè dic
in actualitate positam, nego. Materia
prima ex se per modum puræ potentiæ dunt
essentialiter differt à forma: unde materia p
non tam est differens à forma, quàm diver
ipsa.

Instant: saltem materia cœlestis, & mat
sublunaris, ad se mutuò comparatæ, propriè
ctas habent differentias; quod sic potest decla
ri: materia cœlestis, & materia sublunaris, p
rationem potentiæ non differunt, sed potiùs in
conveniunt; cùm apud Thomistas ambæ sint po
tentiæ: ergo supereſt, ut per propriè dictas diffe
rentias distinguantur.

Respondeo negando, materiam cœlestem, &
materiam sublunarem, ad se mutuò comparatas,
propriè dictas habere differentias. Ad cujus
prob. concesso ant. nego conseq. quamvis ete
nim materia cœlestis, & materia sublunaris,
essentialiter distinguantur, non tamen per pro
priè dictas differentias, sed per diversos ordines
ad formas cœlestes, & sublunares. Materia quip
pe sublunaris, quatenùs ordinem exprimit ad
formas sublunares modo amissibili habendas,
essentialiter à materia cœlesti discriminatur, quæ
ordinem sibi vindicat ad formas cœlestes modo
inamissibili habitas. Hi autem duo ordines non
sunt differentiæ specificæ propriè dictæ, eo quòd
non sunt actus, sed pura materiæ sublunaris &
materiæ cœlestis potentia, ut ad formas sublunа-
res & cœlestes diversè ordinata.

Urgent: si differentiæ specificæ in materia sub-
lunari, & in materia cœlesti, propriè non inve-
niantur, in eis quoque genus propriè dictum non
reperietur; quandoquidem genus propriè sum-
ptum, absque differentiis specificis proprie acce-
ptis ipsum contrahentibus esse non potest: fal-
sum autem videtur, genus propriè usurpatum,
in materia sublunari, & in materia cœlesti, pro-

priè

priè non reperiri: nam genericè in ratione communi potentiæ passivæ, substantialis formæ receptivæ, propriè conveniunt.

Respondeo, genus etiam propriè usurpatum in materia sublunari, & in materia cœlesti, propriè non reperiri; nam genus propriè sumptum in speciebus propriè dictis dumtaxat invenitur: materia verò sublunaris, & materia cœlestis, cùm non sint naturæ completæ & totales, propriè non sunt species: unde genericè in ratione communi potentiæ passivæ, substantialis formæ receptivæ, propriè non conveniunt, sed impropriè tantùm; quatenus ratio communis potentiæ passivæ, substantialis formæ receptivæ, est in illis genus solùm impropriè, accipiendo genus impropriè & latè, pro quacumque ratione communi.

Objiciunt secundò: si materia prima ex se differentiam specificam non haberet, deberet illam à forma substantiali desumere: atqui materia prima differentiam specificam à forma substantiali non desumit: ergo &c. Maj. est Thomistarum doctrina. Prob. min. differentia specifica est essentialis: atqui materia prima differentiam essentialem à forma substantiali non sumit: ergo &c. Maj. certa est. Prob. min. Primò ex D. Thom. 1. p. qu. 44. ar. 2. ubi sic fatur: *Considerandum est, quòd materia per formam contrahitur ad determinatam speciem; sicut substantia alicujus speciei, per accidens ei adveniens contrahitur ad determinatum modum essendi: ut homo contrahitur ad album.* Quibus verbis apertè docet, id omnino quod materia à forma accipit, ei esse accidentale.

Secundo: si materia prima differentiam essentialem à substantiali forma desumeret, sequeretur materiam primam in homine existentem essentialiter differre à materia prima in leone: cùm enim forma hominis, & forma leonis essentialiter differant, ab ipsis deberent ema-

...ria leonis, et
...ingerentur; & tamen secundùm
nem Thomistarum sententiam, mater-
mine, leone, & aliis omnibus composi-
naribus, ejusdem est essentiæ & rationi-

Tertiò: si materia prima in leone differ-
essentialem ab ejus forma mutuatur; quan-
moritur, & desinit ejus forma, etiam
essentialis materiæ primæ differentia; cùm
principium, scilicet leonis forma, tunc per-
atqui quando leo moritur, non deficit essen-
lis materiæ primæ differentia: ergo &c. Min.
detur clara: nam deficiente essentiali alicujus
rei differentia, res illa totaliter pereat necesse
est; quando verò moritur leo, ejus materia pri-
ma totaliter non perit, sed remanet in genito;
ut docent omnes Peripatetici.

Respondeo ex doctrina citata D. Thomæ,
non solùm materiam primam, sed etiam totum
compositum physicum substantiale, differentiam
specificam à forma substantiali desumere; cùm
hoc tamen discrimine, quòd totum compositum
physicum substantiale differentiam specificam
à forma substantiali primariò desumit, tanquam
suæ naturæ specificæ essentiale constitutivum:
at materia prima differentiam specificam so-
lùm secundariò à substantiali forma desumit,
quatenùs nimirum est potentialis & determina-
bilis pars totius compositi physici substantialis
per differentiam specificam essentialiter constitu-
ti; hoc ipso etenim quòd differentia specifica est
essentiale totius compositi physici substantia-
lis constitutivum, est necessè, ut ei primariò &
essentialiter competat, & secundariò parti po-
tentiali ac determinabili ejusdem compositi, ma-
teriæ nempe primæ; non quidem eam essentia-
liter constituendo, sed ipsam accidentaliter lo-
gicè contrahendo, ac determinando ad speciem
totius compositi physici substantialis. Diffe-
ren-

rentia igitur specifica est essentialis toti compo-
to physico substantiali, & ut accidens logicum
duntaxat convenit materiæ primæ; quæ aliam
non petit differentiam specificam sibi essentia-
lem, eo quòd sit pura potentia omnis actualita-
tis sibi propriæ & essentialis incapax.

Unde in forma sic facilè respondeo, distin-
guendo maj. si materia prima ex se differen-
tiam specificam non haberet, deberet illam
secundariò à forma substantiali desumere, con-
cedo maj. deberet eam primariò desumere, ne-
go: & distinguenda est similiter min. atqui ma-
teria prima differentiam specificam à forma sub-
stantiali primariò non desumit, concedo min.
secundariò non desumit, nego; & conseq. pari-
ter neganda est. Ad prob. min. distinguo iterum
maj. differentia specifica est essentialis ei, cui pri-
mariò competit, cujusmodi est totum physi-
cum substantiale, concedo maj. est essentialis
triam ei, cui secundariò tantùm convenit, qua-
is est materia prima, prout est potentialis & de-
rminabilis pars totius compositi physici sub-
ntialis, nego: & similiter distinguenda est
m. atqui materia prima differentiam sibi essen-
m à forma substantiali non sumit, concedo
materia prima differentiam toti composito
o substantiali essentialem à forma substan-
cundariò non sumit, nego. Et sub distin-
data, conseq. neganda est.

rimam prob. min. ex D. Thoma deprom-
responsio patet ex dictis. Ad secundam
m. distinguendum est ex doctrina tra-
que concedendum, materiam homi-
teriam leonis, essentialiter fore distin-
rma hominis, & à forma leonis diffe-
erent sibi essentiales; at id est negan-
teria hominis, & materia leonis de-
orum formis differentias homini
oni essentiales, at sibi accidenta-
lem, sicut sit reipsa. Ad

prob. ejusdem min. ex dictis respondeo, quando leo moritur, & desinit ejus form ficit quidem essentialis differentia leonis, sat solùm materiæ primæ accidentalis logic ferentia; ac proinde verum non est, si tot tunc non pereat materia prima.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vtrum Materia prima sibi propriam vendicet existentiam?

§. I.

Quædam prænotantur, & relatis sententiis, vera eligitur, & authoritate D. Thomæ firmatur.

NOtandum est primò, nomine existentiæ, Philosophos omnes intelligere ultimam entis actualitatem, qua nempè unumquodque ens est actu extra nihilum & causas positum. Hinc una omnium voce nuncupatur existentia, *entis extra nihilum & causas sistentia.*

Notandum est secundò, atque supponendum, tanquam apud omnes indubitatum, quòd si materia prima esset, vel atomorum congeries, ut censent Gassendi discipuli; vel in longum, latum, & profundum extensio, ut Cartesiani docent; ipsa sibi propriam vendicaret existentiam. Tunc etenim pura potentia non foret, omnis prorsùs actualitatis expers; sed entitas quædam esset simpliciter actualis, ut recentiores illi ultrò fatentur; entitati autem simpliciter actuali propria convenit existentia. At accerimè inter se digladiantur alii Philosophi, an materiæ primæ, in schola Peripatetica, in qua est pura potentia, propria existentia sit tribuenda?

Unde duæ sunt celebres Philosophorum sententiæ. Prima asseverat, materiam primam ex se

se propriam habere existentiam, incompletam tamen & partialem. Hanc opinionem tuentur Scotistæ cum subtili Doctore: quibus consentit Suarez, & numerosa recentiorum cohors.

Secunda est omnium Thomistarum cum Angelico præceptore; asseritque ista sententia, materiam primam ita puram esse potentiam, ut ex se nullam omninò habeat existentiam. Cui sententiæ libentissimè adhæreo. *Dico*: materia prima ex se nullam planè sibi vendicat existentiam; sed eadem est materiæ, formæ, & totius compositi physici substantialis, existentia.

Probatur primò ex D. Thoma. In primis enim Angelicus Doctor 1. p. q. 7. a. 2. 2. 3. sic fatur: *Materia non existit in rerum natura per seipsam; cùm non sit ens in actu, sed in potentia tantùm*: & q. 4. de potent. art. 1. sic ait: *Quicquid in rerum natura invenitur, actu existit; quod quidem non habet materia, nisi per formam, quæ est actus ejus*: & 1. qu. 2. art. 4. ad 2. sic iterum loquitur: *Animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem; & hoc ideò, quia est idem esse formæ & materiæ, & hoc idem est esse compositi*. Quibus in locis, & aliis innumeris, docet apertè, materiam primam per seipsam non existere, sed per formæ existentiam, quæ est ipsa compositi existentia.

Communis responsio adversariorum est, D. Thomam his & similibus in locis velle tantùm, materiam primam non existere per seipsam existentia totali & completa, independenter à forma & toto composito; benè tamen & verè, existentia partiali & incompleta.

Sed contra instatur: nam in primis, si materia prima, & substantialis forma, ex seipsis proprias habent existentias partiales & incompletas, à se invicem distinctas, ut adversarii docent; quonam pacto verum est, quod asserit Doctor sanctus, esse unum quòd materiæ & formæ idem sit esse, scilicet idem utriusque existentia?

Ne-

Neque satis fit, si respondeatur, D. Tho-
affirere, unam & eandem esse materiæ & fo-
existentiam; quia earum existentiæ partiali
incompletæ unam totalem compositi exis-
tiam constituunt. Non satisfacit, inquam. Na
alioquin etiam affirmari licebit, unam & eand
esse materiæ & formæ entitatem, atque exis
tiam; quia ex earum entitatibus & existentiis par-
tialibus & incompletis coalescit una totalis com-
positi entitas, atque existentia: quod apud D. Tho-
mam, & Philosophos omnes, inauditum est.

Deinde affirmat Angelicus doctor loco ab-
moralato, non existere materiam & formam
nili per existentiam totius compositi: cum ip-
sarum totius compositi existentia totalis & com-
pleta, ut dictum est; certe ipse Angelicus fate-
tur, materiam & formam non existere, nisi per
existentiam totalem atque completam: pro-
ergo à mente S. Thomæ fuit existentias materiæ
& formæ partiales & incompletas.

Præterea, si D. Thomas in materia prima
cundùm se spectata existentiam incompletam
& partialem ipsi propriam agnosceret: eâm
modo, quo materia prima existit, innumeris
locis loquatur, id profectò in loco indicaret
cùm ergo è contrario perpetuò & universaliter affir-
rat, materiam primam non habere existentiam
sibi propriam, sive non existere in rerum natura
per seipsam, sed per formam aut formæ exis-
tiam, quam etiam vult esse totius compositi ex-
stentiam; apertissimum est, S. Doctorem ma-
teria prima secundùm se sumpta nullam agno-
scere existentiam ipsi propriam, quantumvis in-
completam & partialem; sed hanc existentiam
esse ab ejus mente penitùs alienam.

§. II.

§. II.

Eadem confirmatur ratione præcisa.

PRobatur secundò ratione desumpta ex famosissimo Præceptore, locis citatis: apud Aristotelem & Peripateticos omnes, materia prima ex se est pura potentia: ergo ex se existentiam non habet. Prob. conseq. sicut enim purus actus, ex se nullam planè potentialitatem includit, ita pura potentia nullam ex se actualitatem involvat necesse est; existentia verò est quædam actualitas, imò ultima in ordine entis; unde communis ac solita descriptio entis hæc est: *Ens est id, cujus actus* (seu ultima actualitas) *est esse* (seu existere.)

Respondent adversarii, & concedunt materiam primam secundùm se acceptam esse quidem puram potentiam physicam, quatenùs ex nullum actum physicum, seu nullam substantialem formam, exprimit: at negant, illam esse puram potentiam metaphysicam, ita nullum ex se habeat actum metaphysicum, quibus est existentia.

Sed contra instatur: nam cùm ordo metaphysicus non sit factitius aut chimæricus, ut apud omnes planum est; necesse est prorsùs, ut in illo fundetur: si igitur materiæ primæ secundùm se spectatæ in ordine metaphysico tribuatur, oportet, ut actus iste metaphysicus sit in actu physico fundatus; idcòque materia prima ex se actum habeat metaphysicum necesse est, ut ex se actum physicum habeat; quippè sit actus metaphysici fundamentum: ac proinde si materia prima sit ex se pura potentia physica, nullum actum physicum involvens, perspicuum est, necesse esse, ex se pura sit potentia metaphysica nullum actum metaphysicum involvens actum metaphysicum; alioquin

quin actus iſte metaphyſicus foret fictitius
mericus, eo quòd nullum ei reſponderet f
mentum.

Probatur tertiò alia efficaci ratione, qua
propono: exiſtentia, juxta communem om
loquendi modum, eſt entis extra omnes
ſas ſiſtentia; ut igitur aliquid exiſtentiam
re dicatur, debet extra omnes ſuas cauſas
ſeu poni: atqui materia prima ex ſe & i
pendenter à forma non eſt extra omnes
ſas ſuas poſita: ergo &c. Prob. min. tres
cauſæ materiæ, nimirum finalis, efficien
formalis: atqui materia prima ex ſe, & i
pendenter à forma, non eſt præſertim e
cauſam formalem poſita: ergo &c. Maj. c
eſt. Prob. min. quando effectus influxum
cauſæ nondum terminavit, non cenſetur a
Philoſophos extra illam poſitus, ſed potiùs
huc in ea contentus; ſi verò materiam prim
conſideres ſecundùm id, quod habet ex ſ
independenter à forma, nondum influx
formæ, ſeu cauſæ formalis, terminav
quandoquidem materia prima conſidera
prout influxum formæ terminavit, eſt ipſa
ſtata ſecundùm id, quod ab influxu form
ſive à forma influente accepit, & depender
ab illa; materia prima igitur accepta ſecund
id, quod ex ſe & independenter à forma
vendicat, non eſt extra formam aut cauſam f
malem poſita, proindèque extra omnes cau
ſiſtentiam ſeu exiſtentiam non habet.

Probatur quartò; quod ex ſe exiſtit, ratio
ſui exiſtit, ut patet: atqui materia prima rati
ne ſui non exiſtit: ergo &c. Prob. min. cùm ex
ſtentia per productionem agentis accipiatur
eo modo aliquid exiſtit, quo ab agente prod
citur: atqui materia prima ratione ſui ab agen
non producitur: ergo &c. Prob. min. eo mod
aliquid ab agente producitur, quo ab eo inten
ditur, cùm productio agentis per ejus intentio

nem

nem reguletur: atqui materia prima ratione sui ab agente non intenditur: ergo &c. Min. ex eo prob. quòd partes ratione sui ab agente non intenduntur, sed solùm ratione totius, cùm agens non intendat partes, nisi ut ex eis coalescat totum; materia autem prima & substantialis forma sunt totius physici partes, ut omnes Peripatetici fatentur.

§. III.

Præcipuæ adversariorum objectiones solvuntur.

OBjicies primò: essentia & existentia in creatis realiter non distinguuntur, sed realiter idem sunt: ergo cùm materia prima ex se propriam sibi vendicet essentiam partialem, debet quoque propriam habere existentiam.

Respondeo, hoc argumentum, quod adversariorum potissimum est fundamentum, fusè in Metaphysica esse solvendum; ubi à Thomistis demonstratur, in creatis, inter essentiam & existentiam, distinctionem realem esse ponendam.

Objicies secundò: si materia prima propriam non haberet existentiam, per existentiam formæ & compositi existere deberet: atqui per existentiam formæ & compositi materia prima non existit: ergo &c. Maj. est ipsa Thomistarum doctrina. Prob. min. si materia prima existeret per solam formæ & compositi existentiam, eis non præexisteret, sed simul cum illis dumtaxat existeret; ut patet: atqui ipsis præexistit: ergo &c. Min. ex eo constat, quòd causa præexistit causato; materia autem prima est formæ & compositi materialis causa, ut infrà clarebit. Tum etiam quia recipiens præexistit recepto; materia verò prima recipit formam.

Reſpondeo conceſſa maj. negando minor. ad cujus prob. conceſſa iterum maj. nego minor. collectivè & univerſaliter ſumptam; quamvis enim materia prima in priori compoſito, & ſub priori forma, præexiſtat huic vel illi compoſito de novo genito diviſivè accepto, & huic vel illi formæ diviſivè ſumptæ; attamen in prima rerum productione, materia prima non præextitit omni compoſito collectivè & univerſaliter accepto, omnique formæ collectivè & univerſaliter ſumptæ; etenim licèt materia in prima productione rerum fuerit compoſito & forma prior, non tamen prioritate durationis & præexiſtentiæ, ſed ſola naturæ & receptionis prioritate, tamquam cauſa materialis & receptiva formæ conſtitutivæ compoſiti; unde ad primam prob. min. diſtinguendum eſt: cauſa præexiſtit cauſato; cauſa efficiens, concedo: cauſa materialis, quæ eſt pura potentia receptiva, qualis eſt materia prima, nego. Ad alteram prob. diſtinguo etiam: recipiens præexiſtit recepto: ſi ſit recipiens formam accidentalem, concedo (nam cùm forma accidentalis det ſubjecto ſolùm eſſe ſecundùm quid, utpote eſſe accidentale, eſſe ſimpliciter in ſubjecto recipiente ſupponit; habens autem eſſe ſimpliciter, exiſtit: ſubjectum igitur formam accidentalem recipiens, præexiſtat neceſſe eſt:) ſi ſit recipiens ſubſtantialem formam, nego; nam cùm è contrà forma ſubſtantialis tribuat ſubjecto ſui receptivo eſſe ſimpliciter, utpote eſſe ſubſtantiale, non ſupponit ſubjectum receptivum exiſtens, ſed facit; materia autem immediatè non recipit formam accidentalem, ſed ſubſtantialem.

Inſtabis: eo inſtanti exiſtit cauſa, quo cauſat: atqui materia prima eo inſtanti, quo concipitur forma prior, eam cauſat, ipſam nempè recipiendo: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. eo inſtanti exiſtit

ſtit efficiens cauſa, quo cauſat, concedo: eo inſtanti exiſtit materialis cauſa, quo cauſat, ſubdiſtinguo: exiſtit exiſtentia deſumpta à forma, quam eodem inſtanti recipit, concedo: exiſtit exiſtentia propria, qua præexiſtat formæ, nego: & conceſſa min. diſtinguendum eſt conſequens diſtinctione data; unde, ut jam dictum eſt, prioritas materiæ, qua formam præcedit, non eſt præexiſtentiæ & durationis, ſed ſolùm naturæ & receptionis, cum exiſtentiæ ſimultate.

Inſtabis ſecundò: materia in eo primo inſtanti non eſt nihil; alioquin cùm tunc è materia educitur forma, ipſa forma è nihilo produceretur, proindèque crearetur; quod inauditum eſt: ergo tunc materia eſt entitas realis exiſtens.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſeq. ergo tunc materia eſt entitas realis exiſtens exiſtentia formæ, quam eodem momento accipit, concedo: tunc materia eſt entitas realis exiſtens exiſtentia propria, nego. Unde in hoc adverſarii hallucinantur, quòd exiſtiment, inſtans, quod formam antecedit, eſſe *inſtans in quo* materia concipiatur exiſtens ſine forma: cùm enim ex adverſariorum conſenſu, eo inſtanti apprehendatur materia ut recipiens formam, ſine ipſa tunc nequit concipi: eſt igitur tantùm *inſtans à quo*, quatenùs percipitur materia eo inſtanti, tamquam materialis cauſa, à qua excipitur forma.

Objicies tertiò: quod dat eſſe alicui, eſſe præhabeat neceſsè eſt; ut enim commune fert adagium: *Nemo dat quod non habet*: atqui materia prima ex ſe dat eſſe formæ, totique compoſito phyſico ſubſtantiali: ergo &c. Min. ex eo prob. quòd omnis cauſa dat eſſe effectui; materia autem ex ſe eſt cauſa formæ totiuſque compoſiti phyſici ſubſtantialis; ut certum eſt.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quod activè dat

eſſe alicui, eſſe præhabeat neceſsè eſt; concedo (in quo ſenſu intelligendum eſt illum adagium; *Nemo dat quod non habet*) quod paſſivè dat eſſe alicui, eſſe præhabeat neceſsè eſt, nego: omnis quippe cauſa activa & efficiens debet actu præhabere quod dat, ut ex ipſis terminis patet; ideòque dum dat eſſe, actu præhabeat eſſe eſt neceſſe; at cauſa paſſiva ſeu receptiva non debet actu præhabere aut præcontinere, quod patiendo ſeu recipiendo dat effectui; ſi etenim illud actu jam præhaberet, id recipere non egeret: ſufficit ergo, ut in potentia illud præhabeat, quod dat; materiæ autem non dat activè & efficienter eſſe formæ & toti compoſito ſubſtantiali phyſico, tanquam cauſa ipſorum activa & efficiens; ſed paſſivè ſolùm, ſeu receptivè, ſive tamquam cauſa paſſiva aut receptiva: recipiendo ſcilicet formam totius compoſiti phyſici ſubſtantialis conſtitutivam, & ſic exiſtentiæ, quod ipſam conſequitur. Ex ſo ſatisfit toti argumento.

Objicies quartò: Cùm productio ad exiſtenm terminetur, quod productum eſt, exiſtit: ui materia prima ſecundùm ſe ſpectata, & dependenter à forma, producta eſt; quandoquidem ita conſiderata non eſt nihil: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod completè productum eſt, exiſtit, concedo: quod incompletè ſolùm productum eſt, exiſtit, nego. Unde cùm dicitur: *Productio ad exiſtentiam terminatur*; hoc intelligendum eſt de productione completè uſurpata, prout nempè non tantùm cauſæ efficientis influxum complectitur, ſed etiam prout cum influxibus aliarum cauſarum conjungitur; cùm apud Philoſophos, exiſtentia non dicatur, extra cauſam efficientem, ſed extra omnes cauſas, ſiſtentia: eſto verò materia ſecundùm ſe ſpectata, & ut eſt independens à forma, ejuſque influxum prævenit, ſit incom-

completè producta, accipiendo productionem, prout ſolum cauſæ efficientis influxum exprimit non eſt tamen completè producta; cùm, ut ſupponunt adverſarii, nondum concipiatur formæ, ſeu cauſæ formalis influxus.

Inſtabis: ſi materia prima ſecundùm ſe eſt incompletè producta: ergo ſecundùm ſe incompletam habet exiſtentiam; ſicut enim quod completè producitur, completam accipit exiſtentiam; ita etiam quod incompletè producitur, incompletam conſequi debet exiſtentiam.

Reſpondeo negando hanc conſeq. tum quia exiſtentia eſt eſſentialiter extra omnes cauſas ſiſtentia, proindèque neceſſariò ſupponit omnium cauſarum influxum, & ita productionem completam. Tum etiam, quia exiſtentia incompleta repugnat; etenim quod incompletum eſt, poteſt compleri: eſt autem aperta repugnantia, ut exiſtentia ulteriùs compleatur & actuetur, cùm ſit eſſentialiter ultimum entis complementum, ultimaque ejus actualitas, ut ex dictis patet, & ampliùs in Metaphyſica conſtabit.

§. IV.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjicies quintò: quæ diſtinctis actionibus producuntur, diſtinctas ac proprias habent exiſtentias, cùm actio productiva ad exiſtentiam effectui tribuendam tendat: atqui materia prima, & ſubſtantialis forma leonis, v. gr. diſtinctis actionibus producuntur: ergo &c. Prob. min. nam materia prima ab initio mundi per creationem facta eſt; forma verò leonis, & leo ipſe, per actionem eductivam vel generativam quotidiè producuntur; creatio autem, & eductio vel generatio, diſtinctæ ſunt actiones.

leve ad aſcendendum, movet. Tunc verò Deus ſupernaturali & extraordinaria atque abſoluta utitur potentia, quando eum ex virtute infinita ſupra vel contra conſuetum rerum ordinem & naturæ exigentiam cernimus operari: ut dum in Incarnatione Divini Verbi fecit Deus, Virginem eſſe matrem; dum corpora gravia ſurſum tollit, & demittit levia deorſum. Deus igitur hac vel illa potentia id omne poteſt, quod in ſuo conceptu contradictionem non includit: quod verò contradictionem involvit, efficere nequit, cùm id rectæ repugnet rationi, & rectæ rationi repugnantia Deus non agat. Unde montem ſine valle, flumen ſine aqua, & ſine arboribus ſilvas, ſupremum Numen præſtare non poteſt.

Notandum eſt ſecundò, apud Philoſophos communiter eſſe certum, de potentia naturali & ordinaria fieri non poſſe, ut materia ſit ſine ulla forma; etenim ſecundùm naturalem & ordinariam potentiam, ſive juxta conſuetum rerum ordinem, diſpoſitiones quæ ex materia unam depellunt formam, aliam in ipſam inducunt: ideòque corruptio unius eſt alterius generatio, ut vulgò dicitur. At an divinitùs, ſeu ex ſupernaturali & extraordinaria atque abſoluta potentia Dei, poſſit materia prima omni forma privari, & ſic nudata exiſtere? celebris eſt controverſia; unde hac in re, duæ ſunt Philoſophorum ſententiæ.

Prima affirmat, id eſſe poſſibile; quam tuentur Scotiſtæ cum ſubtili Doctore, eamque amplexatur Suarez cum ingenti recentiorum turba.

Secunda cenſet è contrà id repugnare, & nulla poſſe fieri potentia. Quam ſententiam defendunt Thomiſtæ omnes cum Angelico Præceptore locis infrà referendis; nec non cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſt. 12. c. 5. &

D. Bo-

D. Bonaventura ibidem quæſt. 1. art. 1. quibus aſſentiuntur Durandus, Ægidius, aliique per multi.

§. II.

Concluſio ſtabilitur.

DIco: Materia prima nequit, etiam divinitùs, exiſtere ſine forma. Ita D. Thomas quodlib. 3. art. 1. ubi hæc habet verba: *Quòd aliquid ſit & non ſit, à Deo fieri non poteſt, neque aliquid involvens contradictionem, & hujuſmodi eſt, materiam eſſe ſine forma*: & 1. p. q. 66. art. 1 ſic iterum fatur: *Dicere, materiam præcedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu; quod implicat contradictionem*: & ita innumeris in locis.

Probatur primò ratione, qua utitur Doctor ſanctus locis allatis: Quod implicat contradictionem, Deus abſoluta potentia præſtare non poteſt; ut una voce fatentur omnes: atqui materiam primam exiſtere ſine forma, apertam implicat contradictionem: ergo &c. Prob. min. aliquid actu exiſtere, & ſimul actu non exiſtere, manifeſtam involvit contradictionem; ut patet: atqui ſi materia prima exiſteret ſine forma, exiſteret actu, & ſimul actu non exiſteret: ergo &c. Prob. min. & in primis; actu itunc materia exiſteret, ut ſupponitur; actu verò non exiſteret, quia exiſtentia careret; cùm enim materia totam exiſtentiam ſuam à forma mutuetur, ut in præcedenti articulo oſtenſum eſt; neceſſe eſt planè, ut ſi ſeparetur à forma, omni prorsùs careat exiſtentia.

Probatur ſecundò, & confirmatur: intelligitur exiſtentiæ nomine, ut ſæpè dictum eſt, entis extra omnes cauſas ſiſtentia; ut igitur alicui exiſtentia tribuatur, debet ſiſti extra omnes cauſas, ſive extra eas omnes poni: atqui ma-

teria à forma ſeparata extra omnes cauſas non ponitur: ergo &c. Prob. min. tres ſunt cauſæ materiæ, nempè cauſa finalis, efficiens, & formalis; materia autem à forma ſeparata, extra cauſam formalem, ſeu extra formam, minimè ſiſtitur; nam quemadmodum ut aliquid extra cauſam efficientem ſiſtatur, debet ab ea produci; ita pariter ut materia extra cauſam formalem, ſive extra formam, ponatur, debet ab ea informari: ſi verò materia ſejungatur à forma, clarum eſt, materiam à forma non informari, cùm materia non informetur à forma, niſi ei conjungatur.

Reſpondent quidam ex adverſariis, materiam primam non pendere à forma ſubſtantiali, ſicut à cauſa; ſed ſicut ab effectu dumtaxat, qui per eductionem ex materia, entitatem ſuam ab ipſa accipit, ſaltem ſi forma ſit materialis.

Sed contra ſic arguitur: ſubſtantialis forma eſt verè formalis cauſa materiæ: ergo materia pendet à ſubſtantiali forma, ſicut à cauſa. Conſeq. evidens eſt. Prob. ant. ſicut cauſa finalis cauſat, ad ſui appetitum movendo, cauſa efficiens, agendo, & cauſa materialis, recipiendo; ita cauſa formalis cauſat, informando; forma igitur ſubſtantialis illius eſt cauſa formalis, quòd informat: atqui ſubſtantialis forma informat materiam primam, ut patet: ergo &c. Unde dum dicunt adverſarii, formam ſubſtantialem, ſi materialis ſit, eſſe materiæ effectum; hoc quidem verum eſt in genere cauſæ materialis; at in genere cauſæ formalis, non eſt materiæ effectus, ſed cauſa.

§. III.

§. III.

Argumenta adversariorum dissolvuntur.

OBjicies primò: quæ realiter distinguuntur, possunt saltem divinitùs separari, & existere seorsum separata: atqui materia prima, & substantialis forma, realiter distinguuntur; ut certum est; ergo &c. Ma. ex eo probant adversarii, quòd nullum est majus & evidentius signum realis distinctionis aliquorum, quàm mutua eorum separatio.

Respondeo primò negando ma. nam in homine, v.g. anima rationalis, & motus vitalis corporis, realiter distinguuntur, ut apertum est; cùm anima rationalis sit entitativè immaterialis & motus ille sit entitativè materialis: & tamen motus vitalis corporis in homine, etiam divina virtute, nequit ab anima rationali separari, & existere sine illa; pendet namque essentialiter ab anima motus vitalis: non est igitur vera universalis illa propositio: *Quæ realiter distinguuntur, possunt divinitùs separari, & existere seorsum separata.*

Nec urget, quòd mutua aliquorum separatio sit evidentissimum realis distinctionis eorum signum; etenim hoc quidem verum est, sed inde haud rectè universim infertur, quæ realiter distinguuntur, posse divinitùs separari; plura enim sunt, quæ aliunde, quàm ex mutua separabilitate, realiter possunt distingui; v. g. quia unum realiter pendet ab alio; quo pacto realiter distinguuntur motus vitalis ab anima, & materia prima à substantiali forma.

Respondeo secundò distinguendo maj. quæ realiter distinguuntur, possunt saltem divinitùs separari &c. si unum ab alio essentialiter non pendeat, esto; si essentialiter unum ab alio dependeat, nego; materia verò prima, utpotè pura

po-

potentia, eſt eſſentialiter à ſubſtantiali formâ dependens.

Objicies ſecundò: quod eſt ab alio independens, poteſt divinitùs ab eo ſeparari, & ab illo ſeparatum exiſtere: atqui materia prima eſt à forma independens: ergo &c. Maj. patet. Prob. min. prius independens eſt à poſteriori: atqui materia prima eſt prior forma, prioritate nimirum naturæ: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo maj. prius independens eſt à poſteriori: ſi ſit prius ſimpliciter, durationis nempè & exiſtentiæ prioritate, concedo: ſi ſit prius ſolùm ſecundùm quid, & ſola prioritate naturæ, per modum puræ potentiæ, nego: materia autem prima eſt quidem prior forma; at non ſimpliciter, & durationis ac exiſtentiæ prioritate; ſed ſecundùm quid tantùm, & ſola naturæ prioritate, per modum puræ potentiæ.

Objicies tertiò: poteſt accidens divinitùs à ſubjecto ſeparari, & ab eo ſeparatum exiſtere; ut evidens eſt in Euchariſtiæ Sacramento: ergo idem eſt de materia per reſpectum ad formam concedendum. Prob. conſeq. magis pendet accidens à ſubjecto, quàm materia à forma: ergo ſi poteſt accidens divinitùs à ſubjecto ſeparari, & ab ipſo ſeparatum exiſtere; etiam materia poterit divina virtute à forma ſeparari, & ſeparata exiſtere. Conſeq. videtur manifeſta. Prob. antec. totum eſſe accidentis, eſt ineſſe ſubjecto; & tamen totum eſſe materiæ, non eſt ineſſe formæ, cùm materia non inſit formæ, ſed potiùs forma inſit materiæ: ergo magis pendet accidens à ſubjecto, quàm materia à forma.

Reſpondeo ex doctrina D. Thomæ 1. p. quæſt. 66. art. 1. ad 3. conceſſo antec. negando conſeq. & paritatem; accidens quippe eſt actus quidam, licèt imperfectus, propriam habens exiſtentiam ab exiſtentia ſubjecti diſtinctam; unde mirum

non

non eſt, ſi poſſit divinitùs à ſubjecto ſeparatum exiſtere: at materia prima eſt pura potentia, propriæ expers exiſtentiæ, quam à forma mutuatur; ſine qua proinde exiſtere nequit, etiam ex Dei abſoluta potentia. Ad prob. conſeq. nego antec. Ad cujus prob. conceſſo antecedente, nego conſeq. quamvis enim totum eſſe accidentis ſit ineſſe ſubjecto; attamen ſemper verum eſt, accidens ſibi propriam vendicare exiſtentiam, ab exiſtentiâ ſubjecti diſtinctam; quam independenter a ſubjecto ſervare poteſt, ex ſupernaturali Dei potentia, ipſum à ſubjecto ſeparatum conſervante: at etſi totum eſſe materiæ non ſit ineſſe formæ, propria tamen caret exiſtentia, & ſolo formæ beneficio exiſtit; ideòque quantum ad exiſtentiam, materia à forma dependens eſt, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem Dei potentiam conſideres; & idcircò quantùm ad eſſe ſeu exiſtentiam, materia magis pendet à forma, quàm accidens à ſubjecto.

Inſtabis hoc argumento communi: prius minùs dependet à poſteriori, quàm poſterius à priori: atqui materia eſt prior forma, accidens verò poſterius eſt ſubjecto, cùm ipſum præſupponat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. diſtinctione data: prius minùs dependet à poſteriori, quàm poſterius à priori; diſtinguo inquam: prius ſimpliciter, concedo: prius ſecundùm quid, nego; vel alio modo: prius per modum actus, aut entitatis actum habentis, concedo: prius per modum puræ potentiæ, nego; vel, ut alii dicunt, prius quoad realitatem entitatis, & actualitatem exiſtentiæ, concedo; prius quoad ſolam entitatis realitatem, nego: materia autem prima ſecundùm quid tantùm, ac per modum puræ potentiæ, & quoad ſolam entitatis realitatem, eſt forma prior; quatenus ex ſe & independenter à forma eſt entitas realis, vel realis potentia formæ

mæ receptiva: quantum verò ad actualitatem exiſtentiæ, materia poſterior eſt forma, ab ea. que dependens.

§. IV.

Fit ſatis aliis argumentis.

OBjicies quartò: quicquid in rebus creatis fit interventu cauſæ ſecundæ, ad eſſentiam rei non attinentis, poteſt Deus vi ſua, ſine ejuſmodi cauſa, præſtare: atqui ſubſtantialis forma eſt cauſa ſecunda conſervans in eſſe materiam, ad ejus eſſentiam minimè pertinens: ergo poteſt Deus ſine forma ſubſtantiali materiam in eſſe conſervare.

Reſpondeo primò, data má. negando minor. forma quippe ſubſtanlialis non conſervat in eſſe materiam, tamquam efficiens cauſa, ſed ſicut cauſa formalis; licèt autem ſubſtantialis forma non ſit prima cauſa efficiens, (hoc enim Deo proprium eſt) eſt tamen prima cauſa formalis, cùm priorem cauſam formalem non agnoſcat.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo ma. quicquid in rebus creatis fit interventu cauſæ ſecundæ efficientis, poteſt Deus vi ſua, ſine ejuſmodi cauſa, præſtare, concedo: quidquid fit interventu cauſæ ſecundæ formalis intrinſecæ, poteſt Deus vi ſua, ſine ejuſmodi cauſa, præſtare nego: etſi enim genus efficientis cauſæ Deo competat, non tamen genus cauſæ formalis intrinſecæ; quia cauſa formalis intrinſeca, ſive ſubſtantialis forma, eſt eſſentialiter pars, proindèque eſſentialiter & inſeparabiliter involvit imperfectionem Deo repugnantem; ut autem dictum eſt, forma ſubſtantialis non conſervat in eſſe materiam, tamquam cauſa efficiens, ſed ſicut cauſa formalis intrinſeca.

Inſtabis primò: genus cauſæ extrinſecæ Deo non

non repugnat; ob hanc etenim rationem non repugnat Deo, sed potiùs ei maximè convenit causæ efficientis genus, sicut & genus causæ finalis: atqui substantialis forma nequit dici causa intrinseca existentiæ, sed ad summum causa ejus extrinseca, cùm forma substantialis existentiam intrinsecè non ponat: ergo genus causæ, quo substantialis forma est causa existentiæ, Deo non repugnat; ac proinde Deus potest vices gerere substantialis formæ, prout est causa existentiæ, & existentiam sine forma substantiali tribuere materiæ.

Respondeo distinguendo maj. genus causæ simpliciter extrinsecæ Deo non repugnat, quale est genus causæ efficientis, vel causæ finalis, concedo: genus causæ simpliciter intrinsecæ, & secundùm quid tantùm extrinsecæ, Deo non repugnat, nego: quamvis verò forma substantialis sit respectu existentiæ, & aliorum accidentium, quorum est radix, causa secundùm quid extrinseca; attamen respectu materiæ primæ, & compositi physici substantialis, quorum potissimùm est causa, causæ simpliciter intrinsecæ nomen obtinet; est namque substantialis forma, & materiæ primæ, & composito physico, simpliciter intrinseca; intrinseca quidem est materiæ primæ, eam intrinsecè informando; intrinseca quoque est composito physico, sua informatione ipsum intrinsecè ac essentialiter constituendo.

Instabis secundò: si Deus utens potentia sua absoluta, formam materialem sine materia existentem conservaret, vices materiæ non suppleret; genus quippe causæ materialis Deo repugnans est: ergo pariter si eadem potentia materiam absque forma existentem servaret, propterea vices formæ non gereret; & ita ruit unum ex præcipuis conclusionis nostræ fundamentis.

Respondeo negando paritatem: nam forma materialis à materia quidem velut à subjecto dependet,

det, at exiſtentiam ab ea non accipit; ma
enim non dat, ſed recipit eſſe; & idcircò
tamquam univerſaliſſimum & infinitum e
principium, poteſt ſolus abſque materia
mam materialem in eſſe cuſtodire, quamv
ces materiæ non ſuppleat; at forma dat eſſ
teriæ, ideòque repugnat planè, ut Deus r
riam ſine forma in eſſe conſervet, niſi fun
munere formæ.

Articulus Quartus.

De appetitu materiæ primæ, ejuſque ingene litate & incorruptibilitate.

§. I.

Quonam modo materia prima formas ſubſtanti appetat?

DIco primò: materia prima ſublunaris ap
titu innato deſiderii abſentes appetit for
ſubſtantiales, quas virtute agentis naturalis c
ſequi poteſt; appetit verò appetitu innato d
ctationis formas ſubſtantiales actu habitas;
nique appetit appetitu innato complacentiæ ſ
ſtantiales formas, quibus aliquando potita e
Ita docent communiter Philoſophi.

Dixi: materia prima ſublunaris: quia cùm C
li ſint planè incorruptibiles, ut ſuo loco pateb
materia prima cœleſtis modo inamiſſibili po
det Cœlorum formas, cùm ab eis per corrupt
nem nequeat ſeparari; ideòque illis omninò
tiatur, ita ut alias non appetat formas.

Probatur verò concluſio, & explicatur; na
cùm materia ſublunaris modo amiſſibili habe
ſubſtantiales formas, & ſæpiùs eas deperdat
ut quotidiana docet experientia, nulla ſatiatu
ſed omnes appetit; eo nempe ordine, ut appe
tat, appetitu innato deſiderii, abſentes forma

ſub-

ſubſtantiales ſucceſſivè habendas, quas vi agentis naturalis poteſt adipiſci; appetat verò appetitu innato delectationis formas ſubſtantiales actu habitas; & demùm appetat appetitu innato complacentiæ ſubſtantiales formas, quibus olim potita eſt.

§. II.

Quædam objectiones ſolvuntur.

OBjicies primò: ſi materia prima novas appeteret formas, appeteret totius compoſiti phyſici deſtructionem; quandoquidem materia prima novam formam recipere non poteſt, niſi prior expellatur, proindèque niſi & ipſum totum compoſitum phyſicum deſtruatur: atqui materia prima nequit totius compoſiti phyſici deſtructionem appetere: ergo &c. Min. ex eo probatur, quòd commune eſt Philoſophorum adagium: *Partem magis in bonum totius compoſiti, quàm in bonum proprium propendere*; ac ſubinde non poteſt pars ad deſtructionem & malum totius compoſiti phyſici (ſi ſit pars totius compoſiti phyſici) inclinare: materia verò prima pars eſt totius compoſiti phyſici; ut ex dictis patet, & ampliùs conſtabit ex dicendis.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi materia prima novas appeteret formas, appeteret ſecundariò & per accidens totius compoſiti phyſici deſtructionem, concedo: appeteret primariò & per ſe totius compoſiti phyſici deſtructionem, nego: primariò namque & per ſe materia prima ſuam appetit conſervationem & veluti perpetuitatem ſub novis ac diverſis ſibi ſuccedentibus formis; quòd autem advenirente nova forma, prior expellatur, totumque compoſitum phyſicum deſtruatur, hoc ſecundariò ſolùm & per accidens reſpectu materiæ appetentis contingit; & diſtinguenda eſt pari modo min. atqui materia prima

ma nequit primariò, & per ſe, totius compoſiti phyſici deſtructionem appetere, concedo: nequit ſecundariò, & per accidens, nego min. & conſeq. Ad prob. min. reſpondendum eſt cum diſtinctione, diſtinguendo ſcilicet commune illud Philoſophorum adagium, quo aſſeritur, *partem magis in bonum totius compoſiti, quàm in bonum proprium propendere*. Hoc ſiquidem verum eſt ſecundùm inclinationem generalem, qua pars ſemper in bonum totius tendit, & nunquam in ejus malum; at id aliquando falſum eſt ſecundùm inclinationem particularem, qua interdum pars primariò & per ſe in bonum proprium fertur, & ſecundariò ac per accidens in malum & deſtructionem totius: hoc patet in cane ex altiſſimo loco in terram decidente; nam corpus, quod pars ejus eſt, inclinatione particulari primariò & per ſe pergit ad proprium bonum, videlicet ad quietem in terra conſequendam; & ſimul ſecundariò ac per accidens in illius malum, nempe in illius necem tendit: nihil vetat ergo, ne pars, cujuſmodi eſt materia, inclinatione particulari ad malum & deſtructionem totius compoſiti ſecundariò & per accidens pergat.

Objicies ſecundò: ſi materia prima, hominis v. g. alias appeteret formas, cuperet formas inferiores ea, quam in homine poſſidet; cùm aliæ omnes formæ ſint hominis forma longè inferiores: atqui hoc videtur abſurdum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi materia prima hominis, alias appeteret formas, cuperet formas inferiores ea, quam in homine poſſidet: diſtinguo, inquam: cuperet formas inferiores, ſub ea ratione, ſub qua ſunt aptæ ad materiam in eſſe perpetuandam, concedo: cuperet formas inferiores, ſub ea ratione, ſub qua ſunt inferiores, nego. Licèt autem materiam primam, ſuperiorem formam habentem, appetere formas inferiores ſecundo modo, abſurdum ſit; non tamen ſi formas primo appetat modo: imò hoc non ſolùm

lùm abſurdum non eſt, ſed potiùs planè eſt neceſſarium; cùm enim materia prima ſublunaris modo amiſſibili ſuperiores habeat formas, & tandem eas deperdat; neceſsè eſt prorsùs, ut ſuperioribus formis inferiores ſuccedant formæ, ſub quibus conſervetur.

Inſtabis: ſi dum materia prima ſuperiori forma potitur, interiores appeteret formas, quæ cum ſuperiori forma ſociari non poſſunt, appeteret expulſionem & privationem formæ ſuperioris: atqui materia prima nequit appetere privationem formæ ſuperioris: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. materia prima nequit appetere malum ſuum; cùm malum non ſit objectum appetitus, ſed fugæ: atqui in materia prima privatio formæ ſuperioris eſt aliquod ejus malum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi dum materia prima ſuperiori forma potitur, inferiores appeteret formas, quæ cum ſuperiori forma ſociari non poſſunt, appeteret expulſionem & privationem formæ ſuperioris, ut eſt medium vel conditio ad novam formam, & ſub nova forma conſervationem obtinendam, concedo: appeteret expulſionem & privationem formæ ſuperioris, ſecundùm ſe acceptam, nego. Quamvis autem expulſio & privatio formæ ſuperioris ſumpta hoc ſecundo modo, ſit aliquod materiæ primæ malum, non tamen primo modo uſurpata; ideòque materia prima propriè malum ſuum non appetit, quia præfatam privationem ſub ea ratione non cupit, ſub qua materiæ primæ malum eſt; ſed ſub ea ratione, ſub qua eſt medium, quo ipſa materia conſervationem ſuam, & ita bonum ſuum, conſequitur.

§. III.

§. III.

An Materia prima ingenerabilis ſit, & incorruptibilis.

DIco ſecundò: materia prima eſt propriè generabilis. Ita communiter Philoſophi cum Ariſtotele 7. Metaphyſicæ cap. 7. & 8. & l. 8. cap. 5. & 1. Phyſic. cap. 9. textu 82.

Ratio facilis eſt: nam propriè generari, eſt *ex præſuppoſito fieri ſubjecto*, ut docent omnes; fieri verò ex non præſuppoſito ſubjecto, eſt creari: atqui materia prima non poteſt ex præſuppoſito fieri ſubjecto: ergo &c. Prob. min. quod ſimpliciter primum ſubjectum, non poteſt a priori ſive ex præſuppoſito fieri ſubjecto, ut patet: atqui materia prima eſt eſſentialiter ac ſimpliciter primum ſubjectum, ex quo omnia entia generabilia fiunt, ut ex omnium Philoſophorum placito docuimus ſuprà: ergo &c.

Objicies: ſicut quod albedinem excipit, dealbatur; ita quod generationem recipit, generatur, ac proinde non eſt ingenerabile: atqui materia prima generationem recipit, cùm ſit primum generationis ſubjectum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſicut quod albedinem excipit, dealbatur; ita quod generationem recipit, ut eſt actio generans, generatur, tranſeat ma. quod generationem recipit, ut eſt ſimplex mutatio à privatione formæ ad ipſam formam, nego: id enim à privatione formæ ad formam quidem mutatur, at propterea propriè non generatur; ſed quod ex hac mutatione profluit, quodve *genitum* ſolet nuncupari. Materia autem prima generationem quidem recipit, ut eſt à privatione formæ ad formam ipſam mutatio; at non ut eſt generans actio; ut in lib. generat. & corrupt. clarebit.

Dico tertiò: materia prima propriè incorrupti-

ruptibilis est; ita Aristoteles locis allatis.

Ratio quoque admodùm facilis est; tunc etenim solùm aliquid propriè corrumpitur, cùm desinit, communi remanente subjecto; si verò pereat, nullo remanente subjecto, annihilatur: atqui materia prima desinere nequit, communi remanente subjecto; alioquin desineret, simulque remaneret; desineret quidem materia prima, ut supponitur; remaneret autem, quia ipsa est commune subjectum, quod in generatione rerum præcedit, & permanet in earum corruptione: ergo &c.

Objicies primò: si materia prima, v. gr. hominis, esset incorruptibilis, homo foret incorruptibilis; si enim materialis ratione materiæ appellatur, quare incorruptibilis ratione ejusdem materiæ, si ipsa incorruptibilis est, vocari non poterit? atqui homo non est incorruptibilis, ut experientia constat: ergo &c.

Respondeo negando ma. & paritatem. Quòd etenim totum aliquod compositum sit materiale, est de genere mali & imperfecti; per hoc namque infra substantias immateriales & spiritales deprimitur; cùm ergo, ut in proverbio est, *malum ex quocumque defectu oriatur*, quando in toto aliquo composito pars altera materialis est, imò ipsa materia, totum illud compositum est materiale; qua de causa, homo materialis est. At totum aliquod compositum esse incorruptibile, est de genere boni atque perfecti; nam totum compositum incorruptibile, ipsa incorruptibilitate, aliis omnibus compositis corruptibilibus antecellit; ideòque quoniam *bonum est ex integra causa*, ut vulgò dicitur, necessè est, ut toti composito, quod incorruptibile est, nihil ad incorruptibilitatem desit; id est, necessariò postulatur, ut & omnes ejus partes incorruptibiles sint, & indissolubilis sit nodus, quo partes nectuntur: si autem vel pars altera corruptibilis sit (ut in bruto, cujus anima corruptioni obnoxia est) vel disso-

diſſolubilis partium nexus (ut in homine) tot illud compoſitum neceſſariò corruptibile eſt.

Objicies ſecundò: ſi materia prima, br v.g. eſſet incorruptibilis, foret ejus forma no lior; incorruptibile ſi quidem eſt corruptib nobilius; forma verò bruti corruptibilis eſt: a qui materia prima bruti non eſt ejus forma nob lior; ut patet: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. eſto enim incorr ptibile per modum actus, aut habentis actum ſit corruptibili nobilius; non tamen incorrupt bile per modum puræ potentiæ, nullum actum nullamque nobilitatem exprimentis, qualis e materia prima; unde quòd ipſa incorruptibilis ſit, hoc ex aliqua ejus nobilitate ortum non ha ber, ſed ex mera illius potentialitate; ex e nempè, quòd eſt prima & ultima rerum gene rabilium & corruptibilium potentia, quæ in ea rum generatione antecedit, & in ipſarum cor ruptione perſeverat.

Cæterùm, quamvis materia prima propriè & ſtrictè ingenerabilis ſit, & incorruptibilis, ut oſtenſum eſt; eſt tamen latè & impropriè gene rabilis corruptibiliſque; id eſt, produci poteſt & deſtrui; à Deo namque ab initio mundi pro ducta eſt, ab eoque deſtrui poſſet, & in nihi lum redigi, ſi vellet.

Materia prima eſt quoque corruptionis ſtrictè ſumptæ prima radix; ut docet Ariſtoteles 9. Me taph. cap. 9 textu 17. & lib. 7. cap. 7. textu 22. & alibi ſæpè. Eſt quidem corruptionis radix, quatenus novam formam cum forma compoſiti, in quo eſt, inſociabilem appetendo, expulſioni hujus formæ occaſionem præbet; forma verò compoſiti nequit expelli, niſi compoſitum ipſum corrumpatur. Eſt autem materia corruptionis radix prima, id eſt, compoſito corruptibili eſſentialis & intrinſeca; vel radix prima, quia priorem radicem non ſupponit. Principium verò corruptionis proximum in ſublunaribus compoſitis, ſunt

ſunt quatuor primæ qualitates (*calor* ſcilicet, & *frigus*, *ſiccitas* & *humiditas*) continuò inter ſeſe dimicantes, & compoſitum tandem diſſolventes. Sed de materia ſatis.

QUÆSTIO TERTIA.

De forma ſubſtantiali.

POſtquam de primo entis mobilis principio, nempè de materia prima, fusè diximus; ſequitur, ut de altero ejus principio, nimirum de forma ſubſtantiali, diſſeramus. Nomine autem formæ, aliquando corporis pulchritudo venit intelligenda, juxta illud Pſalmi 44. *Speciosus forma, præ filiis hominum*. At forma ſic apud Grammaticos, non apud Phyſicos, uſurpatur. Forma verò phyſicè ſumpta, actus eſt, quo ſcilicet ſubjectum actuatur, formatur, perficitur. Ad cujus ampliorem intelligentiam.

Notandum eſt, alium eſſe actum *ſubſiſtentem*, & alium *informantem*. Actus *ſubſiſtens*, ita vocatur, quoniam ab omni ſubjecto ſegregatus ſubſiſtit; hujuſmodi ſunt, Deus & Angeli: & de actu ſic accepto nunc non eſt ſermo, ſed ad Metaphyſicos pertinet ejus conſideratio. Actus verò *informans*, aut phyſicus, ille eſt, qui recipitur in ſubjecto, quod actuat, format, & perficit, & in quo connaturaliter exiſtit; & de hoc nunc quæritur, an detur.

Præterea iterum notandum eſt, actum phyſicum & informantem alium eſſe ſubſtantialem, alium accidentalem. Accidentali actu accidentale fit compoſitum; ſic albedine fit *album*, nigredine nigrum, &c. Actus ſubſtantialis (qui

alio nomine, *forma ſubſtantialis*, nuncupatur, is eſt, qui ad compoſitum ſubſtantiale conſtituendum ordinatur; & de hoc actu præcipua erit controverſia ſequentibus articulis dirimenda; de actu tamen accidentali etiam dicemus.

Articulus Primus.

An, & quid ſit forma ſubſtantialis?

§. I.

Sententiæ referuntur.

Circa formæ ſubſtantialis exiſtentiam & quiditatem tres ſunt hiſce temporibus celebres ſententiæ. Prima non aliam in compoſitis naturalibus (ſolo homine excepto) formam agnoſcit, præter certam atomorum combinationem, ſive convenientiam, & veluti harmoniam, juxta cujuſque compoſiti naturalis exigentiam. Quam ſententiam tuentur Epicuri & Gaſſendi Diſcipuli.

Secunda ſententia duplicem diſtinguit formam, unam *generalem*, *ſpecialem* alteram. Forma *generalis* ſive materialis, juxta hujus ſententiæ defenſores, eſt *certa motus, vel quietis, ſitus, figuræ, magnitudinis partium materiæ, & ſimilium accidentium, complexio, quæ uniuſcujuſque compoſiti naturalis conſtitutioni conveniens eſt*. Forma verò ſpecialis & immaterialis hominique propria, eſt anima rationalis, quæ apud eoſdem authores, ſimul cum materia & forma generali humanum conſtituit compoſitum; quod uno vocabulo, *homo* nominatur. Hanc ſententiam defendunt Carteſius & ejus ſectatores.

Tertia ſententia docet, dari formam ſubſtantialem à materia & accidentibus adequatè diſtinctam; quam vult, eſſe actum materiæ primum, & ſimul cum illa totius compoſiti phyſici ſubſtan-

antialis constitutivum. Hanc [illegible]
patetici omnes unanimi [illegible] amplectun-
ur; cum Aristotele in [illegible]
lib. 2. cap. 1. text. [illegible] & [illegible]
tu cap. 9. textu 51. aliisque [illegible] in
ocis.

§. II.

Sententia Epicuri & Gassendi confutatur.

DIco primò: atomorum combinatio nequit dici forma compositi physici substantialis constitutiva. Hæc [illegible] ex dictis [illegible] q. I. II. §. III. de impossibilitate & [illegible] earum atomorum satis [illegible]; sed tamen majoris claritatis gratia, & ut Epicureæ sententiæ falsitas magis [illegible].

Probatur primò: forma [illegible] phy- sicum substantiale [illegible] omnibus essentialiter [illegible] proverbio est apud [illegible] *est eius ab omnibus aliis* [illegible] atomorum combinatio, [illegible] Epicurum Gassendum [illegible] compositum physicum [illegible] ab aliis essentialiter non [illegible] ergo &c. [illegible]atur min. atomorum combinatio, [illegible] [illegible]atos authores, [illegible] compositum physicum [illegible] [illegible]llum vel distinguendum, [illegible] combinatio ad [illegible] [illegible]dam vocem; unde [illegible] [illegible]rum physicorum [illegible] [illegible]ille ex diversis [illegible] [illegible]endam, sicut ex [illegible] [illegible]nibus tota [illegible] [illegible]rum combinatio [illegible] essentialiter non distinguit: ergo &c. [illegible] cua est in his duabus vocibus: *Ab,* & *Ba* [illegible]

eis namque eſt diverſa litterarum combinatio, ut patet; & tamen illæ voces eſſentialiter non differunt, ſed accidentaliter tantùm, & ſolo litterarum ſitu: tum maximè quia quando res eſſentialiter diſtinguuntur, una in aliam converti non poteſt, iiſdem partibus remanentibus; ſic equus in leonem, vel leo in bovem, mutari nequaquam poteſt, iiſdem partibus equi in leone, vel leonis in bove, perſeverantibus: & tamen una ex allatis vocibus poteſt in aliam transmutari, iiſdem partibus ſeu litteris permanentibus, per ſolam litterarum tranſpoſitionem; ut conſtat.

Confirmatur: quòd eſſentialiter unam rem diſtinguit ab alia, convenire nequit ei, à qua res illa eſſentialiter diſtinguitur; ſic v. g. quia homo per rationalitatem eſſentialiter differt à bruto, rationalitas non competit, ſed repugnat bruto: atqui atomorum combinatio unius compoſiti phyſici ſubſtantialis poteſt ei convenire, à quo eſſentialiter diſtinguitur: ergo &c. Prob. min. ſicut enim, juxta adverſariorum doctrinam, in duabus cathedris eadem eſt atomorum combinatio, quamvis una ſit lapidea, & altera lignea, dummodò ejuſdem ſint figuræ; ita in leone vivo, & leone lapideo, vel ligneo, atomorum combinatio eadem eſt, modò eamdem ſervent figuram; quod eſſe poſſibile, experientia conſtat: luce autem meridiana clarius eſt, leonem vivum eſſentialiter à leone lapideo, aut ligneo, diſcriminari.

Probatur ſecundò: ſi, ut docent Gaſſendi Diſcipuli, combinatio atomorum eſſet forma, & ipſæ atomi eſſent materia, ex quibus coaleſceret compoſitum phyſicum ſubſtantiale; ipſum compoſitum phyſicum ſubſtantiale nihil aliud eſſet, præter atomos combinatas; ut ultrò concedunt adverſarii; & meritò, quia, ut infrà conſtabit, totum compoſitum nihil eſt aliud, præter partes ſimul ſumptas: atqui atomi com-

combinatæ nequeunt eſſe compoſitum phyſicum ſubſtantiale : ergo &c. Prob. min. ſi atomi combinatæ eſſent compoſitum phyſicum ſubſtantiale, ſequeretur, animam rationalem non conſtituere hominem in ratione compoſiti phyſici ſubſtantialis: atqui anima rationalis conſtituit hominem in ratione compoſiti phyſici ſubſtantialis: ergo &c. Min. eſt in Concilio Lateranenſi 3. ſub Leone X. ſeſſ. 8. & in Clement. unica de ſumma Trinit. definita, eſtque communis omnium Philoſophorum doctrina. Prob. autem maj. quod ſupponit compoſitum phyſicum ſubſtantiale jam eſſentialiter conſtitutum, ipſum non conſtituit ; ut evidens eſt : atqui ſi atomi combinatæ eſſent compoſitum phyſicum ſubſtantiale, anima rationalis ſupponeret in homine compoſitum phyſicum ſubſtantiale, jam eſſentialiter ex materia & forma conſtitutum : ergo &c. Min. ex eo prob. quòd, juxta adverſariorum doctrinam, anima rationalis ſupponit in corpore humano atomos combinatas, quibus advenit, ut cum eis hominem componat: ſi ergo, ut volunt adverſarii, atomi combinatæ ſint ipſum compoſitum phyſicum ſubſtantiale ex materia & forma eſſentialiter conſtitutum, manifeſtè ſequitur, animam rationalem ſupponere in homine compoſitum phyſicum ſubſtantiale ex materia & forma eſſentialiter conſtitutum.

Inſtatur ampliùs : ſi atomi combinatæ eſſent compoſitum phyſicum ſubſtantiale, anima rationalis cum corpore humano non efficeret aliquid per ſe unum : atqui anima rationalis cum corpore humano efficit aliquid per ſe unum : ergo &c. Min. certiſſima eſt. Prob. maj. quod advenit enti ſimpliciter completo, non efficit cum illo aliquid per ſe unum, ſed per accidens tantùm, ut docent communiter Philoſophi ; quia de cauſa, albedo adveniens arbori, facit cum illa unum dumtaxat per accidens, quod *arbor alba* nuncupatur : atqui, ſi atomi combinatæ

fient compositum physicum substantiale, ma rationalis, dum advenit humano cor enti simpliciter completo adveniret: ergo Prob. min. compositum physicum substantial ens simpliciter completum & totale; ut patet qui si atomi combinatæ essent compositum ph cum subsistantiale, dum anima rationalis adve humano corpori, composito physico substa tiali adveniret; adveniret namque, ut ex adv fariis suppono, atomis combinatis: ergo &

§. III.

Refellitur Cartesii sententia.

DIco secundò: forma compositi physici substantialis merè materialis essentialiter constitutiva, *non est certa motus & quietis, situs, figuræ, magnitudinis partium materiæ, & similium accidentium complexio.*

Probatur primò: forma, quæ compositum physicum substantiale essentialiter constituit, ipsum essentialiter ab omnibus aliis distinguit, ut suprà dictum est: atqui certa motus, quietis, situs, figuræ, &c. complexio, unum compositum physicum substantiale merè materiale ab omnibus aliis essentialiter non distinguit: ergo &c. Prob. mi. quod essentialiter unum ab aliis distinguit, debet esse ipsi essentiale, ut patet: atqui accidentium complexio non est composito physico substantiali merè materiali essentialis: ergo &c. Prob. min. sicut complexio prædicatorum essentialium alicujus compositi est ipsi essentialis, ita complexio prædicatorum ejus accidentalium ipsi accidentalis est: atqui complexio accidentium alicujus compositi physici substantialis merè materialis, est ejus prædicatorum accidentalium complexio; cùm omne accidens prædicetur accidentaliter, & ita fit prædicatum accidentale: ergo &c.

Res-

Respondent adversarii, præfatam accidentium complexionem esse quidem materiæ accidentalem, sed toti composito physico substantialem; sicut, inquiunt, apud Peripateticos, forma (quæ ab ipsis substantialis appellatur) est materiæ primæ accidentalis, sed toti composito essentialis.

Sed contra sic urgetur: cùm complexio accidentium sint ipsa accidentia complexè seu collectivè sumpta, ei accidentalis est accidentium complexio, cui accidentaliter competunt accidentia complexè accepta: atqui motus, quies, situs, figura, partium materiæ magnitudo, & similia accidentia totius compositi physici substantialis merè materialis, complexè spectata, ei accidentaliter competunt: ergo &c. Prob. min. illi accidens competit accidentaliter, cui accidit, id est, cui inest velut subjecto; sic *v.* g. ei accidentaliter convenit albedo, cui accidit, sive cui inest tamquam subjecto, cujusmodi est paries, ut constat: atqui motus, quies, situs, figura, magnitudo partium materiæ, & similia accidentia complexè considerata, accidunt toti composito physico substantiali merè materiali, eique insunt velut subjecto: ergo &c. Prob. min. ei inest accidens sicut subjecto, quod ab accidente denominatur; sic v.g. illi inest albedo, quod ab ipsa denominatur album: atqui totum compositum physicum substantiale merè materiale, v.g. lignum, à motu, vel quiete, situ, figura, magnitudine partium, & aliis accidentibus suis complexè acceptis denominatur; est namque mum, v. g. quod movetur, vel quiescit, quod jus est situs, hujus figuræ, hujus magnitudi- partium, &c. ergo &c.

ex quo colligitur aperta inter formam substantialem, & præfatam accidentium complexionem, disparitas: nam, ut dictum est, accidentium complexio accidit toti composito physico substantiali merè materiali, velut subjecto,

ideòque accidentalis eſt toti compoſito: at ſubjectum formæ ſubſtantialis eſt ſola materia prima, non verò totum phyſicum ſubſtantiale; cui proinde non eſt accidentalis, ſed ſoli materiæ primæ.

Probatur ſecundò: ſi, ut docent Carteſius & ejus Diſcipuli, partes quantitatis, ſeu extenſionis in longum, latum, & profundum, eſſent materia, & complexio accidentium hujuſmodi partibus adveniens, eſſet forma, ex quibus coaleſceret compoſitum phyſicum ſubſtantiale; ipſum compoſitum phyſicum ſubſtantiale nihil aliud eſſet, præter partes quantitatis, ſeu extenſionis, ut affectas præfata accidentium complexione; ſicut adverſarii ſponte fatentur: atqui partes quantitatis aut extenſionis, ut affectæ illa accidentium complexione, nequeunt eſſe compoſitum phyſicum ſubſtantiale: ergo &c. Prob. min. ſi partes quantitatis vel extenſionis affectæ hujuſmodi accidentium complexione eſſent ipſum compoſitum phyſicum ſubſtantiale, ſequeretur, animam rationalem non conſtituere hominem in ratione compoſiti phyſici ſubſtantialis, ſed ipſam ſupponere in homine, compoſitum phyſicum ſubſtantiale eſſentialiter ex materia & forma conſtitutum: quandoquidem juxta adverſariorum doctrinam, anima rationalis ſupponit in corpore humano, quantitatis ſeu extenſionis partes jam dicta accidentium complexione affectas, quibus advenit, ut cum eis hominem componat.

Ex quo ulteriùs ſequitur, animam rationalem cum humano corpore non efficere aliquid per ſe unum, ſed per accidens tantùm; quia juxta illam adverſariorum doctrinaam, dum anima rationalis corpori humano advenit, enti ſimpliciter completo in genere ſubſtantiæ, toti ſcilicet compoſito phyſico ſubſtantiali advenit; ut autem ex dictis patet, *quod advenit enti ſimpliciter com-*

completo, non efficit cum illo aliquid per ſe unum, ſed per accidens ſolùm.

§. IV.

Peripateticorum ſententia explanatur.

AGnoſcunt omnes Peripatetici in compoſito naturali formam ſubſtantialem realiter adæquatè à materia prima diſtinctam, quam ſic definiunt: *Forma ſubſtantialis eſt actus primus, unum per ſe cum materia prima conſtituens.* Dicitur *actus*; in quo cum forma accidentali convenit; forma ſiquidem accidentalis, ſive accidens, actus quidam eſt, cùm ſubjectum accidente actuetur, & perficiatur. Additur, *formam ſubſtantialem eſſe actum primum, unum per ſe cum materia prima conſtituentem*; in quo forma ſubſtantialis ab accidentali diſcriminatur; omnis quippe forma accidentalis, ſive omne accidens compoſiti phyſici ſubſtantialis, ſupponit ipſum compoſitum eſſentialiter ex materia prima & forma ſubſtantiali conſtitutum; proindèque priorem ſupponit formam, ſeu priorem actum: & conſequenter non eſt actus primus, ſed ſecundus: at forma ſubſtantialis in compoſito phyſico ſubſtantiali priorem actum non patitur, ſed ipſa omnes actus antecedit, & eſt omnium aliorum radix. Præterea forma accidentalis unum per ſe cum ſubjecto non efficit; quia dum ſubjecto, ſeu compoſito phyſico ſubſtantiali, accidit, enti ſimpliciter in genere ſubſtantiæ completo advenit, ut ex dictis patet: ſubſtantialis autem forma enti ſimpliciter in genere ſubſtantiæ completo non advenit, ſed vi generationis jungitur materiæ primæ, in eaque recipitur; materia prima verò eſt ex ſe ens in genere ſubſtantiæ incompletum & partiale, ac merè potentiale, ut ex dictis in *quæſt. præcedenti* liquet. Ne igitur forma ſubſtantialis conſtituat unum per

se cum materia prima, impedit nihil.

Dices cum Gassendi & Cartesii Discipulis, formam compositi physici substantialis constitutivam rectè quidem sic definiri: *Actus primus unum per se cum materia constituens*: si ipsa forma metaphysicè & in communi spectetur; at non, si physicè & in particulari, v. g. in ligno, lapide, & consideretur; unde volunt, formam physicè spectatam esse per hanc vel illam atomorum combinationem, aut accidentium complexionem, definiendam.

Sed contra ex eo instatur, quòd omnis natura, sive in communi, sive in particulari eam consideres, eamdem habet definitionem, præsertim essentialem, quia eandem habet essentiam; sic, v. g. *animal*, sive in communi, sive in particulari, ut in homine, vel in leone, spectetur, semper definitur, *vivens sensitivum*: si ergo concedant adversarii, formam compositi physici substantialis constitutivam in communi acceptam, rectè & essentialiter sic definiri: *Actus primus unum per se cum materia constituens*: concedant quoque necesse est, eamdem esse formæ in particulari sumptæ definitionem.

Attamen, sicut dum definitur *animal* in particulari, communi ejus definitioni quædam additur differentia, qua ad hanc vel illam speciem contrahitur; sic, verbigratia, si *animal* ut est in homine definiatur, dicendum est: *Animal ut in homine, est vivens sensitivum rationale*: ubi communi animalis definitioni additur *rationale*, quo ad hominem determinatur: ita pariter si formam substantialem in particulari velis definire, communi formæ substantialis definitioni quædam addenda est differentia, qua ad hoc vel illud compositum physicum substantiale contrahatur; id est, peculiaris ordo formæ ad hujusmodi compositum in ipsius formæ definitione addendus est, vel designandus; sic, v. g. si substantialem formam, ut est in ligno, sive meliùs,

for-

formam ſubſtantialem ligni, definias, ita tibi dicendum eſt: *Forma ſubſtantialis ligni eſt actus primus ligni, unum per ſe cum materia conſtituens*: ubi ſpecialis ordo formæ ſubſtantialis ligni ad ipſum lignum, per illa verba *Actus primus ligni*, deſignatur.

§. V.

Satisfit adverſariorum objectis.

OBjiciunt primò quædam Patrum teſtimonia. In primis Baſilius in Hexameron homil. 1. ſic fatur: *Si terræ ſingulas, quas obtinet qualitates, nigredinem, gravitatem, &c. ratiocinando coneris auferre, ipſa in nihilum abierit.* Quibus verbis ſentire videtur, totam terræ eſſentiam, ac proinde eſſentialem & ſubſtantialem formam ejus, eſſe in qualitatum complexione poſita. Et in Epiſt. ad S. Gregorium Niſſenum docet, *individuum ſubſtantiale* (quod utique eſt compoſitum ſubſtantiale) eſſe *quemdam concurſum, ſeu complexum, conſenſionemque proprietatum.*

Similiter D. Gregorius Niſſenus in lib. de opificio hominis, & alibi, aſſerit: *Qualitatum concurſum conſtituere naturam ex materia conſtantem*: natura autem ex materia conſtans, eſt ipſa compoſiti phyſici ſubſtantialis natura.

Nec minùs apertè loquitur Angelicus Doctor opuſc. de natura materiæ, ubi diſertè docet, *individua corpora* (quæ ſunt compoſita phyſica ſubſtantialia) *conſtitui eſſentialiter per accidentia*; quæ proinde ſunt formæ eſſentialiter eorum conſtitutivæ. Quam doctrinam iterum tradit 1. part. quæſt. 3. a. 3. eamque defendunt Hervæus lib. de unitate formarum cap. 17. & Cajetanus loco ex 1. part. allato, & lib. de ente & eſſentia.

BIBLIOTECA D.

Reſpondeo ad primum D. Baſilii teſti
negando D. Baſilium eo in teſtimonio
totam terræ eſſentiam eſſe in qualitatu
plexione poſitam; vult enim ſolùm,
nem, gravitatem, & hujuſmodi qualita
ſe terræ proprietates; cùm enim prop
rei neceſſariò cum ejus eſſentia connec
auferri non poſſunt, niſi & ipſa res perea
quidem à priori, per ablationem eſſe
ejus conſtitutivi; ſed à poſteriori, p
motionem ſcilicet effectuum, aut qual
ctuum neceſſariò cum eſſentia connexo
Ideòque, ſi terræ nigredo, gravitas, al
omnes ejus proprietates auferrentur, neceſ
ret, ut ipſa terra periret, ac veluti in nih
abiret.

Ad ſecundum ejuſdem Baſilii teſtimon
duobus modis eſt diſtinguendum. In primis n
que dici poteſt, hanc eſſe magni Baſilii ment
nimirum, ſubſtantiale individuum eſſe qu
dam concurſum, complexum, conſenſion
que proprietatum; ſi individuum ſubſtant
conſideretur quantum ad id, quod quoad
notius eſt; apud Philoſophos quippe, prop
rates ſunt quoad nos eſſentia notiores: non
tem ſi ſubſtantiale individuum ſpectetur qu
tum ad id, quod quoad ſe in ipſo eſt notius, &
quo illius eſſentia poſita eſt. Secundò poteſt
ci, individuum ſubſtantiale eſſe radicaliter c
curſum, ſive complexum, conſenſionem
proprietatum, quatenùs eſt hujuſmodi prop
tatum radix; at falſum eſt & negandum, in
viduum ſubſtantiale eſſe formaliter ſeu eſſent
liter concurſum, vel complexum, aut conſ
ſionem proprietatum.

Ad D. Gregorium Niſſenum, cum ultima
ſtinctione reſpondendum eſt, videlicet, qua
tatum concurſum conſtituere naturam ex ma
ria conſtantem, ſi iſte qualitatum concurſus
dicaliter, ſive in ſua radice, conſideretur; re
ra

ra etenim qualitatum sive proprietatum radix, in natura ex materia constante, essentialiter hanc naturam constituit: at id falsum est, si ille qualitatum concursus formaliter in seipso spectetur.

Et simili modo distinguendus venit Angelicus Doctor; dicendo scilicet, individua constitui essentialiter per accidentia radicaliter sumpra, sive per accidentium radicem, non autem per accidentia formaliter in seipsis considerata.

Vel etiam dici potest, D. Basilium, & D. Thomam, non loqui de individuis substantialibus, sive Individuis corporibus, prout sunt composita physica substantialia; sed prout sunt hæc vel illa numero individua: etenim sic sumpta, quasi essentialiter constituuntur per quandam complexionem proprietatum vel accidentium individualium, quæ his versibus solent comprehendi:

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Ut in Logica q. de Specie, art. 2. dictum est. Et in eodem sensu exponendi sunt Hervæus, Cajetanus, & alii D. Thomæ discipuli.

Objiciunt secundò plura Aristotelis testimonia. Aristoteles, inquiunt, sexcentis in locis docet, formam compositi physici substantialis constitutivam esse *sicut musicam, sicut numerum, & sicut ordinem*: ergo sicut musica, aut musicus concētus, non est aliquid simplex, sed diversarum vocum vel sonorum variorum concordia; numerus est diversarum unitatum complexus; & ordo est diversarum rerum ordinatè se habentium aggregatio: sic etiam forma compositi physici substantialis constitutiva, non est aliquid simplex, sed est, vel atomorum, vel accidentium, complexio.

Deinde, ipse Philosophus innumeris etiam in locis asserit, formam compositi physici substantialis merè materialis constitutivam, esse *sensibilem, remque efficere sensibilem*; quod utique ve-

Philoſophus, eſſe eſſentialiter, ſive quoad eſſentiam, *indiviſibilem*; at nego, formam illam in lapide, in ligno, in imperfectioribus animalibus, & ſimilibus compoſitis, eſſe quantitativè *indiviſibilem*; cùm enim in ejuſmodi compoſitis forma ſit totaliter in materiam immerſa, legibus materiæ ſubditur, & ita quantitate, ſicut & materia, afficitur; unde cùm quantitas ſit integraliter diviſibilis, & integraliter diviſibile reddat ſubjectum, cui ineſt, forma in præfatis compoſitis debet eſſe integraliter ſive quantitativè diviſibilis: attamen quoad eſſentiam ſemper indiviſibilis eſt; neque etenim dum lapis, v. g. dividitur, eſſentia formæ ejus ſecatur; ſed in ſingulis portionibus lapidis, in quas eſt facta diviſio, eſſentia formæ tota eſt.

Inſtant adverſarii: ex Ariſtotele lib. 2. Phyſic. cap. 3. textu 28. forma educitur, & fit ex materia; *Sicut ſtatua ex ære, dictiones ex litteris, domus ex lapidibus, totum ex partibus, & concluſio ex terminis præmiſſarum*: atqui ſtatua non diſtinguitur adæquatè ab ære, nec diſtinguuntur adæquatè dictiones à litteris, nec domus adæquatè à lapidibus ſecernitur, nec totum à partibus, neque concluſio à terminis præmiſſarum: ergo etiam forma adæquatè à materia minimè diſtinguitur. Min. patet: nam quæ adæquatè diſtinguuntur, ſeſe mutuò excludunt; ſtatua autem ex ære facta non excludit æs, ſed includit: ſimiliter dictiones includunt litteras, domus etiam includit lapides, totum involvit partes, & concluſio terminos includit præmiſſarum, ſaltem *majus & minus extremum*.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ex Ariſtotele, forma educitur & fit ex materia, ſicut ſtatua ex ære, dictiones ex litteris, &c. ſi comparatio in hoc præciſè intelligatur, quòd ſicut ſtatua, dictiones, domus, totum, & concluſio, non fiunt ex nihilo, ſed ex aliqua præſuppoſita materia, cujuſmodi ſunt æs, litteræ, lapides, partes,

tes, & præmissarum termini : sic etiam educibilis forma ex nihilo non fit, sed ex præcedente materia, concedo maj. (in quo sensu exponendus est Aristotcles) forma educitur & fit ex materia, sicut statua ex ære, dictiones ex litteris, &c. si comparatio quoad distinctionem statuæ ab ære, dictionum à litteris, &c. per respectum ad distinctionem formæ à materia, extendatur, nego : nam statua ex ære, dictiones ex litteris, &c. sunt, sicut ex materia, ex qua intrinsecè componuntur, quamque proinde includunt intrinsecè; ideòque statua & æs, dictiones & litteræ, &c. adæquatè ab illis distingui nequeunt : at substantialis forma educitur ex materia prima, tanquam ex subjecto, in quo ipsa recipitur; subjectum autem recipiens, & res recepta debent adæquatè distingui, neque unum potest esse intrinsecum alteri, ipsumque intrinsecè componere ; *cùm unum in alio propriè recipi non dicatur, nisi fit ei extrinsecum, & ab extrinseco illi tribuatur.*

§. VI.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBjiciunt tertiò: ea adæquatè non distinguuntur, quorum unum est intrinsecum & essentiale alteri ; ut patet ex dictis modò : atqui materia prima est intrinseca & essentialis formæ substantiali : ergo &c. Prob. min. hoc inter materiam primam, & formam substantialem, sive inter causam materialem, atque formalem, & causam efficientem, atque finalem, discrimen est, quòd materia & forma, sive causa materialis & formalis, sint effectibus suis intrinsecæ ac essentiales ; causa verò efficiens, & causa finalis, sint extrinsecæ effectibus suis : atqui forma (saltem educibilis) est materiæ effectus ; cùm forma educibilis fiat dependenter à materia in genere cau-

cauſæ materialis, ut infrà conſtabit: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo maj. concedo namque, materiam & formam, ſive cauſam materialem atque formalem, eſſe effectibus ſuis intrinſecas & eſſentiales, ſi ſermo ſit de effectibus, quos cauſant, ipſos intrinſecè ac eſſentialiter componendo, cujuſmodi ſunt tota phyſica ſubſtantialia; at nego materiam eſſe intrinſecam & eſſentialem effectui, quem cauſat, eum recipiendo; vel formam eſſe intrinſecam & eſſentialem effectui, quem cauſat, ipſum informando; ut enim ex dictis conſtat, ſubjectum recipiens ac informatum, & actus receptus ac informans, debent eſſe ſibi mutuò extrinſeca: forma autem educibilis eſt quidem materiæ effectus; at non effectus, quem cauſat, ipſum intrinſecè ac eſſentialiter componendo; ſed eſt illius effectus, quem cauſat, eum recipiendo, à quo & informatur.

Objiciunt quartò: ſi daretur forma ſubſtantialis à materia adæquatè diſtincta, daretur actus ſubſtantialis, à materia adæquè diſtinctus; ut patet: atqui non datur actus ſubſtantialis à materia adæquatè diſtinctus, ergo &c. Prob. min. ſi daretur actus ſubſtantialis à materia adæquatè diſtinctus, vel eſſet actus purus & ſimplex, vel ex actu & potentia compoſitus: atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. & primò non eſt actus purus & ſimplex, quia ſolus Deus eſt actus purus & ſimplex: non eſt etiam ex actu & potentia compoſitus; alioquin foret ens completum & aliquod totum, & ita unum per ſe cum materia non efficeret; ens quippe completum, vel totum, cum alio unum per ſe efficere nequit.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. diſtinguendum eſt, & concedendum formam ſubſtantialem à materia adæquatè diſtinctam, non eſſe propriè actum purum, neque ex actu & potentia *ut quod* compoſitum; at negandum eſt, formam ſubſtantialem non eſſe

actum

actum *ut quo* compositum: quamvis enim sub-
stantialis forma non sit id quod ex actu & poten-
ia componitur; alioquin, ut rectè in objectione
rguitur, esset ens completum, & aliquod to-
uni, quod per se unum cum alio facere non po-
est; verè tamen est id quo componitur ens com-
pletum ex actu & potentia constitutum, nempè
otum physicum substantiale, quod utique per se
unum est.

Objiciunt quintò: si forma substantialis esset
dæquatè à materia distincta, & in ea recepta,
foret accidens, sive accidentalis forma: atqui
ccidentalis forma dici non potest: ergo &c. Prob.
maj. accidens aut forma accidentalis est ens in
lio existens: atqui forma substantialis esset ens
n alio, scilicet in materia, existens: ergo
&c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. res-
ondet D. Thomas 1. p. q. 77. art. 6. distinguendo
aj. accidens est ens in alio existens: in alio, in
uo supponit esse simpliciter, & cui affert esse so-
um secundùm quid; ut *esse calidum*, vel *frigi-
um*, concedit: in alio, cui dat esse simpliciter
illum supponens prius, negat. Ita verò sub-
ntialis forma in materia existit, ut esse simpli-
er in ea non supponat, sed secum afferat, eique
ouat; ut patet ex dictis & probatis in q. de ma-
ia. Unde licèt forma substantialis insit mate-
» illi tamen propriè non inhæret, accipiendo
ærentiam strictè, prout soli convenit acciden-
Non inficior tamen, formam substantialem
posse accidens logicum materiæ; *id enim
accidens logicum nuncupatur, quod nec est de
ecti essentia, nec ejus proprietas*; forma autem
antialis, neque est de essentia materiæ, ne-
llius proprietas; ut evidens est. At substan-
m formam esse accidens physicum subjecto
rens, nequaquam dici potest.

bjiciunt sextò: si darentur formæ substantia-
æquatè à materia distinctæ, deberent induci

in

in materiam diſpoſitiones ad hujuſmodi formas recipiendas; ut conſtat: atqui nequeunt induci in materiam diſpoſitiones ad recipiendas formas ſubſtantiales adæquatè à materia diſtinctas: ergo &c. Probant adverſarii min. hoc exemplo: cùm naſcuntur herbæ calidiſſimæ in frigidiſſimis montium receſſibus, ad quos Solis radii vix penetrant, & ubi nives ad ſummam æſtatem regnant; non apparet, quæ cauſa diſpoſitiones in materiam inducat ad formas ſubſtantiales iſtarum herbarum calidiſſimarum recipiendas: an nives ibi regnantes? at frigidiſſimæ ſunt: an Cœlum, an Sol, an venti? at idem Cœlum, idem Sol, iidem venti toto in climate terram afficiunt; & tamen non ubique naſcuntur herbæ illæ: an demùm Deus ipſe? ſed ſic facilè ſolventur omnia; Deus quidem ut prima cauſa concurrit, at alia cauſa ſecunda cujuſque effectus naturalis eſt aſſignanda.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. & exemplum ab adverſariis allatum dico, quòd cùm naſcuntur herbæ calidiſſimæ in frigidiſſimis montium receſſibus, ibi non deeſt cauſa, quæ diſpoſitiones in materiam inducat ad formas ſubſtantiales illarum herbarum calidiſſimarum recipiendas; eſt enim Sol mediis exhalationibus calidis in hujuſmodi montibus perpetuò incluſis; cùm enim perpetuis temporibus montes illi nive cooperiantur, frigus circumſtans aſtringit & occludit montium illorum poros, ne exhalationes calidæ egrediantur & aufugiant: exhalationes verò iſtæ ſic incluſæ magis ac magis per antiperiſtaſim in calore creſcunt, ſicque diſponunt terram montium illorum ad calidiſſimarum herbarum generationem; & ita mirum non eſt, ſi Sol, qui in omnes terræ partes, ſuas diffundit influentias, illis exhalationibus mediis diſpoſitiones in materiam inducat, ad ſubſtantiales formas illarum herbarum recipiendas.

Nec

Nec urget adversariorum instantia, qua di-
nt, eundem Solem toto in climate terram affi-
e; licèt enim idem Sol toto in climate terram
ciat, non tamen eodem modo, sed planè di-
so, propter diversos terræ status; nam intra
sdem climatis limites una pars terræ potest
c modo esse disposita, & alia pars alio modo
ata; & ita idem Sol in diversis terræ partibus
ius & ejusdem climatis potest diversos præsta-
effectus: v.g. in una parte calidas herbas pro-
cere, & frigidas in alia parte procreare, ob con-
rias dispositiones.

Objiciunt septimò: si daretur forma substan-
lis à materia adæquatè distincta, ista forma sæ-
s appeteret sui ipsius destructionem: atqui
repugnat: ergo &c. Min. patet: est enim ab
mibus receptum axioma, & experimento fir-
tum: *Omnia abhorrere à sui non esse, & appe-
in esse conservari.* Certè si catulus in aquam
ciatur, adversus fluctuum vim ad extremum
itum decertat: guttulæ aquæ se in orbem
unt, ut adversus aerem se tueantur; & ignis in
m se recipit contra vim frigoris certaturus.
o. autem maj. in stupa, in palea, &c. est magna
oncipiendam flammam, proindèque ad sui de-
ctionem, facilitas, ut experientia constat:
e hæc facilitas? unde hæc propensio? unde
appetitus? non à materia, quæ secundùm
pateticos in lapide, & in stupa, vel palea, ejus-
est rationis; & tamen in lapide non est illa
itas ad concipiendam flammam: ergo à for-
substantiali adæquatè à materia distincta pro-
c hæc facilitas.

espondeo negando maj. ad cujus prob. con-
, in stupa, in palea, &c. magnam esse ad
ipiendam flammam, subindèque ad sui de-
tionem, facilitatem; sed nego, hanc facilita-
propriè posse propensionem vel appetitum
llari; propēsio quippe vel appetitus est incli-
o, inclinatio autem non est in malum, qualis

est

est sui destructio, sed in bonum; est ergo ejus illa, mera ad concipiendam flammam dispositio. Et quamvis aliquid per se & absolutè possit ad sui destructionem habere dispositionem, benè tamen per accidens, & ex suppositione, quòd agenti contrario objiciatur; ut stupa, vel palea, vel aliquid aliud hujusmodi igni offertur.

Objiciunt octavò: si in ligno, v. gr. daretur forma substantialis adæquatè à materia distincta crearetur: atqui non creatur, ut infrà constabit ergo &c. Prob. maj. Quod fit ex nihilo, creatur; creatio quippe definitur: *Productio rei ex nihilo*. atqui forma illa fieret ex nihilo: ergo &c.

Respondeo negando majorem. Ad cujus prob. distinguo maj. Quod fit ex nihilo sui & subjecti, creatur, concedo: quod fit ex nihilo sui, non tamen subjecti, creatur, nego: forma verò substantialis ligni adæquatè ab ejus materia distincta fit quidem ex nihilo sui, quia nihil formæ ligni productionem ejus præcedit; non fit tamen ex nihilo subjecti, sed potiùs ex præsuppositio subjecto; ut infrà patebit.

Instant: quod secundùm totum suum esse intrinsecum fit de novo, creatur: atqui tamen forma substantialis ligni fiat ex præsuppositio subjecto, fit tamen de novo secundùm totum suum esse intrinsecum: ergo &c. Maj. inquiunt, clara est. Prob. min. subjectum, ex quo educitur forma, est ei extrinsecum, ut nos ipsi docemus; non pertinet igitur ad esse intrinsecum formæ, proindèque quamvis præsupponatur, ex eoque fiat forma, ipsa tamen forma fit semper secundùm totum suum esse intrinsecum de novo.

Deinde: formam fieri ex subjecto, nihil aliud significare videtur, nisi quòd *forma in subjecto fiat, in eoque recipiatur*: si autem hoc creationem impedit, sequitur, animam rationalem non creari; quandoquidem ipsa fit in subjecto, scilicet in corpore, in eoque recipitur.

Ad

Ad inſtantiam reſpondeo diſtinguendo maj. quod ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum fit de novo, creatur: ſi quantùm ad ſuum *fieri* non pendeat à ſubjecto, concedo: ſi pendeat in *fieri* à ſubjecto, nego: quod enim creatur, quantùm ad *fieri*, à nullo pendeat ſubjecto neceſsè eſt: etſi verò forma ſubſtantialis ligni ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum fiat de novo, in *fieri* tamen dependet à ſubjecto, ita ut naturaliter fieri non poſſit, niſi ex ſubjecto prævièdiſpoſito.

Ad id quod additur, nego, formam fieri ex ſubjecto, nihil aliud ſignificare, niſi quòd ipſa in ſubjecto fiat, in eoque recipiatur; aliud quippe prætereà ſignificat, nimirum quòd præcedant in ſubjecto diſpoſitiones, non ſolùm ad formæ receptionem, ſed etiam ad ejus *fieri*, vel productionem. Quod in anima rationali locum non habet; licèt enim fiat in ſubjecto, nempè in corpore, in eoque recipiatur; non præcedunt tamen in ſubjecto vel corpore, diſpoſitiones ad *fieri* animæ rationalis, ſed duntaxat ad ejus *recipi*; ita ut recipiatur quidem in ſubjecto, dependenter à prævviis ejus diſpoſitionibus, fiat tamen aut producatur independenter ab eis.

Urgent: forma ſubſtantialis ligni, & quævis alia materialis forma, à Deo creari poteſt; ut fatentur Peripatetici omnes: ſupponamus igitur, inquiunt, quòd Deus creaverit formam ſubſtantialem hujus ligni; iſta forma ſic creata, fuit in *fieri* à ſubjecto, vel à materia, dependens: ergo licèt forma in *fieri* pendeat à ſubjecto, hoc non impedit, ne creetur. Prob. ant. ideò anima rationalis in *fieri* à materia non dependet, quia eſt immaterialis: ergo cùm è contra forma ſubſtantialis ligni, licèt creata, ſit materialis, debet in *fieri* à materia dependere.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ſupponamus, quòd Deus creaverit formam ſubſtantialem hujus ligni, iſta forma ſic creata, fuit aptitudine in *fieri* à ſubjecto, vel à materia, dependens, concedo:

fuit

ſuit actu in *fieri* à ſubjecto vel à materia dependens, nego; quamvis enim forma illa, utpote materialis, aptitudinaliter, & quantùm ad connaturalem exigentiam, fuerit in *fieri*, vel in *produci*, à ſubjecto, aut à materia dependens; ſive clariùs, connaturaliter petierit dependere, actu tamen & reipſa dependens non fuit; ſed Deus utendo potentia ſua abſoluta, independenter à ſubjecto, vel à materia, ſive independenter à ſubjecti, vel à materiæ diſpoſitionibus prævîis, illam produxit, ſicque ipſam creavit. Unde quòd forma in *fieri*, aptitudine pendeat à ſubjecto, hoc non impedit quidem, ne creetur; benè tamen ſi forma in *fieri* actu pendeat à ſubjecto. Ad prob. ant. reſpondeo, animam rationalem in *fieri*, nec actu, nec aptitudine, à materia dependere, quia eſt immaterialis; unde quia forma ſubſtantialis ligni è contra materialis eſt, debet in *fieri* actu vel aptitudine à materia dependere; actu quidem, ſi educatur; aptitudine verò, ſi creetur.

§. VII.

Aliæ objectiones diſſolvuntur.

OBjiciunt nonò: ſi in ligno daretur forma ſubſtantialis adæquatè à materia diſtincta, annihilaretur, pereunte ligno: atqui non annihilatur, pereunte ligno, cùm omnes Peripatetici doceant, nihil tunc annihilari, ſed fieri ſimplicem ligni & ejus formæ corruptionem: ergo &c. Prob. maj. quod perit ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum, annihilatur: atqui ſubſtantialis forma ligni adæquatè à materia diſtincta, perit ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum, pereunte ligno; cùm nihil ad eſſe ejus intrinſecum pertinens perſeveret: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. Ad cujus prob. diſtinguo maj. quod perit ſecundùm totum ſuum eſſe in-

intrinſecum, nullo remanente ſubjecto, annihilatur, concedo: quod perit ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum, remanente ſubjecto, cui inerat, annihilatur, nego; ſicut enim creari, eſt fieri ex nullo præſuppoſito ſubjecto; ſic propriè annihilari, eſt perire nullo remanente ſubjecto: quamvis autem ſubſtantialis forma ligni à materia ejus adæquatè diſtincta pereat ſecundùm totum ſuum eſſe intrinſecum, pereunte ligno; perit tamen remanente ſubjecto, ſive materia perſeverante, cui inerat in ligno.

Inſtant: ſi deſtrueretur anima rationalis Petri, annihilaretur: ſicut etenim dum anima rationalis producitur, creatur; ſic etiam, ſi deſtruitur, annihilatur: & tamen poterit ejus ſubjectum, nempè materia prima, ſub alia forma remanere: ergo ſubjecti remanentia annihilationi non officit.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ſi deſtrueretur anima rationalis Petri, annihilaretur; & tamen poterit ejus ſubjectum ſub alia forma remanere, diſtinguo, inquam: ſubjectum, à quo fuit in eſſe independens, concedo: ſubjectum, à quo fuerit in eſſe dependens, nego: unde cujuſvis ſubjecti remanentia annihilationi formæ quidem non officit, benè tamen remanentia ſubjecti, à quo ipſa forma fuerit in eſſe dependens; quemadmodùm licèt ſuppoſitio cujuſcumque ſubjecti, creationi formæ non obſit (quandoquidem anima rationalis, quæ creatur, ſupponit ſubjectum, in quo recipitur) attamen ei obeſt ſuppoſitio ſubjecti, à quo in *fieri* dependeat.

Urgent: ſi Deus formam hujus ligni annihilaret, poſſet ejus ſubjectum, ſcilicet materia prima, ſub alia forma permanere; & tamen forma illa ante ſui annihilationem fuiſſet à ſubjecto in eſſe dependens, ut patet: ergo remanentia ſubjecti, à quo fuit forma in eſſe dependens, formæ annihilationi non repugnat.

Reſpondeo negando ant. ſi enim Deus formam

hujus ligni, vel quamcumque aliam à ſubjec
eſſe dependentem annihilaret, neceſse foret
& formam, & ſubjectum deſtrueret, nec p
ſubjectum poſt annihilatam formam permane

Objiciunt decimò: non poteſt aſſignari
ciens cauſa, quæ formam ſubſtantialem equi
ejus materia adæquatè diſtinctam è materiæ p
tentia educat: ergo non datur. Prob. ant. in p
misnamque, forma equi efficienter non educit
ab equo generante; quia, ut ſuppono, equus, è qu
exciſum eſt ſemen, ſtatim poſt emiſſionem ſemi
nis, interiit: efficienter quoque non educitur ab
equa, quæ ſemen excepit; hæc etenim, juxta
D. Thomæ principia, efficienter aut activè ad
eductionem formæ, & equi generationem, non
concurrit, ſed paſſivè tantùm ſe habet, & ma-
teriam, ex qua à generante fœtus efficienter pro-
creatur, dumtaxat ſubminiſtrat.

Reſpondeo negando ant. etenim formam ſub-
ſtantialem equi recenter geniti ab ejus materi
adæquatè diſtinctam è materiæ potentia efficien-
ter educit equus generans; qui quamvis formali-
ter in ſeipſo præſens non ſit, quia, ut ſuppoſi-
tur, interiit; virtualiter tamen adeſt, propter
virtutem ſeminis de ipſo exciſi: ſufficit autem
virtualis præſentia efficientis cauſæ, ut agat, &
effectum producat.

Inſtant: ex hac reſponſione ſequitur, virtutem
ſeminis è generante exciſi educere formam ſub-
ſtantialem equi è potentia materiæ, & equum
ipſum generare: atqui hoc dici non poteſt: ergo
&c. Sequela maj. clara eſt: prob. min. accidens
nequit ſubſtantiam generare, alioquin imperfe-
ctius generaret perfectius: atqui virtus, quæ eſt
in ſemine, eſt accidens, utpote qualitas activa;
equus verò qui generatur, eſt ſubſtantia, ut
conſtat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſequitur virtu-
tem ſeminis è generante exciſi educere formam
ſubſtantialem equi è potentia materiæ, & equum
ipſum

ipſum generare; per modum cauſæ inſtrumentalis, aut virtutis inſtrumentariæ equi generantis, concedo: per modum cauſæ principalis, nego; & hac diſtinctione minori adhibita, conſeq. neganda eſt. Ad prob. mi. iterum diſtinguo maj. *accidens* nequit ſubſtantiam per modum cauſæ principalis generare, concedo; ſiquidem imperfectius, per modum cauſæ principalis, perfectius ſe generare non poteſt: *accidens* nequit ſubſtantiam per modum cauſæ inſtrumentalis generare, nego; quia, ut oſtendetur ſuo loco, cauſa inſtrumentalis poteſt & debet eſſe imperfectior effectu; ideòque quamvis virtus, quæ eſt in ſemine, ſit accidens, & equus, qui generatur, ſit ſubſtantia; poteſt tamen in generatione equi, & formæ ejus è potentia materiæ eductione, eſſe inſtrumentalis cauſa, aut virtus inſtrumentaria generantis.

Objiciunt undecimò: inutiles ſunt formæ ſubſtantiales in compoſitis naturalibus adæquatè à materiis eorum diſtinctæ: ergo non dantur. Prob. ant. ſufficiunt compoſitis naturalibus diverſæ accidentium complexiones, ut à ſe mutuò eſſentialiter diſtinguantur, & in eis ſint operationum & effectuum naturalium principia: ergo præter hujuſmodi accidentium complexiones, inutiles ſunt formæ ſubſtantiales in compoſitis naturalibus adæquatè à materiis eorum diſtinctæ.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. nego iam ant. oſtenſum enim eſt §. III. hujus artiſi, diverſas accidentium complexiones non le compoſita naturalia ſubſtantialia eſſentiae ad invicem diſtinguere; nequeunt eſſe etiam ma operationum & effectuum naturalium ncipia, ſed ſecunda ſolùm, ſive proxima. etior tamen, formas ſubſtantiales, compoſiaturalia ſubſtantialia eſſentialiter ad invicem iminantes, & differentias eſſentiales ab eis uentes, eſſe ſæpè in ſeipſis ignotas nobis, proprietates aut accidentia tantùm nobis

innoteſcere: nec mirum, cùm enim omnis ſtra cognitio, pro hoc ſtatu conjunctionis ani rationalis cum corpore, ortum ducat à ſenſib ea ſæpiùs in ſeipſis ignoramus, quæ ſenſibus ſubduntur; cujuſmodi ſunt formæ ſubſtantia compoſitorum naturalium eſſentialiter conſtit tivæ atque diſtinctivæ, & differentiæ eoru eſſentiales. Sed ſicut nullus ſanæ mentis neg bit, darî morbos, eò quòd illos in ſeipſis ple rumque ignoret, & per eorum effectus dumtaxa agnoſcat: ſic etiam dari in compoſitis naturalibus formas ſubſtantiales adæquatè à materia diſtinctas, quibus eſſentialiter differant, & differentias eſſentiales ex eis effluentes, nullus negare debet Philoſophus, ex eo quòd ſæpiùs illas in ſeipſis neſciamus, & pleraque compoſita naturalia per proprietates & accidentia diſtinguere ſoleamus.

Inſtant: apud Philoſophos, *aqua*, *glacies*, *nix*, *grando*, & *vapor*, ſpecificè, ac proinde eſſentialiter diſtinguuntur; & tamen illa quinque nihil ſunt, præter aquam, quæ varios ſtatus, variaque ſubit accidentia: ergo ſpecifica aut eſſentialis compoſitorum naturalium diſtinctio per accidentia, aut accidentium complexiones, fieri poteſt. Adduntque, diſtinctionem eſſentialem compoſitorum naturalium ex hominum arbitrio pendere; ideòque ex diverſis accidentium conplexionibus ad placitum eſſe ſumendam.

Reſpondeo negando, apud Philoſophos, *aquam*, *glaciem*, *nivem*, *grandinem*, & *vaporem*, ſpecificè vel eſſentialiter propriè diſtingui; diſtinguuntur namque ſpecificè valdè impropriè, accipiendo diſtinctionem ſpecificam latè, pro inſigni aliqua & notabili differentia, quæ in aqua, glacie, nive, grandine, & vapore, à diverſis aquæ ſtatibus, diverſiſque accidentibus oritur. Ad id, quod addunt adverſarii, nempè diſtinctionem eſſentialem compoſitorum naturalium ex hominum

num arbitrio pendere; id negandum est: sicut enim compositorum naturalium essentiæ ex hominum arbitrio non pendent, ita neque essentiales eorum differentiæ. Quòd autem homines persæpè composita naturalia per varia distinguant accidentia, hoc ex differentiarum essentialium ignorantia emanat.

Articulus Secundus.

Quæ formæ substantiales è materiæ potentiæ educantur?

§. I.

Quædam prænotantur.

NOtandum est primò, duo esse formarum substantialium genera. Quædam enim substantiales formæ sunt *materiales*, aliæ verò *immateriales*. Formæ ex eo non dicuntur materiales, quòd materia sit ipsis intrinseca, sicut intrinseca est toti physico, quod componit; sed quia per se & connaturaliter in *fieri, esse, cõservari, & operari*, à materia pendent; ita ut independẽter à materia, nec fieri, nec esse, nec conservari, nec operari naturaliter possint: & hujusmodi sunt omnes formæ substantiales, si formam substantialem hominis, nempe animam rationalem, excipias. Substantialis item forma immaterialis, ea est, quæ è contra in *fieri, esse, conservari, & operari*, à materia non pendet; adeò ut fieri, esse, conservari & operari, sine materia naturaliter possit; ut est anima rationalis. Dificultas igitur est, an omnes formæ substantiales sive materiales sint, sive immateriales, educantur de potentia materiæ? Quod ut intelligatur. notandum est secundò, quòd ut unum ex alio educatur, est necessè, ut in eo præcontineatur. quod nullo modo in alio continetur, pacto ex eo educi potest. Dupliciter

autem poteſt unum in alio contineri; *in actu* nimirum, vel *in potentia*. Tunc unum eſt in alio in actu, quando ſic in alio poſitum eſt, ut ſecundùm entitatem ſuam intra ejus exiſtat terminos; hoc modo pecunia in crumena continetur. Tunc verò unum in alio in potentia continetur, quantùm ad præſens ſpectat propoſitum, quando unum eſt in alio, ſicut effectus in cauſa, ex qua prodire poteſt. Duplex autem eſt potentia, una *activa*, *paſſiva* altera. Activa ſive effectiva potentia efficienti convenit cauſæ; proprium quippe munus cauſæ efficientis, eſt agere. Paſſiva verò, ſive receptiva potentia materiali conceditur cauſæ; pati namque vel recipere formam, ad materialem pertinet cauſam.

Itaque tribus modis unum poteſt ex alio educi. Uno modo, ſicut ex loco, in quo actu præcontinebatur; ſic educitur pecunia de crumena: & de hac eductione nunc non eſt ſermo. Secundò unum educitur ex alio ſicut ex cauſa efficiente, in cujus potentia activa, ante ſui eductionem vel productionem, virtualiter includebatur; ſic verno tempore educuntur flores ex arboribus, in quarum potentia activa hyemali tempore præexiſtebant: & de hac etiam eductione hic non erit ſermo. Tertiò tamdem poteſt unum educi ex alio, tamquam ex cauſa materiali, in cujus potentia paſſiva præcedebat: & de iſta eductione deinceps erit dicendum; quæ ut ampliùs innoteſcat.

Notandum eſt tertiò, ad veram propriè dictam formæ de potentia materiæ eductionem, tres potiſſimùm deſiderari conditiones. Prima eſt, ut materia prioritate temporis vel naturæ educibilem formam præcedat; ſi enim materia nullo modo formam antecederet, non ex materia, ſed ex nihilo, forma fieret; ſicque non educeretur, ſed crearetur. Secunda conditio eſt, ut materia, & educibilis forma, per diſtinctas fiant actiones: nam ſi materia, & educibilis forma,

per

per eamdem fierent actionem, non deberet forma dici ex materia fieri vel educi; ſed materia, & forma, comproduci vel ſimul produci, dici deberent. Tertia conditio eſt, ut educibilis forma præſertim in *fieri* pendeat à materia; in hoc namque eductio à creatione maximè diſcriminatur, quòd res creata ſit in *fieri* ab omni materia vel ſubjecto independens; res verò educta in *fieri*, neceſſariò à materia vel à ſubjecto pendeat.

Ex his omnibus facilè intelliges, quid ſit, formam educi de potentia materiæ? *Formam ſiquidem educi ex paſſiva materiæ potentia, eſt eam fieri actu in materia, in cujus potentia paſſiva præcontinebatur, ipſa materia ad* fieri *formæ per modum cauſæ materialis concurrente.*

§. II.

Quid de formarum ſubſtantialium mixtorum corporum productione ſit ſentiendum?

DIco primò: formæ ſubſtantiales mixtorum corporum (ſi anima rationalis excipiatur) de materiæ potentia educuntur. Ita Peripatetici.

Probatur primò: illæ formæ in ſui productione de materiæ potentia educuntur, quæ ante ſui productionem in potentia materiæ præcontinebantur; ut patet: atqui formæ ſubſtantiales mixtorum corporum ante ſui productionem præcontinebantur in potentia materiæ: ergo &c. Prob. mi. Materia præcontinet in ſua potentia formas, quæ cum ipſa ejuſdem ſunt ordinis; ut conſtat: atqui formæ ſubſtantiales mixtorum corporum ſunt cum materia ejuſdem ordinis, cùm ſint materiales: ergo &c.

Probatur ſecundò. illæ formæ educuntur de potentia materiæ, quibus omnes conveniunt conditiones ad eductionem formæ de potentia materiæ deſideratæ: atqui formis ſubſtantialibus mixtorum cor-

corporum omnes conveniũt conditiones ad eductionem formæ de potentia materiæ deſideratæ; ergo &c. Prob. min. tres ſunt conditiones ad eductionem formæ de potentia materiæ deſideratæ: Prima eſt, ut materia prioritate temporis, vel naturæ, formam educibilem antecedat: Secunda eſt, ut materia, & educibilis forma, diſtinctis producantur actionibus: Tertia tamdem eſt, ut forma educibilis in *fieri* pendeat à materia: atqui hę tres conditiones competunt ſubſtantialibus formis mixtorum corporum: ergo &c. Maj. patet ex dictis §. præcedenti. Prob. min. & in primis, materia prima formas ſubſtantiales mixtorum corporum antecedit; nam materia prima ab initio mundi in Cœlis & Elementis facta eſt, ante omnium mixtorum corporum generationem; ut legitur Geneſ. c. 1. ſi autem materia prima omnium mixtorum corporum generationem anteceſſit, & ante omnia mixta corpora in Cœlis ac Elementis facta eſt, ſequitur manifeſtè, actionem, qua materia prima fuit producta, præceſſiſſe actionem, quæ mixta corpora, & ſubſtantiales mixtorum corporum formas, effecit, & quotidiè efficit; & ita formis ſubſtantialibus mixtorum corporum conveniunt duæ priores ad eductionem formæ de potentia materiæ deſideratæ conditiones; nempe ut materia formam educibilem antecedat, & materia, ac educibilis forma, diſtinctis producantur actionibus, quarum una præcedat alteram. Denique formæ ſubſtantiales mixtorum corporum in *fieri* à materia pendent; ſunt namque hujuſmodi formæ materiales: vocatur verò forma materialis, quæ per ſe & connaturaliter in *fieri*, *eſſe*, *conſervari*, & *operari*, à materia pendet.

Objicies primò: Ex eo ſolùm forma educi poteſt, in quo eſt: atqui ſubſtantialis forma corporis mixti, ante ſui productionem, in materia non eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui ſubſtantialis forma corporis mixti ante ſui pro-

productionem in materia non est : non est in actu concedo: non est in potentia passiva materiæ, nego. Sicut autem ut effectus à causa efficiente producatur, sat est, ut in ejus potentia activa præcedat; sic etiam, ut forma è materia verè ac propriè educatur, est satis, ut in ejus potentia passiva antecedat, & materia possit ad *fieri* formæ per modum causæ materialis & subjectivæ concurrere.

Instabis: Vinum ex dolio educi non potest, si in potentia tantùm in eo præexistat: ergo etiam substantialis forma ex materia educi nequit, si in potentia solùm in ea præcedat.

Respondeo negando paritatem. Vinum quippe educitur ex dolio velut ex loco; res autem locata è loco educi non potest, nisi priùs in eo actu contineatur: forma verò substantialis educitur ex materia sicut ex causa; necessè autem non est ut effectus actu in causa præcontineatur, ut ex ea educatur; sed sufficit planè, ut in ejus potentia præexistat; *in potentia quidem activa*, si causa sit efficiens; in potentia verò passiva, si sit materialis causa.

Objicies secundò: si aliqua substantialis forma *educeretur* è materia, ab ea in *esse* penderet: atqui forma substantialis nequit in *esse* à materia dependere: ergo &c. Maj. clara est: forma quippe, quæ è materia educitur, debet juxta nos, in *fieri*, *esse*, *conservari & operari*, à materia pendere. Prob. autem min. perfectius nequit in eo, quo perfectius est, ab imperfectiori dependere, ut constat: atqui omnis forma substantialis est in *esse* materia perfectior; cùm in sententia D. Thomæ materia prima sit pura potentia, quæ totum suum esse semper à forma substantiali mutuatur: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. Si aliqua substantialis forma *educeretur* è materia, à materia in *esse* penderet, velut à subjecto, quod perficeret, & cui *esse* tribueret; sine quo tamen naturaliter esse non posset, concedo: à materia in

eſſe dependeret, tamquam à perfectionis & exiſtentiæ ſuæ principio, nego: licèt autem ſubſtantialis forma, utpote in *eſſe* materia perfectior, non poſſit in *eſſe* à materia dependere, ſicut à perfectionis & exiſtentiæ ſuæ principio; attamen nihil impedit, ne ſubſtantialis forma materialis in *eſſe* à materia pendeat velut à ſubjecto, quod perficiat, cuique *eſſe* tribuat, ſine quo tamen naturaliter eſſe exiſtere nequeat.

§. III.

Quonam modo anima rationalis producatur?

DIco ſecundò: anima rationalis è potentia materiæ non educitur, ſed immediatè à Deo creatur. Ita Philoſophi & Theologi communiter cum D. Thoma 1. p. q. 90. a. 2. & lib. 2. contra Gent. cap. 86. & 87. & alibi.

Probatur: ea ſola forma è potentia materiæ educitur, quæ in ejus potentia continetur: atqui anima rationalis in potentia materiæ minimè continetur: ergo &c. Maj. plana eſt. Prob. min. ſicut cauſa naturalis non continet in potentia ſua, niſi effectus naturales; ita cauſa materialis in ſua potentia eas tantùm continet formas, quæ ſunt materiales: ergo cùm rationalis anima materialis non ſit, ſed potiùs ſpiritalis & prorsùs immaterialis; ut Chriſtiana docet fides, & ſuadet ratio ſuo loco exponenda; hæc anima in materiæ potentia, ſive in potentia materialis cauſæ, minimè continetur.

Objicies primò: ea forma è materiæ potentia educitur, quæ in ejus potentia præcontinetur; atqui anima rationalis in potentia materiæ præcontinetur: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. potentia materiæ eſt receptiva quædam potentia, ut certum eſt: atqui anima rationalis in receptiva materiæ potentia præcontinetur, utpote receptibilis in ipſa; ergo &c. Tum etiam quia

omnis

omnis actus præcontinetur in ſua potentia: materia autem eſt animæ rationalis receptiva potentia.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ea forma è materiæ potentia educitur, quę in ejus potentia eductiva & cauſativa præcontinetur, concedo: quæ in ejus potentia purè receptiva præcontinetur, nego: anima autem rationalis in potentia quidem materiæ purè receptiva præcontinetur, at non in ejus potentia eductiva & cauſativa.

Duplex igitur eſt in materia prima diſtinguenda potentia, una purè *receptiva*, *cauſativa* altera. Prior potentia illa eſt, qua materia purè recipit formam, nihil in eam influendo, ſicut vas nihil influit in vinum quod recipit. Cauſativa materiæ potentia eſt illa, qua materia per modum cauſæ materialis, ex prævіis diſpoſitionibus, influit in *fieri* formæ, quam recipit, quæque ex ipſa velut ex cauſa materiali educitur. Quando ergo hìc quærimus, quæ formæ è materiæ potentia educantur? non loquimur de potentia purè receptiva; indubitatum enim eſt, ex hac materiæ potentia eas omnes formas educi, quæ in materia recipiuntur, ſive materiales ſint, ſive immateriales, ut ſunt animæ rationales: ſed eſt ſermo de ſola potentia cauſativa materiæ, ex qua potentia eæ tantùm formæ educuntur, quæ cauſalitati & influxui materiæ ſubduntur: quæ ſunt dumtaxat formæ materiales, inter quas anima rationalis locum non habet.

Ex quo patet ad id quod additur; etenim dicendum eſt, materiam eſſe animæ rationalis purè receptivam potentiam, non verò cauſativam, vel propriè eductivam.

Inſtabis: ea forma, ſecundùm nos, verè proprièque educitur de potentia materiæ, in quam influit materia: atqui materia in animam rationalem influit: ergo &c. Prob. min. materia in formam non influit, niſi eam recipiendo: ergo cùm materia verè proprièque animam rationalē

recipiat, in ipſam verè proprièque influit.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. diſtinguo ant. materia in formam non influit, niſi eam recipiendo, per modum materialis cauſæ, concedo: niſi eam recipiendo per modum puri ſubjecti, nego: materia verò rationalem recipit animam per modum puri ſubjecti, non autem per modum materialis cauſæ: ut enim ſuprà diximus, ſicut cauſa naturalis, prout talis eſt, in effectus naturales dumtaxat valet influere; ſic etiam cauſa materialis in formas tantùm materiales influere poteſt: unde mirum non eſt, ſi in animam rationalem, quæ immaterialis eſt, non influat, quamvis eam in ſe recipiat.

Tum etiam, quia ut materia poſſit influere in *fieri* formæ, prorsùs neceſsè eſt, ut ſint in materia prævіæ ad hoc *fieri* diſpoſitiones; non inducuntur autem in materiam prævіæ ad *fieri*, ſed ſolùm ad *recipi* rationalis animæ diſpoſitiones; neque etenim Deus, qui animæ rationalis auctor ſolus eſt, indiget prævіis materiæ diſpoſitionibus ad animæ rationalis è nihilo productionem; ſed illæ diſpoſitiones prævіæ idcircò ſolùm in materiam inducuntur, ut à Deo producta rationalis anima, in materia recipiatur.

Ex quibus facilè ſolves tritum hoc argumentum: ea forma educitur è materiæ potentia, quæ in ea fit actu, cùm anteà in ejus eſſet potentia: atqui anima rationalis, dum homo generatur, fit actu in materia, cùm anteà in ejus eſſet potentia: ergo &c. Diſtinguenda enim eſt major, hoc pacto: ea forma educitur è materiæ potentia, quæ in ea fit actu, cùm anteà in ejus eſſet potentia cauſativa & eductiva, concedo: cùm anteà in ejus eſſet potentia purè receptiva, nego: anima autem rationalis, dum homo generatur, non ita fit actu in materia, ut in ejus potentia cauſativa & eductiva præexiſteret anteà; ſed in ſola illius potentia purè receptiva.

Obji-

Objicies secundò: illa forma educitur de materiæ potentia, quæ in suo *fieri* pendet à materia: atqui anima rationalis in suo *fieri* pendet à materia: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. ea forma in *fieri* pendet à materia, quę maturaliter fieri nequit absque materia: atqui anima rationalis naturaliter fieri nequit absque materia seu corpore: ergo &c.

Confirmatur: cum *esse* ex *fieri* oriatur, forma, quæ in *esse* à materia pendet, etiam in *fieri* ab ea dependet: atqui anima rationalis in *esse* à materia pendet: ergo &c. Prob. min. cùm *operari* sequatur *esse*, forma, quæ in *operari* pendet à materia, in *esse* quoque ab illa dependet: atqui anima rationalis in *operari* dependet à materia: ergo &c. Prob. min. *operari* animæ rationalis, est *intelligere*: atqui anima rationalis in *intelligere* pendet à materia, sive à corpore: ergo &c. Min. ex eo prob. quòd anima rationalis *intelligere* nequit, nisi dependenter à corporis sensibus, juxta illud axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Tum etiam, quia operationes sensuum in homine sunt animæ rationalis operationes, cùm ab ipsa ut à radice oriantur: animam verò rationalem, quantùm ad operationes sensuum, pendere à corpore, clarum est.

Ad objectionem respondeo distinguendo ma. Illa forma educitur de materiæ potentia, quæ in suo *fieri* pendet à materia, velut à causa, concedo: quæ in suo *fieri* pendet à materia, velut à comparte duntaxat, nego: anima autem rationalis in suo *fieri* non pendet à materia, tanquam à causa, sed solùm velut à comparte, in qua creatur, & sine qua naturaliter produci non potest; quandoquidem juxta naturalem rerum ordinem, anima rationalis à Deo non fit, nisi ut infundatur corpori, & cum illo hominem constituat.

Ad confirmationem respondeo concessa, vel data

data maj. negando min. Ad cujus prob. diſtingu
maj. forma, quæ in *operari* abſolutè & ſimpliciter pendet à materia, in *eſſe* quoque ab illa depe
det, concedo: forma quæ in *operari* ex ſuppoſitione tantùm & ſecundùm quid pendet à mate
ria, in *eſſe* quoque ab illa dependet, nego: h
cèt autem anima rationalis ſecundùm quid & ex ſuppoſitione, quòd ſit in corpore, &
per organa corporis operetur, in *operari*, nem
pè in *intelligere*, à materia, aut à corpore pen
deat, non pendet tamen abſolutè & ſimpliciter
quin potiùs abſolutè & ſimpliciter ſine corpo
intelligere poteſt, ut patet in ipſa anima ration
li à corpore ſeparata, quæ naturaliter eo in ſ
tu in *eſſe* permanet, intelligitque independe
ter planè à corpore. Axioma verò illud: *N
eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſ*
exponendum eſt de intellectu corpori junct
non autem de intellectu ſecundùm ſe ſpectat
Nec obſtat, quòd rationalis anima, quantùm
operationes ſenſuum, à corpore pende
cùm enim ſint minùs principales animæ ra
nalis operationes, inde ſequitur ſolùm, ra
nalem animam in operando, ſecundùm
pendere à corpore, minimè verò ſimpli
& abſolutè.

§. IV.

Qua actione productæ fuerint Cœlorum & E mentorum formæ?

TRiplex eſt circa præſentem quæſtione
tentia. Prima eſt Thomiſtarum a
tium, ſubſtantiales Cœlorum & Elemen
formas non fuiſſe eductas, ſed ad creation
tius compoſiti concreatas. Secunda ſen
præcedenti oppoſita eſt Vaſquez, & alior
centium, formas illas fuiſſe eductas, n

tas. Tertia tandem ſententia concedit quidem, formas cœlorum eſſe creatas aut concreatas; ſed de formis elementorum id negat, docetque hujuſmodi formas fuiſſe de materiæ potentia eductas; quam ſententiam defendit Suarez.

Dico tertiò: ſubſtantiales Cœlorum & Elementorum formæ, non fuerunt de materiæ potentia eductæ, ſed ad creationem Cœlorum & Elementorum concreatæ. Ita omnes primæ ſententiæ defenſores, cum D. Thoma pluribus in locis, & præſertim 1. p. q. 65. art. 4. ubi de Cœlorum & Elementorum productione ſic fatur: *In prima corporalis creaturæ productione non conſideratur aliqua tranſmutatio de potentia in actum*: id eſt aliqua eductio; in eductione quippe materia de potentia in actum tranſmutatur: cùm enim ante eductionem materia in potentia tantùm formam haberet, eam actu per eductionem conſequitur.

Probatur fundamentali ratione: una ex conditionibus ad eductionem formæ de potentia materiæ deſideratis eſt, ut materia & educibilis forma diſtinctis producantur actionibus: atqui materia & ſubſtantiales Cœlorum & Elementorum formæ diſtinctis actionibus productæ non fuere, ſed una & eadem actione totius compoſiti cœleſtis vel elementaris productivâ: ergo &c. Maj. §. I. probata eſt. Prob. min. & præſertim de materia: ſi materia Cœlorum & Elementorum propria actione diſtincta, tum à productione cœleſtis aut elementaris formæ, tum à totius compoſiti cœleſtis vel elementaris effectione, producta eſt; ſequitur, materiam Cœlorum ac Elementorum propriam habere exiſtentiam: atqui materia Cœlorum & Elementorum propriam non habet exiſtentiam: ergo &c. Sequela maj. ex ipſa adverſariorum doctrina patet; eſt namque apud illos quaſi axioma, *actionem productivam ad exiſtentiam rei productæ terminari*; ita ut quod propria producitur actione, propriam ſibi vendicet

cet exiſtentiam; ex quo inferunt, materiam primam in quovis compoſito ſublunari propriam habere exiſtentiam, ab exiſtentia formæ diſtinctam, quia putant illam fuiſſe factam actione propria à productione formæ diſtincta. Min. verò conſtat ex iis, quæ ſuprà, q. 2. a. 2. dicta probataque ſunt; ibi enim varias adduximus rationes, quibus invictè probavimus, quamcumque materiam primam, ſive cœleſtem, ſive elementarem, aut ſublunarem, propria carere exiſtentia; ut legenti conſtabit.

§. V.

Præcipuæ contra hanc concluſionem objectiones ſolvuntur.

OBjicies primò: ea forma educitur de materia, quæ in *fieri* pendens eſt à materia: atqui formæ cœlorum & elementorum fuere in *fieri* à materia dependentes: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. tale eſt *fieri*, quale eſt eſſe, ut habet commune Philoſophorum dictum: atqui formæ cœlorum & elementorum fuerunt ſemper à materia in *eſſe* dependentes; utpotè materiales: ergo &c.

Confirmatur: cùm *operari* ſequatur *eſſe*, forma, quæ in *operari* pendet à materia, etiam in *eſſe* dependet ab illa: atqui formæ cœlorum & elementorum in *operari* pendent à materia; cùm earum operationes ſint materiales: ergo &c.

Ad objectionem reſpondeo diſtinguendo maj. ea forma educitur de materia, quæ in *fieri* pendens eſt à materia, ſicut à ſubjecto præſuppoſito, ex quo fiat, concedo: ea forma educitur de materia, quæ in *fieri* pendens eſt à materia, tanquam à comparte dumtaxat, nego: formæ autem cœlorum & elementorum fuere quidem in *fieri* dependentes à materia, ſicut à comparte, in qua, & cum qua factæ ſunt, ſine qua etiam natu-

rali-

raliter *fieri*, *esse*, & *operari* non possunt: at non fuerunt formæ illæ dependentes à materia tanquam à subjecto præsupposito, ex quo fuerint factæ. Ex quibus facilis erit ad confirmationem responsio.

Objicies secundò: ea forma educitur de materiæ potentia, quæ in potentia materiæ præcontinebatur: atqui cœlorum & elementorum formæ præcontinebantur in potentia materiæ: ergo &c. Maj. clara est. Prob. min. forma receptibilis in materia, in ejus potentia præcontinetur, maximè si sit materialis: atqui substantiales cœlorum & elementorum formæ erant receptibiles in materia, nec non materiales, ut constat: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ea forma educitur de materiæ potentia, quæ in potentia eductiva materiæ præcontinebatur, concedo: quæ in potentia purè receptiva materiæ præcontinebatur, nego: *substantiales verò cœlorum & elementorum formæ præcontinebantur quidem in potentia purè receptiva materiæ, utpotè receptibiles in illa*: at in potentia eductiva materiæ nullo modo præexistebant formæ illæ; etenim ut materia præcontineat aliquam formam in sua eductiva potentia, necessarium prorsùs est, quòd illam antecedat, ut producta per actionem distinctam ab actione formæ illius effectiva: materia autem cœlorum & elementorum hoc modo formas eorum non præcessit; ut ex dictis liquet.

Objicies tertiò: ut forma educatur de subjecti potentia, sat est, ut subjectum prioritate naturæ & rationis formam antecedat; sicut patet in natura Angelica, quæ in primo creationis suæ instanti sola naturæ & rationis prioritate gratiam sanctificantem antecessit, ut docent Theologii; & tamen juxta communem Theologorum doctrinam, gratia sanctificans ex potentia obediemtiali naturæ Angelicæ educta est: atqui dicèit materia cœlorum & elementorum substan-

ſtantiales eorum formas prioritate temporis aut durationis non præceſſerit, illas tamen prioritate naturæ & rationis antecedit; priùs ſiquidem concipit ratio materiam Cœlorum & Elementorum productam fuiſſe, quàm ſubſtantiales ipſorum formas recepiſſe: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ut forma educatur de ſubjecti potentia, ſat eſt, ut ſubjectum prioritate naturæ & rationis formam antecedat: ſi ſubjectum & forma diſtinctis fiant actionibus, ſicut natura Angelica & gratia ſanctificans diſtinctis actionibus factæ ſunt, concedo: ſi ſubjectum & forma eadem fiant actione, nego: eſto autem materia Cœlorum & Elementorum ſubſtantiales illorum formas prioritate naturæ & rationis anteceſſerit; materia tamen Cœlorum & Elementorum, ipſorumque ſubſtantiales formæ, eadem actione productæ fuere; ut ex dictis patet.

Inſtabis: materia elementorum, & eorum formæ diſtinctis productæ ſunt actionibus: ergo fuerunt formæ illæ de materia eductæ. Conſeq. ex his quæ dicta ſunt, liquet. Prob. ant. cùm *conſervatio ſit continuata productio*, ut communiter dicitur; ubi ſunt conſervationes diſtinctæ, ibi etiam ſint productiones, aut actiones productivæ diſtinctæ, neceſſe eſt: atqui conſervatio materiæ elementorum, & formarum illorum conſervatio, ſunt diſtinctæ: ergo &c. Prob. min. illæ actiones diſtinguuntur, quarum una permanere poteſt alia ceſſante: atqui conſervatio materiæ elementorum permanere poteſt, ceſſante formarum elementorum conſervatione: ergo &c. Prob. min. nam dum v. g. ex terra generatur planta, pars terræ corrumpitur, ut fiat plantæ generatio; tunc igitur forma terræ in parte illa corrupta planè deſinit, proindèque ceſſat ejus conſervatio; & tamen permanet materiæ illius partis corruptæ conſervatio: quandoquidem materia illius partis non corrumpitur (eſt quippe incorruptibilis) ſed conſervatur, & in planta genita per-

perseverat: potest ergo conservatio materiæ elementorum permanere, cessante formarum elementorum conservatione.

Respondeo negando ant. Ad cujus prob. concessa maj. nego min. sicut enim materia & forma cujuslibet elementi proprias & distinctas non habent productiones, (alioquin proprias & distinctas haberent existentias, ut suprà dicebamus) ita proprias & distinctas non habent conservationes, sed ad conservationem totius elementi conservantur. Ad prob. min. concessa iterum maj. nego min. Ad prob. ipsius nego, quòd dum ex terra generatur planta, & pars terræ corrumpitur, ut fiat plantæ generatio, tunc permaneat materiæ illius partis corruptæ conservatio: quamvis enim materia illa non corrumpatur, sed perseveret atque conservetur, non tamen eadem conservatione, qua anteà; siquidem anteà hujusmodi materia ad conservationē partis terræ, quæ corrupta est, conservabatur; posteà verò ad conservationem plantæ ex terra genitæ conservatur.

Urgebis: conservatio alicujus debet esse tantæ virtutis, ut ipsum possit producere; imò deberet illud producere, si productum non inveniret: atqui conservatio plantæ de terra genitæ nequit materiam producere: ergo &c. Prob. min. cùm conservatio sit continuata productio, conservatio plantæ ex terra genitæ debet esse continuata generatio: atqui continuata generatio non potest materiam producere: ergo &c. Prob. min. continuata generatio non potest, nisi rem generabilem producere: atqui materia non est res generabilis, sed potiùs ingenerabilis; ut in q. de materia ostensum est: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. conservatio alicujus debet esse tantæ virtutis, ut ipsum possit producere, &c. si spectetur conservatio, ut est à Deo conservante, concedo; cùm enim Deus infinitæ sit virtutis, ita actione sua rem productam

ctam conſervat, ut ipſe ſolus rem illam eadem actione poſſit producere; reipſaque eam produceret, ſi jam illam non produxiſſet: conſervatio alicujus debet eſſe tantæ virtutis, ut ipſum poſſit producere, &c. ſi conſervatio conſideretur, ut eſt ab agente creato, quod ſemper finitæ virtutis eſt, nego; ad rationem quippe conſervationis in agente creato ſatis eſt, ut ſuo influxu rem productam in eſſe ſervet ac foveat. Licèt autem conſervatio plantæ de terra genitæ, prout eſt ab agente creato, v.g. à Sole, influxu ſuo plantam fovente, materiam producere nequeat, quia ſic ſpectata eſt pura generatio continuata; materiam tamen producere valet conſervatio plantæ, ſi ſumatur prout eſt à Deo conſervante, quia ita ſumpta eſt eminenter creativa, utpotè influxus Dei creatoris; quamvis in planta genita & conſervata nihil actu creet, eo quòd ibi nulla eſt creationis neceſſitas.

Urgebis iterùm: conſervatio rei debet eſſe continuata rei productio, ut ex dictis patet: atqui conſervatio plantæ è terra genitę non eſt continuata materiæ productio: ergo &c. Prob. min. ea actio ſolùm eſt continuata materiæ productio, quæ materiam produxit: atqui conſervatio plantæ è terra genitæ materiam non produxit, ſed illam ab initio mundi productam ſupponit: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. conſervatio rei debet eſſe continuata rei immediatè & primariò conſervatæ productio, concedo: debet eſſe continuata rei etiam mediatè & ſecundariò conſervatæ productio, nego. Dum autem materia conſervatur, immediatè, primariò, & ratione ſui non conſervatur; ſed mediatè tantùm, ſecundariò, & ratione totius phyſici ſubſtantialis: ideòque opus non eſt, ut materiæ conſervatio ſit continuata illius productio; ſed prorsùs ſufficit, ut ſit continuata totius phyſici ſubſtantialis, v. g. plantæ, productio; hoc ipſo namque, quòd totum

ttum physicum substantiale, v. g. planta, per con-
ttinuatam sui productionem immediatè, primariò
& ratione sui, in esse conservatur; etiam mate-
rria, quæ est illius pars intrinseca, censetur me-
ediatè, secundariò, & ratione ipsius totius physi-
ci substantialis in esse conservari, quamtumvis
per actionem illam producta nunquam fuerit.
Tum maximè, quia materia proprium non habet
esse, sed illud à toto physico substantiali mu-
tuatur; ideòque dum totum physicum substantia-
lle in *esse* immediatè & primariò continuatur, om-
minò necesse est, ut etiam mediatè & secundariò
materia in *esse* continuetur; cùm sit idem *esse* to-
tius physici substantialis, & materiæ; etiamsi
materia propriè non producatur, sed in *esse* dun-
taxat perpetuetur.

Dices: sæpè asserunt SS. Patres, materiam in-
formem tempore præcessisse formas in prima re-
rum productione: ergo materia per actionem di-
stinctam à formarum effectione producta est;
proindèque formæ omnes fuere de materia edu-
ctæ.

Respondet D. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. SS. Pa-
tres formarum nomine non intelligere formas
substantiales, sed formositatem aut decorem qui
nunc in corpore à creatura cernitur.

Objicies quartò: non repugnat, ut materia per
propriam fiat actionem: ergo materia in creatio-
ne Cœlorum & Elementorum per propriam
actionem distinctam ab actione formarum cœle-
stium & elemẽtarium effectrice, reipsa producta
est; ac subinde formę illę fuere de materiæ poten-
tia eductæ. Conseq. ex *dictis* constat. Prob. ant.
quando ex speciebus Eucharisticis vermes aut
cineres generantur, materia fit per propriam
actionem: ergo non repugnat, ut materia per
propriam fiat actionem. Prob. ant. nisi tunc mate-
ria per propriam fieret actionem, v. g. per creatio-
nem, vermes aut cineres non possent generari;
quandoquidem generatio debet esse ex produ-

cta

ctam conſervat, ut ipſe ſolus rem illam eadem actione poſſit producere; reipſaque eam produceret, ſi jam illam non produxiſſet: conſervatio alicujus debet eſſe tantæ virtutis, ut ipſum poſſit producere, &c. ſi conſervatio conſideretur, ut eſt ab agente creato, quod ſemper finitæ virtutis eſt, nego; ad rationem quippe conſervationis in agente creato ſatis eſt, ut ſuo influxu rem productam in eſſe ſervet ac foveat. Licèt autem conſervatio plantæ de terra genitæ, prout eſt ab agente creato, v. g. à Sole, influxu ſuo plantam fovente, materiam producere nequeat, quia ſic ſpectata eſt pura generatio continuata; materiam tamen producere valet conſervatio plantæ, ſi ſumatur prout eſt à Deo conſervante, quia ita ſumpta eſt eminenter creativa, utpotè influxus Dei creatoris; quamvis in planta genita & conſervata nihil actu creet, eo quòd ibi nulla eſt creationis neceſſitas.

Urgebis iterùm: conſervatio rei debet eſſe continuata rei productio, ut ex dictis patet: atqui conſervatio plantæ è terra genitę non eſt continuata materiæ productio: ergo &c. Prob. min. ea actio ſolùm eſt continuata materiæ productio, quæ materiam produxit: atqui conſervatio plantæ è terra genitæ materiam non produxit, ſed illam ab initio mundi productam ſupponit: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. conſervatio rei debet eſſe continuata rei immediatè & primariò conſervatæ productio, concedo: debet eſſe continuata rei etiam mediatè & ſecundariò conſervatæ productio, nego. Dum autem materia conſervatur, immediatè, primariò, & ratione ſui non conſervatur; ſed mediatè tantùm, ſecundariò, & ratione totius phyſici ſubſtantialis: ideòque opus non eſt, ut materiæ conſervatio ſit continuata illius productio; ſed prorsùs ſufficit, ut ſit continuata totius phyſici ſubſtantialis, v. g. plantæ, productio; hoc ipſo namque, quòd totum

ſta & præſuppoſita materia: ergo cùm revera vermes aut cineres generentur, ut ſupponitur; debet præcedere materia per propriam actionem producta.

Reſpondeo primò negando ant. ſi etenim materia per propriam fieret actionem, propriam haberet exiſtentiam; quod planè repugnat. Ad prob. ant. nego etiam ant. Ad cujus prob. dico quòd ex ſpeciebus Euchariſticis vermes aut cineres propriè non generantur, quia propriè dicta generatio debet eſſe ex præſuppoſita materia; quando verò ex ſpeciebus ſacramentalibus vermes aut cineres fiunt, non præſupponitur præſens panis & vini materia; ſed in Corpus & Sanguinem Chriſti verſa eſt: contingit itaque tunc impropriè dicta ſolùm vermium vel cinerum generatio, quatenùs agens naturale ſua actione in ſpecies ſacramentales eas diſpoſitiones introducit, quæ ad vermium aut cinerum generationem forent ſatis, ſi præſens eſſet materia; quibus diſpoſitionibus introductis, ex vi præcedentis miraculoſæ converſionis materiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, connaturaliter & abſque novo miraculo, ſequitur ſpecierum ſacramentalium in vermes aut cineres converſio.

Reſponderi poteſt ſecundò, dato, quòd dum vermes vel cineres ex ſpeciebus Euchariſticis generantur, materia miraculosè per propriam fiat actionem, propter ſcilicet præcedens miraculum, quo materia panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti converſa eſt; quo miraculo ſuppoſito, videtur neceſſarium, ut in inſtanti generationis vermium vel cinerum, materia per propriam actionem, v. g. per creationem producatur; quia alioquin non fieret propriè dicta vermium aut cinerum generatio, quam tamen tunc fieri probabile eſt, & à multis defenditur; reſpondeo, inquam, hoc dato, negando, poſſe inde inferri, materiam in creatione Cœlorum & Elemen-

mentorum per propriam actionem factam fuisse ; ut enim docet D. Thomas quæst. 6. de potentia a. 1. ad 9. in prima rerum productione nullum fuit miraculum, sed res omnes juxta connaturalem exigentiam suam productæ fuerunt ; materia autem connaturaliter non exigit per propriam actionem fieri ; sed cùm sit pars totius physici substantialis, & pura potentia, connaturaliter petit ad productionem totius physici substantialis comproduci.

Articulus Tertius.

An formæ accidentales de potentia subjecti educantur ?

NOtandum est primò, quòd sicut materia prima est substantialis formæ subjectum, in quo recipitur, & cum quo compositum substantiale constituit; ita substantia est pariter accidētis seu accidentalis formæ subjectum, in quo etiam recipitur, & cum quo totum accidentale componit. Quæritur ergo, utrum quemadmodùm quædam formæ substantiales è materiæ potentia educuntur, ut in præcedenti articulo dictum est ; ita etiam quædam formæ accidentales è potentia sui subjecti educantur.

Notandum est secundò, duo esse accidentium genera. Alia etenim sunt quæ necessarium habent cum subjecto nexum, ita ut hujusmodi accidentia & subjectum eadem fiant actione ; eo ordine, ut actio productiva primariò ad subjectum, & secundariò tantùm ad accidentia illa terminetur ; quæ accidentia solent propriæ passiones subjecti, sive ejus proprietates nuncupari. Alia sunt accidentia, quæ subjecto contingenter competunt, & per actionem distinctam à productione subjecti fiunt ; ejusmodi sunt albedo in pariete, nigredo in panno, & calor in aqua. Quæstio igitur est, utrum hæc omnia acciden-

dentia de potentia ſubjecti educantur.

Notandum eſt tertiò, poſſe triplicem in ſubjecto inveniri potentiam; videlicet naturalem, obedientialem, & violentam. Naturalis potentia ſubjecti, eſt connaturalis aptitudo,& quædam exigentia quæ in ſubjecto eſt ad aliquod accidens habendum; ſic intellectus humanus aptus eſt ad ſcientias,& eas connaturaliter exigit ad ornatum. Obedientialis potentia ſubjecti, eſt ipſius ſubjecti non repugnantia, ſeu capacitas ad ea accidentia recipienda, ad quæ ex ſua natura indifferens eſt, quæque connaturaliter non exigit; hujuſmodi ſunt gratia habitualis in anima, & forma ſtatuæ in ligno, vel lapide. Denique potentia violenta eſt ſubjecti capacitas ad receptionem eorum accidentium, quibus repugnat; hoc modo eſt in aqua ad calorem capacitas. His prænotatis.

Dico primò: propriæ paſſiones, ſeu proprietates formæ ſubſtantialis, ex ejus potentia non educuntur; ſed ſi ipſa educatur, ejus proprietates coeducuntur; ſi verò creetur, proprietates concreantur. Ita communiter Philoſophi.

Probatur: una ex conditionibus ad eductionem formæ deſideratis eſt, ut ſubjectum & educibilis forma diſtinctis fiant actionibus; ſicut artic. præcedenti oſtenſum eſt: ergo cùm proprietates formę ſubſtantialis, & ipſa ſubſtantialis forma, eadem fiant actione;ut dictũ eſt: clarè ſequitur, proprietates ſubſtantialis formæ ex ea, aut ex ejus potentia non educi: ſed ſi ipſa ſubſtantialis forma educatur, dicendum eſt, ejus proprietates coeduci; qua de cauſa proprietates formæ cujuslibet corporis mixti coeducuntur, quia educitur forma omnis mixti corporis. Si verò creetur forma ſubſtantialis, dicatur neceſsè eſt, proprietates illius concreari; ob quam rationem, intellectus & voluntas ad creationem animæ rationalis concreantur.

Unum eſt, quod poſſet objici, nempè, proprie-

prietas per propriam fieri actionem, diſtinctam
productione ſubjecti. Sed hoc eſſe falſum, ſuo
oco patebit.

Dico ſecundò: formæ accidentales, quæ ne-
ceſſariam non habent cum ſubjecto connexio-
nem, & per diſtinctam ac propriam fiunt actio-
nem, ex ejus potentia educuntur. Ita Philoſo-
phi communiter; imò & Theologi.

Probatur: eæ formæ de potentia ſubjecti edu-
cuntur, quibus nulla deeſt conditio ad eductio-
nem neceſſaria: atqui formis accidentalibus, de
quibus in concluſione mẽtio facta eſt, nulla deeſt
conditio ad eductionẽ neceſſaria: ergo &c. Prob.
mi. tres ſunt conditiones ad eductionem neceſſa-
riæ; nempè, ut ſubjectum prioritate ſaltem natu-
ræ formam educibilem antecedat, ut ſubjectum &
educibilis forma actionibus diſtinctis producan-
tur, & tandem ut forma educibilis ſaltem in *fieri* à
ſubjecto pendeat: nulla autem ex tribus illis con-
ditionibus *deeſt præfatis accidentalibus formis*.
In primis namque illarum formarum ſubjectum,
ipſas prioritate naturæ antecedit; prius enim eſt,
prioritate ſaltem naturæ, quòd ſit hujuſmodi for-
marum ſubjectum, quàm quòd eas recipere va-
leat. Præterea ſubjectum & formæ illæ diſtin-
ctæ fiunt actionibus, ut ſupponitur. Denique
hujuſmodi formæ in *fieri* à ſubjecto pendent; om-
nes quippe accidentia (cujuſmodi ſunt formæ il-
læ) ob debilitatem entitatis ſuæ, in *fieri*, *eſſe*,
conſervari, & *operari*, à ſubjecto dependent.

Dicendum eſt ergo, omnes formas accidenta-
les, quæ neceſſarium cum ſubjecto nexum non
habent, & per diſtinctam ac propriam fiunt a-
ctionem, ex ejus potentia educi: ex potentia
obedientiali naturali, ſi ſit in ſubjecto connaturalis
exigentia illarum exigentia; quo pacto, ſcientiæ
per potentia naturali intellectus humani educun-
tur: ex potentia verò obedientiali, ſi ſubjectum
ex ſua natura ad formas illa indifferens, ipſas-
que connaturaliter non exigat; quo modo

formæ artificiales ex ligno vel lapide; & grat virtuteſque infuſæ, ex potentia humanæ anim educuntur: vel tandem ex potentia violenta, accidentales formæ ſint ſubjecto repugnantes qua ratione ex aqua educitur calor.

Objicies primò: gratia habitualis, virtute infuſæ, & ſimilia accidentia ſupernaturalia ſun ſupra cujuſcumque ſubjecti potentiam; quam ob cauſam *ſupernaturalia* nuncupantur: ergo ea ſubjecti potentia non educuntur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. gratia habitualis, virtutes infuſæ, & ſimilia accidentia ſupernaturalia ſunt ſupra cujuſcumque ſubjecti potentiam naturalem, ſive exigentiam connaturalem, concedo: ſunt ſupra cujuſcumque ſubjecti potentiam obedientialem, nego; unde ex potentia quidem naturali ſubjecti non educuntur, bene tamen ex potentia obedientiali. Non me latet, plura eſſe difficilia argumenta, quibus aliqui probare conantur, gratiam habitualem non educi, ſed creari: ſed hæc ad Theologos pertinent; unde ab illis abſtinemus.

Objicies ſecundò: accidentia violenta (ut eſt calor in aqua) ſunt contra ſubjecti potentiam & inclinationem: ergo accidentia violenta ex ſubjecti potentia non educuntur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. accidentia violenta ſunt contra ſubjecti potentiam naturalem, quæ eſt inclinatio & exigentia connaturalis, concedo: accidentia violenta ſunt contra ſubjecti potentiam violentam, ita ut ad illa in ſubjecto nulla ſit potentia violenta, nego; quantumvis enim accidentia violenta ſubjecto repugnent, in ipſo tamen ſubjecto eſt ad accidentia illa capacitas, quæ *potentia violenta* ſolet appellari, ex qua hujuſmodi accidentia educuntur.

An-

ARTICULUS QUARTUS.

Quo pacto, materia, forma, & privatio, in ratione principii conveniant?

OStenſum eſt ſuprà *q.* 1. *a.* 2. tria eſſe entis naturalis in *fieri*; ſive compoſiti naturalis, dum generatur; ſive meliùs, ejus generationis, principia: nimirùm materiam, formam, & privationem. Modò quærunt Philoſophi, quonam modo tria illa principia in communi ratione principii conveniant; an univocè, vel analogicè tantùm; & qua analogia? Quæ difficultas ut ſolvatur:

Dico: materia, forma, & privatio in communi ratione principii univocè non conveniunt, ſed ſolùm analogicè, analogia proportionalitatis. Ita communiter Philoſophi.

Quòd in primis *materia*, forma, & privatio univocè non conveniant in communi ratione principii, prob. *enti* & *non enti* nihil eſt univocè commune: atqui materia & forma, prout ſunt entis naturalis principia, ſunt *entia*; privatio verò, ut eſt entis naturalis principium, eſt *non ens*: ergo &c. Min. patet: materia quippe & ſubſtantialis forma, prout ſunt entis naturalis principia, ſunt ejus partes intrinſecæ & eſſentiales; partes autem intrinſecæ & eſſentiales entis naturalis, ſunt entia poſitiva; cùm & ipſum ens naturale verè ſit ens poſitivum.

Quòd verò privatio, ut eſt entis naturalis principium, ſit non ens; ex dictis loco citato, etiam hìc ſuadetur; nam ut ibidem probatum eſt, privatio non eſt entis naturalis principium, ſive meliùs, non eſt principium generationis ejus, prout eſt *non eſſe* formæ, & terminus à quo entia prima in generatione entis naturalis fiunt ad formam ipſius entis naturalis conſtituendi; conſtat autem, quòd *non eſſe* formæ, *non ens*.

Prob. verò maj. ſi *enti* & *non enti* daretur aliquid univocè commune; vel illud eſſet *ens*, vel *non ens*? nam inter *ens* & *non ens* nullum eſt medium: ſi eſſet *ens*, univocè non conveniret *enti* & *non enti*; imò *non enti* repugnaret; *ens* enim, & *non ens*, ſibi mutuò repugnant: ſi verò eſſet *non ens*, *enti* etiam, & *non enti*, univocè commune non foret; quin potiùs eſſet *enti* repugnans; ut conſtat.

Quòd autem materia, forma, & privatio, analogicè analogia proportionalitatis in communi ratione principii conveniant, ſic declaratur: tunc aliqua analogicè conveniunt analogia proportionalitatis, quando inter ea proportionalitas quædam invenitur: atqui inter materiam, formam, & privationem, quantùm ad rationem principii, proportionalitas quædam invenitur: ergo &c. Prob. min. ſicut enim materia eſt principium generationis entis naturalis per modum ſubjecti, & forma per modum termini ad quem: ita proportionaliter privatio eſt per modum termini à quo ejuſdem generationis principium. Ubi, ut patet, proportionalitas quædam reperitur, quantùm ad communem principii rationem.

Objicies primò: ſi materia, forma, & privatio, univocè in ratione principii non convenirent; eſſet maximè, quia materia & forma, prout ſunt entis naturalis principia, ſunt *entia*; privatio verò, ut entis naturalis principium, eſt *non ens*: atqui falſum eſt, privationem, ut entis naturalis principium, eſſe *non ens*: ergo &c. Ma. continet præcipuum, vel etiam unicum, concluſionis noſtræ fundamentum. Prob. verò min. ex Ariſtotele 5. Metaph. textu 14. ubi privationem, ut eſt entis naturalis principium, vocat *ens reale*.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. Ad ejus prob. dicendum eſt, Ariſtotelem appellare privationem formæ ſubſtantialis *ens reale* late

quia

quia est à parte rei, & per modum termini à quo ad generationem entis naturalis realiter concurrit; at existimandum non est, Aristotelem appellare privationem formæ substantialis *ens reale* strictè, ita ut censeat illam habere positivam entitatem; hoc quippe falsum omninò est, & in mentem Aristotelis venire non potuit; præsertim si loquamur de formæ substantialis privatione, ut est generationis entis naturalis principium.

Objicies secundò: ratio *scibilis* univocè communis est *enti reali*, & *enti rationis*, quamvis *ens rationis* reipsa sit *non ens*: ergo pariter ratio principii esse debet communis univocè materiæ, formæ, & privationi, licèt privatio sit *non ens*. Conseq. clara ex paritate videtur. Prob. ant. ratio *scibilis* univocè communis est objecto Logicæ, & aliarum scientiarum objectis, sicut ratio scientiæ est Logicæ & aliis scientiis univocè communis: ergo cùm objectum Logicæ, in sententia Thomistarum, sit *ens rationis*, & aliarum scientiarum objecta sint *entia realia*, manifestè sequitur rationem *scibilis* univocè communem esse *enti reali*, & *enti rationis*.

Respondeo negando paritatem: neque enim ratio *scibilis*, *enti rationis* convenit, prout est *non ens*; sed potiùs, prout est *ens* suo modo, & Proprietates aut passiones habet de se demonstrabiles; in quo univocè, & pari ratione, *ens rationis* logicale convenit cum *ente reali*; ut ex his, quæ in Logica dicta sunt, patet: cùm enim ratio *scibilis* in objecto scibili, in hoc maximè sit posita, ut in objecto illo sint proprietates de ipso demonstrabiles; mirum non est, si ratio *scibilis* univocè sit communis *enti reali* & *enti rationis*: at, ut probatum est, ratio principii non competit privationi, nisi ut est *non ens*; ideòque quia *enti*, & *non enti*, nihil est univocè commune, nequit ratio principii, materiæ & formæ, quæ sunt *entia*, & privationi, quæ est *non ens*, esse univocè communis.

Objicies tertiò contra alteram concluſionis partem, in qua dictum eſt, rationem principii eſſe analogicè analogia proportionalitatis, materiæ, formæ, & privationi communem: datur non poteſt aliquid *enti*, & *non enti*, analogicè commune: ergo cùm materia, & forma, ſint *entia*, privatio verò ſit *non ens*; nihil poteſt eſſe materiæ, formæ, & privationi analogicè commune; proindèque ratio principii non eſt illis analogicè communis. Prob. ant. ſi daretur aliquid *enti*, & *non enti*, analogicè commune; vel illud eſſet *ens*, vel *non ens*? ſi eſſet *ens*, analogicè non conveniret *non enti*, imò ei repugnaret: ſi verò foret *non ens*, *enti* non competeret, ſed potiùs ipſi planè opponeretur.

Reſpondeo negando ant. hoc quippè inter univocum & analogum diſcrimen eſt, quòd univocum debet eſſe ab inferioribus perfectè præciſum; analogum autem, præſertim analogia proportionalitatis, non debet eſſe ab inferioribus perfectè abſtractum; ſed debent eſſe ipſa inferiora, inter ſe in aliqua ratione communi proportionalitatem aliquam habentia. Quia ergo ab *ente*, & *non ente*, aliquid perfectè abſtrahi non poteſt; ut enim ſuprà arguebamus, vel illud eſſet *ens*, vel *non ens*? unde eſt, ut *enti*, & *non enti*, aliquid univocè commune dari non poſſit; at nihil impedit ne *ens*, & *non ens*, aliquam inter ſe habeant proportionalitatem in aliqua ratione communi; eòque aliquid dari poteſt ipſis analogicè commune, analogia proportionalitatis. Ad prob. ant. nego, quòd ſi detur aliquid *enti*, & *non enti* analogicè commune analogia proportionalitatis debeat eſſe præcisè *ens*, vel *non ens*; ſatis ſiquidem eſt, ut ſint *ens* & *non ens*, prout in aliqua ratione communi, v. g. in communi ratione principii, aliquam habent proportionalitatem. Nec propterea datur aliquid medium inter *ens*, & *non ens*; ſed dantur dumtaxat *ens*, & *non ens* modo dicto ſe habentia.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De Compoſito naturali.

EGimus hactenus de principiis entis ſive compoſiti naturalis, nempè de materia, forma, & privatione: nunc de ipſo ente, vel compoſito naturali, deinceps diſſerendum eſt. De eo verò tria potiſſimùm quæri poſſunt, nimirum quæ ſint ejus partes intrinſecæ & eſſentiales, qua ratione partes illæ uniantur, & tandem an compoſitum vel totum naturale realiter à partibus diſtinguatur?

ARTICULUS PRIMUS.

An materia & forma ſint partes entis naturalis intrinſecæ & eſſentiales?

§. I.

Sententiæ referuntur, & vera eligitur ac probatur.

CIrca entis naturalis eſſentiam, tres ſunt Philoſophorum ſententiæ. Prima totam entis naturalis eſſentiam in ſola ponit materia. Ita docuere antiquiores illi Philoſophi, qui formas ſubſtantiales negavere, & res omnes naturales per accidentia dumtaxat diſtingui putavere; quibus adhæſerunt Carteſius ejuſque Diſcipuli. At hæc ſententia in quæſt. præcedenti expugnata eſt.

Secunda ſententia è contra aſſerit, ſolam ſubſtantialem formā eſſe totam entis naturalis eſſen-

tiam, materiam verò eſſe ſubjectum extrinſecum ſuſcipiens & deferens naturalis entis eſſentiam, velut quoddam vehiculum illius. Hanc ſententiam amplexati ſunt olim Averroes, Jandunus, & alii plures.

Ab iſta quoque ſententia longè non receſſerunt Plato & Socrates, aſſerentes, ſolam animam rationalem eſſe totum hominem; quæ degeret in corpore, non aliter ac nauta in navi, peregrinus in hoſpitio, aut captivus in carcere, cujus feneſtræ erant externi ſenſus. Anaxarchus verò docuit, materiam ſive corpus eſſe duntaxat hominis veſtimentum.

Tertia denique ſententia aſſeverat, materiam primam & ſubſtantialem formam eſſe intrinſecas & eſſentiales entis naturalis partes. Ita nunc omnes Philoſophi cum Ariſtotele variis in locis, & maximè, 1. Phyſ. c. 7. ubi ait, *ens naturale* (ſive ſubſtantiale compoſitum) *per ſe & eſſentialiter ex materia prima & ſubſtantiali forma conſtare.*

Probatur primò: ſicut illud eſt de eſſentia metaphyſica entis naturalis, quod in ejus eſſentiali definitione metaphyſica ponitur; ita id de eſſentia phyſica entis naturalis eſſe debet, quod in eſſentiali illius definitione phyſica collocatur: atqui in eſſentiali definitione phyſica entis naturalis, materia prima, & ſubſtantialis forma collocantur: ergo &c. Ma. clara eſt. Prob. min. ſicut in eſſentiali definitione metaphyſica cujuslibet entis naturalis id ponendum eſt, in quo metaphyſicè cum aliis convenit, quod uno vocabulo *genus* nominatur; & id iterum eſt collocandum, quo metaphyſicè ab aliis diſtinguitur, quod *differentia ſpecifica* nuncupatur: ſic etiam in eſſentiali definitione phyſica cujuſvis entis naturalis id ponendum eſt, in quo phyſicè convenit cum aliis; & id, quo phyſicè ab aliis diſtinguitur: atqui id, in quo unum ens naturale cum aliis entibus naturalibus phyſicè convenit, non eſt

aliud

aliud præter materiam primam illis communem; & id, quo unum ens naturale phyſicè ab aliis diſtinguitur, aliud eſſe non poteſt, præter ſubſtantialem formam: ergo &c. Unde ſi velis hominem eſſentialiter phyſicè definire, ſic tibi dicendum eſt: *Homo eſt id, quod ex materia primâ, & ex ſubſtantiali forma humana, ſive ex corpore, & anima rationali, componitur*: nec erit ſatis, ſi dicas: *Homo eſt id, quod conſtat ex anima rationali*; niſi addas, *& ex corpore*.

Probatur ſecundò: ſi anima rationalis eſſet tota hominis eſſentia, totuſque homo, numquam homo verè moreretur: atqui hoc quotidianæ repugnat experientiæ, ac fidei Chriſtianæ, qua credimus Chriſtum in cruce verè mortuum fuiſſe: ergo &c. Prob. maj. tamdiu homo non moritur, quandiu totus perſeverat: atqui ſi anima rationalis eſſet totus homo, ſemper totus homo perſeveraret, cùm anima rationalis ſit immortalis, & ſemper perſeveret: ergo &c.

§. II.

Præcipuæ objectiones diluuntur.

OBjicies primò quædam Ariſtotelis teſtimonia, quæ videntur concluſioni noſtræ contraria. In primis ergo ipſe Philoſophus 2. Phyſ. cap. 3. textu 20. & alibi ſæpè formam appellat, *quidquid erat eſſe rei*; id eſt, quidditatem ſeu eſſentiam entis naturalis: & lib. 7. Metaphyſic. textu 41. aſſerit, quòd materia prima ad ens naturale pertineat, tanquam *habens, ſuſcipiens, & deferens ejus eſſentiam*, & veluti quoddam illius *vehiculum*: ſi autem materia prima ſuſcipit & defert entis naturalis eſſentiam ad inſtar cujuſdam vehiculi, quo pacto pars illius intrinſeca & eſſentialis eſſe poteſt?

Reſpondeo diſtinguendo & explicando allata

Ariſtotelis teſtimonia. In his ergo & ſimilibus locis non accipit Ariſtoteles entis naturalis eſſentiam adæquatè, nempè quantùm ad id omne, quod ei intrinſecum eſt; ſed inadæquatè tantùm illam ſumit, pro eo, quod in ipſa præcipuum eſt; quod ſine ulla dubitatione eſt ſubſtantialis forma, quam materia prima ſuſcipit & defert ad inſtar vehiculi vel ſubjecti.

Objicies ſecundò: quamvis ſubjectum in eſſentiali accidentis definitione ponatur, ſubjectum tamen non eſt intrinſeca & eſſentialis ejus pars: ergo pariter licèt materia in eſſentiali entis naturalis definitione collocetur, propterea tamen non eſt intrinſeca & eſſentialis illius pars.

Reſpondeo negando paritatem. Accidens quippe, ob debilitatem entitatis ſuæ, eſſentialiter pendet ab extrinſeco, & præſertim à ſubjecto, à quo ſuſtentatur: unde tametſi ſubjectum ſit accidenti extrinſecum, propter tamen eſſentialem accidentis à ſubjecto dependentiam, debet ſubjectum in eſſentiali accidentis definitione poni; at ſubſtantia completa, cujuſmodi eſt ens naturale, ob entitatis ſuæ nobilitatem, ab extrinſeco in eſſentia ſua pendere non poteſt; ideòque quod in ejus eſſentiali definitione ponitur, nequit eſſe ipſi extrinſecum; ſed ſit intrinſeca & eſſentialis illius pars neceſsè eſt.

Objicies tertiò: quod eſt de entis naturalis eſſentia, debet ipſum eſſentialiter conſtituere: atqui materia prima eſſentialiter entia naturalia non conſtituit: ergo &c. Maj. clara videtur. Prob. min. per illud tantùm res aliqua eſſentialiter conſtituitur, per quod eſſentialiter ab aliis diſtinguitur, ut docet Ariſtoteles 7. Metaphyſ. textu 41. atqui per materiam primam entia naturalia eſſentialiter non diſtinguuntur, ſed potiùs in ea conveniunt: ergo &c.

Addi poteſt, eſſentiam rei debere eſſe ejus pro-

pri-

prietatum radicale principium: in ente autem naturali, sola substantialis forma est ipsius proprietatum radix; sic sola rationalis anima est proprietatum hominis radix.

Deinde, juxta communem Philosophorum doctrinam, essentia aut natura rei debet esse primum operandi principium: atqui in ente naturali sola forma est primum operandi principium, non autem materia prima: ergo &c. Prob. min. cùm agens non operetur, nisi prout est in actu, primum operandi principium debet esse actus: atqui in ente naturali, sola forma est actus, non verò materia prima, quæ est pura potentia: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod est de entis naturalis essentia, debet ipsum essentialiter constituere, vel tamquam pars actualis & differentialis, vel tamquam pars potentialis & communis, concedo: debet ipsum essentialiter constituere semper tamquam pars actualis & differentialis, nego. Etsi autem materia prima essentialiter entia naturalia non constituat, tamquam pars actualis & differentialis, per quam à se mutuò essentialiter distinguantur; nihil tamen impedit, ne illa essentialiter constituat, tamquam pars potentialis & communis, in qua conveniunt. Ad illud verò axioma ex Aristotele depromptum: *Per illud tantùm res aliqua essentialiter constituitur, per quod essentialiter ab aliis distinguitur*: respondendum est, hoc axioma esse intelligendum de eo, per quod, tamquam per partem actualem & differentialem, res illa essentialiter constituitur.

Ad id, quod additur, distinguendum est, & concedendum, essentiam rei debere esse ejus proprietatum radicale principium, si rei essentia quantùm ad partem actualem & differentialem spectetur; at id negandum est, si ipsa rei essentia quantùm ad partem potentialem & communem consideretur.

Ad aliud quod ſubditur, ſimili modo diſtinguenda eſt maj. juxta communem Philoſophorum doctrinam, eſſentia aut natura rei debet eſſe primum operandi principium: ſi quantum ad partem actualem ſumatur rei eſſentia, concedo: ſi quantùm ad partem potentialem accipiatur, nego. Unde ex eo quòd in ente naturali ſola forma eſt primum operandi principium, non autem materia prima; rectè quidem inferri poteſt, non eſſe materiam primam eſſentiæ entis naturalis partem actualem; at inde minimè ſequitur, materiam primam non eſſe hujuſmodi eſſentiæ potentialem partem.

Objicies quartò: quod eſt de eſſentia rei, dat *eſſe* rei: atqui materia prima non dat eſſe enti naturali; ſed id ſolius formæ munus eſt, juxta communem Philoſophorum loquendi modum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod eſt de eſſentia rei, dat eſſe rei: dat eſſe eſſentiæ, concedo: dat eſſe exiſtentiæ, ſubdiſtinguo: ſi ſit de eſſentia rei ad modum partis actualis, concedo: ſi ad modum partis potentialis, nego. Quamvis autem materia prima non det eſſe exiſtentiæ enti naturali, ſed id ſolius formæ ſubſtantialis munus ſit; tribuit tamen *illi* eſſe eſſentiæ, per modum partis potentialis.

Objicies quintò: quod eſt de eſſentia alicujus rei, nequit alteri convenire: atqui materia prima, *v. g.* Petri, poteſt alteri convenire: ergo &c. Ma. aperta videtur. Prob. min. dum Petrus moritur, materia prima, quæ præextiterat in Petro, in cadavere perſeverat: ergo materia prima Petri poteſt alteri convenire.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod eſt de eſſentia alicujus rei, per modum partis actualis & differentialis, nequit alteri convenire, concedo: quod eſt de eſſentia alicujus rei, per modum ſubjecti communis, nequit alteri convenire, nego; neque etenim *ſubjectum commune*

no-

nominatur, nisi ex eo quòd variis compositis naturalibus sub diversis formis sibi mutuò succedentibus potest successivè convenire: materia autem prima non est de entis naturalis essentia, tanquam pars ejus actualis & differentialis; sed tanquam commune subjectum, quod in Petro, v.g. in cadavere, & in aliis entibus naturalibus, diversis temporibus, idem negativè esse potest.

Objicies sextò: quod in ente naturali perpetuò variatur, ejus pars intrinseca & essentialis dici non potest; essentiæ quippe rerum sunt invariabiles: atqui in Petro, v. g. materia perpetuò variatur; quia materia Petri continuò dilabitur actione caloris naturalis perpetuò ipsam depascentis, & aliis partibus consumptis novæ succedunt partes: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod formaliter in ente naturali perpetuò variatur, ejus pars intrinseca & essentialis dici non potest, concedo; essentiæ quippe rerum sunt formaliter invariabiles: quod in ente naturali materialiter tantùm perpetuò variatur, ejus pars intrinseca & essentialis dici non potest, nego; cùm essentiis rerum non repugnet, ut materialiter varientur: materia autem in Petro materialiter quidem aut entitativè variatur, quatenùs materialiter aut entitativè sumpta continuò dilabitur actione caloris naturalis perpetuò ipsam depascentis, & aliis partibus consumptis novæ succedunt partes, ut rectè in objectione dicitur: at Petri materia formaliter minimè variatur, sed potiùs formaliter invariata perseverat; eo quòd partes, quæ per nutritionem succedunt, cum aliis remanentibus sub eadem forma vel anima, cum eadem figura, dispositione, ordine, & officiis continuantur, & ad idem totum, quod appellatur *Petrus*, trahuntur: sicut quamvis materialiter fluvius continuò varietur, per perpetuum fluxum partium; formaliter tamen idem fluvjus perseverat, quia partes aquæ succedentes, in locũ prio-

priorum ſub eadem figura, diſpoſitione, ordine, & officiis ſubrogantur.

Inſtabis: ſi materia ſit de hominis ſubſtantia, idem numero homo reſurgere non poterit; quod contra fidem eſt. Prob. hæc ſequela: ut idem numero homo verè proprièque reſurgat, opus eſt, ut eandem recuperet ſubſtantiam: atqui ſi materia ſit de hominis ſubſtantia, aliquando homo in reſurrectione eandem recuperare non poterit ſubſtantiam: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. ſi materia ſit de hominis ſubſtantia, ut homo eandem recuperet ſubſtantiam, debet eandem recuperare materiam; ut conſtat: atqui homo interdum eandem non poteſt recuperare materiam: ergo &c. Min. ex eo ſuadetur, quòd fieri poteſt, ut duo homines habeant diverſis temporibus eandem numero materiam, illi maximè qui carnibus veſcuntur humanis; ut contingit apud integras Americæ nationes: cui ergo ex duobus illis hominibus in reſurrectione reſtituetur materia?

Reſpondeo negando ſequelam. Ad cujus prob. conceſſa maj. nego min. Ad prob. ejus conceſſi iterum maj. nego min. Ad prob. ipſius reſpondet D. Thomas 4. contra gentes cap. 81. materiam in reſurrectione fore dandam ei, qui primò eam habuit; alteri verò homini eſſe divina virtute ſuplendum ex ea materia, quam per nutritionem acquiſierat, & vi caloris naturalis continuò de paſcentis deperdiderat.

Urgent aliqui: fieri poteſt, ut aliquis puer totus conſtet aliena materia; puta, ſi naſcatur parentibus humana carne veſcentibus: ergo materia in reſurrectione reſtituatur illi, qui primò eam habuit, ille puer omni prorsus carebit materia, in qua reſurgere poſſit.

Reſpondeo primò negando ant. neque etenim naturaliter fieri poteſt, ut puer totus conſtet aliena materia, quantumvis naſcatur ex parentibus humana carne veſcentibus; nam licèt parentes illi

illi ante prolis generationem humanas comederent carnes, attamen non iis solùm vescebantur, sed alios etiam adhibebant cibos; ideòque non tantùm materiam alienam, sed & propriam, ex aliis productam cibis, in prolem transfundere potuerunt.

Respondeo secundò, dato ant. negando conseq. esto enim puer ille totus aliena constaret materia ex devoratis hominibus desumpta; in hujusmodi tamen puero non esset tota devoratorum hominum materia, sed portio quædam duntaxat, in qua resurgere posset, quæque suppleretur in devoratis hominibus ex alia materia per nutritionem ab ipsis acquisita, & vi caloris naturalis dissipata. Et tandem dicendum est, supposito Dei decreto de generali hominum resurrectione in eadem carne, eademque materia, in qua obierunt; ad illius spectare providentiam, eos cavere casus, qui tali obstare possent resurrectioni.

Articulus Secundus.

Qua ratione, materia prima, & substantialis forma, uniantur?

§. I.

Difficultatis status sensusque explanatur, & vera sententia stabilitur.

NOtandum est, inter materiam primam, & substantialem formam, quatuor uniones concipi posse. Prima unio est effectiva, quæ ab aliis *unitio* appellatur; estque actio causæ efficientis, materiam cum forma copulantis. Secunda unio est dispositiva, suntque accidentia illa, quibus materia ad unionem cum forma disponitur, & aptatur. Tertia unio est relativa, & est reciprocus materiæ ad formam, & formæ ad ma-

teriam, & materia per ſeipſam immediatè actu formam recipit, abſque ullo unionis modo realiter ab illis diſtincto: ergo &c. Maj. patet; nam cùm materia & forma actu non aliter uniantur, niſi quatenùs forma actu informat materiam, & materia actu formam recipit; tunc forma actu unitur materiæ, quando actu eam informat; tunc verò materia actu unitur formæ, quando actu eam recipit. Prob. autem min. ſicut enim quia calor ex ſe ad ſubjectum calefaciendum ordinatur, ſtatim atque ſupponitur actio agentis, calorem ad ſubjectum admoventis, & ex parte ſubjecti ſupponuntur conditiones ut calefiat neceſſariæ; confeſtim calor, omni alio excluſo, per ſeipſum immediatè ſubjectum calefacit: ſic pariter, quia ſubſtantialis forma ex ſe ad informandam materiam primam tendit, & materia prima ad recipiendam ſubſtantialem formam ordinatur; ſi ſemel ſupponatur actio generantis, formam ſubſtantialem & materiam primam ad ſe mutuò applicantis; ſupponanturque diſpoſitiones ad materiæ primæ informationem, & ad ſubſtantialis formæ receptionem deſideratæ; continuò ſubſtantialis forma actu per ſeipſam immediatè informat materiam primam, & materia prima actu per ſeipſam immediatè ſubſtantialem recipit formam, omni alio, ſive medio, ſive vinculo, ſive modo ſecluſo, realiter ab illis diſtincto.

§. II.

Satisfit adverſariorum objectis.

OBjciunt primò adverſarii iſtud D. Thomæ teſtimonium ſumptum ex 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. ubi Doctor ſanctus hæc habet: *Secundùm ſe convenit animæ corpori uniri, ſicut ſecundùm ſe convenit levi eſſe ſurſum; & ſicut corpus leve manet quidem leve, cùm è proprio loco fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum;*

cum; ita anima humana manet in suo esse, cùm fuerit à corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis unionem.

Ex quo testimonio, & præsertim ex illis prioribus verbis: *Secundùm se convenit animæ corpori uniri, sicut secundùm se convenit levi esse sursum*: sic arguunt adversarii: ex mente D. Thomæ, sicut corpus leve est in loco sursum posito, ita corpori unitur anima: ergo sicut corpus leve immediatè per seipsum non est formaliter in loco sursum posito, sed solùm per ubicationis modum; ita etiam anima immediatè per seipsam formaliter non unitur corpori, sed tantùm per unionis modum.

Respondeo distinguendo & exponendo allatum D. Thomæ testimonium. Vult ergo duntaxat S. Doctor, quòd sicut quamvis corpus leve secundùm se aptitudinem habeat & inclinationem ad locum sursum positum; ut tamen actu sit in loco sursum posito, indiget aliquo à se distincto, nempè motu locali quo illuc ascendat; ex quo contingit, quòd corpus leve actu semper non sit sursum, sed aliquando deorsum; quia interdum violentiam patitur, cogiturque descendere, & impeditur, ne ascendat: ita etiam licèt in anima secundùm se spectata sit aptitudo & inclinatio ad unionem cum corpore, ut tamen actu corpori uniatur, eget aliquo à se distincto, nimirum actione generantis ipsam corpori applicantis, & quibusdam dispositionibus in corpus introductis, ad unionem illam habendam vel conservandam necessariis; unde quia dispositiones illæ non sunt semper in corpore, ideò anima actu semper non est unita corpori. Quòd verò illud ab anima distinctum, quo ipsa indiget, ut actu uniatur corpori, sit unionis modus, neque in allato testimonio, neque ullo alio in loco vel leviter indicat Angelicus Doctor.

Dices cum adversariis: quare, ut corpus leve sit actu formaliter in loco sursum posito, ubica-

tio-

teriam, & materia per ſeipſam immediatè actu formam recipit, abſque ullo unionis modo realiter ab illis diſtincto: ergo &c. Maj. patet; nam cùm materia & forma actu non aliter uniantur, niſi quatenùs forma actu informat materiam, & materia actu formam recipit; tunc forma actu unitur materiæ, quando actu eam informat; tunc verò materia actu unitur formæ, quando actu eam recipit. Prob. autem min. ſicut enim quia calor ex ſe ad ſubjectum calefaciendum ordinatur, ſtatim atque ſupponitur actio agentis, calorem ad ſubjectum admoventis, & ex parte ſubjecti ſupponuntur conditiones ut calefiat neceſſariæ; confeſtim calor, omni alio excluſo, per ſeipſum immediatè ſubjectum calefacit: ſic pariter, quia ſubſtantialis forma ex ſe ad informandam materiam primam tendit, & materia prima ad recipiendam ſubſtantialem formam ordinatur; ſi ſemel ſupponatur actio generantis, formam ſubſtantialem & materiam primam ad ſe mutuò applicantis; ſupponanturque diſpoſitiones ad materiæ primæ informationem, & ad ſubſtantialis formæ receptionem deſideratæ; continuò ſubſtantialis forma actu per ſeipſam immediatè informat materiam primam, & materia prima actu per ſeipſam immediatè ſubſtantialem recipit formam, omni alio, ſive medio, ſive vinculo, ſive modo ſecluſo, realiter ab illis diſtincto.

§. II.

Satisfit adverſariorum objectis.

OBjciunt primò adverſarii iſtud D. Thomæ teſtimonium ſumptum ex 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. ubi Doctor ſanctus hæc habet: *Secundùm ſe convenit animæ corpori uniri, ſicut ſecundùm ſe convenit levi eſſe ſurſum; & ſicut corpus leve manet quidem leve, cùm è proprio loco fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum;*

cum; ita anima humana manet in suo esse, cum à corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis unionem.

Ex quo testimonio, & præsertim ex illis primis verbis: *Secundùm se convenit animæ corpori uniri, sicut secundùm se convenit leve esse sursum*: sic arguunt adversarii: ex mente D. Thomæ, sicut corpus leve est in loco sursum posito, ita corpori unitur anima: ergo sicut corpus leve immediatè per seipsum non est formaliter in loco sursum posito, sed solùm per ubicationis modum; ita etiam anima immediatè per seipsam formaliter non unitur corpori, sed tantùm per unionis modum.

Respondeo distinguendo & exponendo allatum D. Thomæ testimonium. Vult ergo dunta-xat S. Doctor, quòd sicut quamvis corpus leve secundùm se aptitudinem habeat & inclinationem ad locum sursum positum; ut tamen actu sit in loco sursum posito, indiget aliquo à se distincto, nempè motu locali quo illuc ascendat; ex quo contingit, quòd corpus leve actu semper non sit sursum, sed aliquando deorsum; quia interdum violentiam patitur, cogiturque descendere, & impeditur, ne ascendat: ita etiam licèt in anima secundùm se spectata sit aptitudo & inclinatio ad unionem cum corpore, ut tamen actu corpori uniatur, eget aliquo à se distincto, nempè rum actione generantis ipsam corpori applicantis, & quibusdam dispositionibus in corpus introductis, ad unionem illam habendam vel conservandam necessariis; unde quia dispositiones illæ non sunt semper in corpore, ideo anima actu semper non est unita corpori. Quid vero illud ab anima distinctum, quo ipsa indiget, ut actu uniatur corpori, sit variis modis, neque in allato testimonio, neque alibi in loco vel breviter indicat Angelicus Doctor.

Dices cum adversariis: quare, ut corpus leve sit actu formaliter in loco sursum posito, ubica-

nformet;
:antialis,
sunt uni-
tinctione
rima, &
ctu uni-
ex, sive
si ex se
ne uniti-
ibus ad
s; nam
notidiè-
rimæ &
quoti-

aliquid
aliquid
oducit:
n gene-
, ita ne-

, anima
lanè, ut
huma-
nimam
oducat;
oducen-

a actio-
egando,
ctionem
mæ non
actione
ctualem
sat est,
ntis, &
ones in
eriæ pri-
substan-
essarias;
unde

tionis indiget modo; anima autem unionis modo non eget, ut actu formaliter uniatur corpori.

Reſpondeo quòd, ut corpus leve ſit actu formaliter in loco ſurſum poſito, ubicationis indiget modo; quia ibi non eſt, ſicut actus in potentia, cujus ſit immediatè informativus, & à qua immediatè ſit receptibilis; ſed ibi eſt, ſicut in loco, à quo circumſcribitur; corpus verò à loco circumſcribi non poteſt, ſine ubicationis modo, cùm ubicationis modus à Philoſophis communiter, poſt Gilbertum Porretanum, definiatur: *Circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci proveniens*. Anima autem unionis modo non eget, ut actu formaliter uniatur corpori, quia eſt in corpore, ſicut actus in potentia, quam immediatè informat, & à qua immediatè recipitur.

Objiciunt ſecundò: quod *ex ſe*, actu alteri non unitur, debet uniri per aliud, juxta illud axioma: *Quod non eſt per ſe tale, debet fieri tale per aliud*: atqui materia prima, & ſubſtantialis forma, *ex ſe* quidem ſunt unibiles, non tamen actu unitæ: ergo debent uniri per aliud, nimirum per unionis modum realiter ab eis diſtinctum. Min. videtur clara: quod enim res habet *ex ſe*, ab ea auferri non poteſt; ſi ergo materia prima, & forma ſubſtantialis, *ex ſe* actu eſſent unitæ, nunquam poſſent eſſe non unitæ, ſive nunquam poſſent ſeparari; cujus oppoſitum quotidiana probat experientia.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui abſolutè materia prima, & ſubſtantialis forma, ex ſe quidem ſunt unibiles, non tamen actu unitæ, concedo: atqui ſuppoſita actione unitiva generantis, ſuppoſitiſque diſpoſitionibus ad actualem unionem neceſſariis, materia prima, & ſubſtantialis forma, *ex ſe* quidem ſunt unibiles, non tamen actu unitæ, nego; cùm etenim his omnibus ſuppoſitis, materia prima *ex ſe*, ſeu per eſſentiam ſuam, actu ſubſtantialem recipiat forma; & ſubſtantialis forma *ex ſe*, ſive per

ſuam

ſuam eſſentiam, actu materiam primam informet; actu tunc materia prima, & forma ſubſtantialis, *ex ſe*, ſive per ſuas eſſentias, immediatè ſunt unitæ. Ad prob. min. reſpondeo cum diſtinctione data. Fateor namque, quòd ſi materia prima, & ſubſtantialis forma, abſolutè eſſent *ex ſe* actu unitæ, nunquam poſſent eſſe actu non unitæ, ſive nunquam poſſent ſeparari: at id nego, ſi *ex ſe* actu ſint unitæ, ſuppoſita duntaxat actione unitiva generantis, ſuppoſitiſque diſpotionibus ad actualem unionem neceſſariò deſideratis; nam cùm diſpoſitiones illæ deſtrui poſſint, quotidièque deſtruantur, actualis unio materiæ primæ & ſubſtantialis formæ etiam diſſolvi poteſt, quotidièque diſſolvitur.

Inſtant: vel generans ſua actione unitiva aliquid producit in forma, vel nihil producit? Si aliquid producit: ergo modum unionis; ſi nihil producit: ergo ſicut forma ante actionem unitivam generantis actu materiæ primæ non uniebatur, ita neque actu ei unitur, illa actione poſita.

Deinde, ut actione unitiva generantis, anima humana actu uniatur corpori, opus eſt planè, ut generans actione ſua animam attingat humanam: atqui generans nequit humanam animam attingere, niſi in ea unionis modum producat; cùm illam attingere nequeat, ipſam producendo: ergo &c.

Reſpondeo concedendo, generans ſua actione unitiva nihil in forma producere; ſed negando, inde poſſe inferri, quòd ſicut forma ante actionem unitivam generantis, actu materiæ primæ non uniebatur; ita neque actu ei uniatur, illa actione poſita: ut enim forma ſubſtantialis actualem habeat cum materia prima unionem, ſat eſt, ut terminet actionem unitivam generantis, & generans illa actione ſua diſpoſitiones in materiam inducat, ad actualem materiæ primæ cum forma ſubſtantiali, & formæ ſubſtantialis cum materia prima unionem neceſſarias;

unde

unde ſuppoſita actione unitiva generantis, qua materia prima & ſubſtantialis forma ſibi mutuò applicantur, ſuppoſitiſque præfatis diſpoſitionibus, non poſſunt materia prima & forma ſubſtantialis actu non eſſe unitæ, quovis modo realiter ab ipſis diſtincto prorsùs ſecluſo.

Ad id quod additur, reſpondeo diſtinguendo maj. ut actione unitiva generantis, anima humana actu uniatur corpori; opus eſt planè, ut generans actione ſua unitivè vel applicativè animam attingat humanam, eam corpori ſua actione uniendo ſeu applicando, concedo: opus eſt planè, ut generans actione ſua productivè animam attingat humanam, aliquid in ea ab ejus entitate diſtinctum, vel ipſam producendo, nego: & diſtinguo ſimiliter min. atqui generans nequit humanam animam productivè attingere, niſi in ea unionis modum producat, concedo: nequit humanam animam unitivè attingere, niſi in ea unionis modum producat, nego.

§. III.

Aliæ objectiones ſolvuntur.

OBjiciunt tertiò: homo generans producit in genito modum unionis realiter à materia & forma diſtinctum: ergo datur iſte unionis modus realiter à materia & forma diſtinctus. Prob. ant. homo generans aliquid producit: atqui nihil producit, niſi modum unionis: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. homo generans rationalem non producit animam (quæ eſt geniti hominis forma) ipſa namque à ſolo Deo creatur; materiam quoque per generationem non producit, eſt quippe ingenerabilis; ſupereſt ergo, ut unionis producat modum.

Deinde, cùm homo moritur, aliquid corrumpitur: non corrumpitur verò rationalis anima, eſt ſiquidem immortalis; materia etiam non corrum-

rumpitur, ipsa etenim incorruptibilis est: ergo corrumpitur peritque unionis modus.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. concessa maj. nego min. homo namque generans, ordine executionis, primò producit dispositiones, & deinde totum physicum ex materia & forma, sive ex corpore & anima rationali compositum, quod dispositiones & unionem materiæ cum forma, sive corporis cum rationali anima, necessariò consequitur.

Ad id quod additur, similiter respondeo, concedendo quidem, quòd dum homo moritur, aliquid corrumpatur; corrumpitur quippe totum physicum ex materia, & forma, sive ex corpore & anima rationali, compositum, per mutuam materiæ & formæ, seu corporis & animæ, separationem, & omissionem dispositionum, quæ ad conservationem unionis materiæ cum forma, sive corporis cum anima, necessariò desiderantur: at nego, quòd tunc corrumpatur pereatque unionis modus, realiter à materia & forma, seu à corpore & anima distinctus.

Objiciunt quartò: quæ realiter possunt separari, realiter distinguntur; cùm idem à seipso separari non possit: atqui materia & forma possunt ab unione realiter separari, sive realiter esse, absque unione: ergo &c. Prob. min. nam dum homo moritur, forma humana, seu rationalis anima, & materia prima permanent, nec tamen actualis aut formalis earum unio perseverat, sed desinit peritque: tunc ergo materia & forma realiter sunt sine formali unione, permanentque inde illa.

Respondeo distinguendo maj. quæ realiter possunt separari, realiter distinguuntur: si separari possunt secundùm id, quod in recto exprimunt; id est, secundùm proprias entitates, concedo: si duntaxat possunt separari ex parte alicujus obliqui vel connotati, nego. Materia autem & forma possunt quidem ab unione for-

ma-

mali realiter ſeparari, ſive realiter eſſe ſine illa; ſi hujuſmodi unio ex parte ſolius obliqui & connotati ſpectetur (hæc unio quippe ad ſui conſervationem quaſdam connotat, & exigit diſpoſitiones, quæ deſinere poſſunt ac perire, materia prima & ſubſtantiali forma permanentibus) at materia & forma nequeunt unquam realiter ab unione formali ſeparari, ſive realiter eſſe ſine illa, ſi unio iſta ex parte ejus, quod in recto exprimit, ſive ſecundùm entitatem ſuam, conſideretur, quaſi propriam ſibi vendicet entitatem realiter ab entitatibus materiæ & formæ diſtinctam, realiterque ſeparabilem; quin potiùs enim illa unio reipſa aliud non eſt, præter materiæ & formæ entitates per ſeipſas formaliter unitas, prout præfatas connotant & exigunt diſpoſitiones.

Inſtant: cauſalitas cauſæ creatæ, etiam ſecundùm id, quod in recto exprimit, realiter à cauſa diſtinguitur: atqui unio mutua, quæ materiam inter & formam intercedit, eſt mutua earum cauſalitas; ut docent communiter Philoſophi: ergo &c. Prob. maj. tum quia cauſalitas cauſæ creatæ realiter ab illa procedit, realiterque ab ipſa dependet; ita ut omnis cauſa creata ſit prioritate naturæ ſua cauſalitate prior: tum etiam quia cauſalitas cauſæ eſt actuale ejus exercitium, actuſque ſecundus; nulla autem cauſa creata realiter ſibi identificat actum ſecundum; ſed hoc cauſæ primæ, ob ſummam & infinitam ejus actualitatem, planè proprium eſt.

Reſpondeo diſtinguendo maj. cauſalitas cauſæ creatæ extrinſecæ, efficientis ſcilicet vel finalis, etiam ſecundùm id, quod in recto exprimit, realiter à cauſa diſtinguitur, concedo: cauſalitas cauſæ creatæ intrinſecæ, nempè formalis vel materialis, nego. Hoc igitur diſcrimen eſt inter cauſas extrinſecas (efficientem videlicet & finalem) & cauſas intrinſecas (formalem nempè & materialem) quòd cauſæ extrinſecæ creatæ cauſant per aliquid ſibi extrinſecum, ſive per aliquid

rea-

liter à se distinctum, ut suo loco dicetur & onetur; causæ verò intrinsecæ, formalis ni- rum & materialis, causant per aliquid sibi in- nsecum, seu à se realiter indistinctum, vide- et *per communicationem suarum entitatum in- nsecarum*: ideòque causalitates causarum ex- secarum creatarum debent esse ipsis extrinse- , sive realiter ab eis distinctæ; causalitates causarum intrinsecarum sint ipsis intrinse- seu ab eis realiter indistinctæ, necessè est; sal- si secundùm id, quod in recto exprimunt, ipiantur. Unde quamvis unio mutua, quæ eriam inter & formam intercedit, sit mu- hujusmodi causarum intrinsecarum cau- tas; non sequitur tamen, ut hæc unio iiter ab istis causis distinguatur, si ex par- jjus, quod significat in recto, considere-

ad primam probationem ma. respondeo cum nctione data, concedendo, causalitates cau- m extrinsecarum creatarum realiter ab eis edere, realiterque ab ipsis dependere; ita mnis causa extrinseca creata sit prioritate na- ua causalitate prior: sed negando, causa- es causarum intrinsecarum realiter ab eis pro- ree, realiterque ab ipsis dependere, ita ut s causa intrinseca esse debeat prioritate na- ua causalitate prior; sat enim est, ut cau- s causæ intrinsecæ sit id, quo effectus ejus ter ab ipsa procedat, realiterque ab illa pen- adeò ut omnis causa intrinseca sit priorita- turæ suo effectu prior.

ad secundam prob. maj. respondeo in primis, on habere, quantùm ad causalitatem causæ alis intrinsecæ; cùm enim causa materialis seca, seu materia prima, sit *pura potentia iva*, nequit ejus causalitas proprie esse actus dus, sed *actualis* sive *exercita* substan- formæ receptio, per modum actualis ntii. Unde ex eo, quòd causalitas causæ

materialis intrinſecæ realiter ab ea non diſtinguatur, rectè non infertur, cauſam materialem intrinſecam ſibi realiter actum propriè identificare ſecundum.

Nec urget, quantùm ad cauſalitatem cauſæ formalis intrinſecæ; eſto enim ejus cauſalitas ſit actus ſecundus, non tamen *completus*, ſed *incompletus* tantùm, ſicut & ipſa cauſa formalis intrinſeca incompleta eſt, utpotè pars compoſiti phyſici ſubſtantialis: nihil verò impedit, ne cauſa creata, præſertim formalis intrinſeca, ſibi actum ſecundum incompletum realiter identificet; neque hoc cauſæ primæ, ob ſummam & infinitam ejus actualitatem, proprium eſt.

Articulus Tertius.

An compoſitum, vel totum naturale, realiter à partibus diſtinguatur?

§. I.

Quædam ut certa ſupponuntur, & vera ſententia explanatur ac probatur.

Suppono primò, partes totum naturale, ſive totum phyſicum ſubſtantiale componentes, *materiam primam* nempè, & *ſubſtantialem formam*, dupliciter accipi poſſe, videlicet *ſimul*, vel *ſeorſum*. Indubitatum eſt, totum phyſicum realiter diſtingui à materia prima & ſubſtantiali forma *ſeorſum* acceptis. Totum quippe phyſicum in re ipſa præter materiam primam *ſeorſum* acceptam, includit formam; & præter formam *ſeorſum* ſpectatam, materiam primam involvit: totum igitur phyſicum aut naturale reipſa diſtinguitur, *diſtinctione includentis ab incluſo*, à partibus ſuis; nempè à materia prima, & à ſubſtantiali forma, *ſeorſum* acceptis.

Suppono ſecundò, materiam, & formam ſubſtan-

ſtantialem, *unitas*, poſſe iterum duobus accipi modis, *diviſivè* nimirum, vel *collectivè*. Materia prima & ſubſtantialis forma *diviſivè* ſumuntur; vel ut aliis placet, *diſtributivè*, accipiuntur; ſi *diviſim* materia prima ſpectetur, prout ſubſtantialem recipit ac ſuſtentat formam; & forma ſubſtantialis conſideretur, prout materiam primam informat. Materia autem prima & ſubſtantialis forma *collectivè* ſumuntur, ſi unica collectione accipiantur, dicendo: *Materia prima, & ſubſtantialis forma, collectivè & ſimul ſumptæ ac unitæ.*

Certum etiam eſt, totum phyſicum & naturale diſtingui realiter à partibus ſuis, ſeu à materia prima, & è ſubſtantiali forma, *diviſivè* ſumptis; neque enim ullus unquam aſſeruit, totum phyſicum eſſe realiter materiam primam recipientem ac ſuſtentantem formam, vel ſubſtantialem formam informantem materiam. Sed celebris eſt controverſia inter Philoſophos, an totum phyſicum realiter à materia prima, & à forma ſubſtantiali, *collectivè* & *ſimul* ſumptis ac unitis, diſtinguatur; an verò è contrà, materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* & *ſimul* ſumptæ ac unitæ, ſint realiter phyſicum totum? Cui difficultati ut fiat ſatis.

Dico primò: compoſitum, vel totum phyſicum aut naturale, non diſtinguitur realiter à materia prima & à ſubſtantiali forma *collectivè* ſumptis ac unitis; ſed materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ ac unitæ, ſunt realiter phyſicum totum, ſive naturale ac ſubſtantiale compoſitum. Ita docent Complutenſes, Joannes à S. Thoma, Coſmas de Lerma, & alii Thomiſtæ communiter; quibus conſentiunt Durandus, Ægidius Romanus, Gregorius Ariminenſis, cum Nominalibus, Toletus, & innumeri alii recentiores: contra Scotum, & ejus ſequaces; quibus favent Capreolus, Hervæus, Cajetanus, Ferrarienſis, Javellus, & alii ex Thomiſtis: utramque

verò partem ut probabilem tuentur Soto, Soncinas & Conimbricenſes.

Probatur primò ex Ariſtotele; & in primis lib. 2. de anima c. 1. text. 10. hæc ſcribit: *Ut pupilla & viſus oculus eſt, ſic anima & corpus eſt animal*; & 4. Phyſic. 3. quærens modos, quibus unum in alio eſſe poteſt, ait: *Uno quidem modo, ut digitus in manu, & omnis pars in toto; alio, ut totum in partibus: non enim eſt totum præter partes*: vel ut habet alia verſio: *non enim à partibus diverſum eſt totum*. Quid clarius?

Probatur ſecundò ex D. Thoma, qui hanc perpetuò inculcat veritatem. In primis igitur 1. 2. quæſt. 13. art. 1. in corpore ita loquitur: *Dicimus, animal ex anima & corpore compoſitum eſſe*. Et deinde ſubdit, *animal neque eſſe corpus ſolum, neque animam ſolam, ſed utrumque*. Quaſi apertiùs diceret, animal, quod eſt totum phyſicum ex anima & corpore compoſitum, realiter quidem diſtingui ab anima & corpore *ſeorſum* vel *diviſivè* ſumptis, non tamen ab utroque, ſive ab illis *ſimul* & *collectivè* acceptis ac unitis. Et 4. contra gent. cap. 81. in ſolutione objectionis ſecundæ ait: *Quod de humanitate intelligendum non eſt, quòd ſit ex conjunctione formæ ad materiam conſurgens, quaſi realiter ſit alia ab utraque*. Quæ verba ſunt meridiana luce clariora. Omitto alia planè innumera S. Doctoris teſtimonia, in quibus ipſe ubique idem profitetur.

Quam doctrinam hauſit D. Thomas ex Auguſtino 6. de Trin. cap. 4. ubi hæc verba leguntur: *Homo nihil eſt aliud, quàm anima & corpus*. Imò & ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 12. ubi ſic fatur: *Omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt*. Si verò membra corporis *ſimul* & *collectivè* ſumpta atque unita ſunt realiter unum corpus; quare materia prima, & ſubſtantialis forma, *ſimul* & *collectivè* acceptæ ac unitæ, non erunt realiter unum totum?

Pro-

Probatur tertiò, fundamentali ratione: materia prima, & substantialis forma, *collectivè & simul* sumptæ ac unitæ, sunt realiter ipsissimum compositum, sive totum physicum vel naturale: ergo compositum, sivè totum physicum vel naturale, realiter non distinguitur à materia prima, & à substantiali forma, *collectivè & simul* sumptis ac unitis; neque enim idem distinguitur realiter à se ipso. Prob. ant. & primò quidem materia prima, & substantialis forma, *collectivè & simul* sumptæ ac unitæ, non sunt quid simplex, sed compositum; in hoc quippe differt simplex à composito, quòd simplex sit indivisibile necessè est; si enim est indivisibile, partes habet, in quas dividi potest; proindèque simplex non est, sed ex partibus compositum: materia prima autem, & substantialis forma, *collectivè & simul* sumptæ ac unitæ, sive ipsarū collectio, non est quid indivisibile, sed potiùs aliquid in materiam primam, & in substantialem formam, divisibile per mutuam earum separabilitatem: materia prima ergo, & substantialis forma, *collectivè & simul* sumptæ ac unitæ, sunt reipsa aliquod compositum seu totum, & quidem physicum: nam sicut totum integrale illud est, quod ex partibus integralibus coalescit; & illud totum metaphysicum appellatur, quod ex metaphysicis constat partibus (cujusmodi sunt genus & differentia) sic etiam totum physicum illud esse debet, quod physicis ex partibus componitur; collectionem verò materiæ primæ & substantialis formæ componi ex partibus physicis, nempè ex materia prima, & substantiali forma, quis non videat?

Dico secundò, compositum, vel totum physicum aut naturale, distinguitur ratione ratiocinata, seu virtualiter, à materia prima, & à substantiali forma, *collectivè & simul* sumptis ac unitis.

Probatur breviter & explicatur: distinctio rationis ratiocinatæ, vel virtualis distinctio ea est, quæ cum fundamento in re, à ratione formatur: habet autem ratio in re fundamentum, ut

diſtinguat totum phyſicum à materia & à forma, *collectivè* & *ſimul* ſumptis ac unitis: quod quidem fundamentum in hoc potiſſimùm eſt poſitum, quòd quædam in re de toto phyſico dicuntur, quæ de materia, & forma, *collectivè* & *ſimul* ſumptis ac unitis, minimè affirmantur; dicitur namque de toto phyſico, ipſum *generari* vel *corrumpi*, *eſſe*, & *operari*, *ut quod*; ita ut ipſum propriè dicatur, quod *generetur*, vel *corrumpatur*, quod *ſit*, & *operetur*; cùm tamen id de materia, & forma, etiam *collectivè* & *ſimul* ſumptis ac unitis, nequaquam affirmetur. Sed hanc concluſionem probant ſatis argumenta ſtatim ſolvenda, quæ vix diſſolvi poſſunt, ſi inter totum phyſicum, & materiam primam, ac ſubſtantialem formam, *collectivè* & *ſimul* ſumptas ac unitas, diſtinctio, non ſolùm realis, verùm etiam rationis ratiocinatæ, ſeu virtualis, negetur.

§. II.

Objectiones contra primam concluſionem diluuntur.

OBjicies primò authoritatem Concilii Conſtantienſis damnantis ſeſſ. 8. hanc propoſitionem Joannis Huſſ. *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, ſunt unus Chriſtus*: quæ propoſitio falſa & damnanda non eſſet, ſi partes realiter eſſent unum totum.

Reſpondeo, Concilium non damnare illam Joannis Huſſ. propoſitionem *in ſenſu philoſophico*; quaſi velit Concilium, duas naturas, Divinitatem nimirum & humanitatem, *collectivè* & *ſimul* ſumptas ac unitas, non eſſe reipſa illud compoſitum, quod dicitur *Chriſtus*; ſed in *ſenſu theologico*; verus namque Theologus debet Chriſti unitatem, non ex ſola unione naturarum inter ſe, ſed & maximè ex unitate perſonæ divinæ deſumere; cùm tamen Joannes Huſſ. in præfata damnata-

que

que propositione, unitatem Christi ex unione duarum naturarum interse, Divinitatis nempè & humanitatis, duntaxat desumat.

Objicies secundò quædam Aristotelis testimonia. Ipse quippe Philosophus 2. de anima textu 2. dividit substantiam *in materiam*, *formam*, & *compositum*: asseritque, *hæc esse tres substantias*. Item lib. 5. Metaph. c. 14. textu 19. ait, *sex non esse bis tria*; & ita distinguit *sex* à *bis tribus*, proindèque *totum* à *partibus*: & lib. 7. ca. 17. textu ultimo affirmat syllabam, *ba*, non esse, *b*, & *a*; ac proinde totum non esse partes, sed quid realiter ab eis distinctum. Et tandem lib. 8. ca. 6. textu 15. docet, *totum esse aliquid præter partes*.

Ad primum Aristotelis testimonium, respondeo, Philosophum comparare physicum compositum cum materia, & forma, *seorsum* acceptis; non autem cum ipsis *simul* sumptis ac unitis: fateor verò, compositum physicum esse tertiam substantiam realiter distinctam, *distinctione includentis ab incluso*, à materia & à forma seorsum acceptis, non tamen ab eis *simul* sumptis ac unitis.

Ad 2. testimonium respondeo etiam distinguendo, & concedendo, *sex* non esse *bis tria*, *seorsum* vel *divisivè* sumpta; sed negando *sex* non esse *bis tria*, *simul* & *collectivè* accepta & unita; unde ait Aristoteles, *sex non èsse bis tria, sed semel sex*.

Ad 3. testimonium, simili modo respondendum est, syllabam, *ba*, non esse *b*, & *a*, *seorsum* & *divisivè* sumpta; benè tamen *simul* & *collectivè* accepta atque unita.

Ad 4. testimonium, cum eadem distinctione dicendum est, totum esse aliquid præter partes *seorsum* & *divisive* sumptas; non tamen præter partes *simul* & *collectivè* acceptas.

Objicies tertiò plura D. Thomæ testimonia, quæ videntur conclusioni nostræ contraria. In primis ergo in 2. dist. 2. in expositione litteræ, ait:

Non eſſe intelligendum, humanitatem eſſe animam & corpus, quaſi propriè dici poſſit: humanitas eſt anima & corpus. Et in eadem diſt. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. aſſerit, *quòd in Chriſto fuit corpus & anima, & ulteriùs forma totius reſultans.* Et demùm in 3. diſt. 2. q. 1. a. 3. *Totum*, inquit, *propriè loquendo non eſt ſuæ partes, ſed aliquid ex partibus conſtitutum.*

Reſpondeo ad 1. & 3. teſtimonium, eſſe diſtinguendum, & concedendum, humanitatem, ſeu totum phyſicum humanum, non eſſe ſuas partes, nempè animam & corpus, ſi *ſeorſum* & *diviſivè* ſumantur; at id negandum eſt, ſi partes illæ *ſimul* & *collectivè* accipiantur.

Ad 2. verò teſtimonium, diſtinguendum etiam eſt, & ultrò concedendum, in Chriſto fuiſſe corpus & animam, & ulteriùs formam totius (ſcilicet humanitatem) virtualiter reſultantem, virtualiterque ab utroque diſtinctam; at negandum eſt, in Chriſto fuiſſe corpus & animam, & ulteriùs formam totius realiter ex corpore & anima reſultantem, realiterque ab eis *ſimul* & *collectivè* acceptis diſtinctam.

Objic. quartò: quæ realiter componunt phyſicum totum, realiter ab eo diſtinguuntur; *Cùm idem nequeat realiter componere ſeipſum*: atqui materia & forma unitæ realiter componunt phyſicum totum: ergo &c. Deinde, quod realiter ad aliud ordinatur, realiter ab illo diſtinguitur; *Cùm idem non poſſit realiter ordinari ad ſeipſum*: atqui materia, & forma, unitæ, realiter ordinantur ad totum phyſicum conſtituendum: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui materia & forma unitæ, *diviſivè* ſumptæ; id eſt, materia recipiens ac ſuſtentans formam; & forma materiam informans, realiter componunt phyſicum totum, concedo: atqui materia & forma unitæ, *collectivè* acceptæ, hoc eſt, materia & forma unica collectione ſumptæ, dicendo: *mas e-*

ria

ria & forma simul & collectivè acceptæ ac unitæ realiter componunt physicum totum, nego. Quæ distinctio applicanda est consequenti.

Ad id, quod additur, cum eadem distinctione respondeo, concessa ma. distinguendo mi. atqui materia & forma unitæ, *divisivè* sumptæ, realiter ordinantur ad totum physicum constituendum, concedo: atqui materia & forma unitæ, *collectivè* acceptæ, realiter ordinantur ad totum physicum constituendum, nego. Quæ distinctio etiam consequenti applicanda est.

Eodem prorsùs modo solvendum est hoc aliud adversariorum argumentum: quod realiter includitur in toto physico, realiter distinguitur ab illo; *idem enim in seipso includi non potest*, saltem inclusione reali: atqui materia & forma unitæ, realiter in toto physico includuntur: ergo &c. concessa namque ma. distinguo mi. atqui materia & forma unitæ, *divisivè* sumptæ, realiter in toto physico includuntur, concedo: atqui materia prima & substantialis forma unitæ, *collectivè* acceptæ, realiter in toto physico includuntur, nego; imò verò sic sumptæ, sunt realiter physicum totum. Ex quo patet ad consequens.

Ex eadē doctrina & distinctione etiam facilè solves hanc celebrē adversariorum objectionē: Omnis causa realis distinguitur realiter ab effectu: atqui materia prima & substantialis forma unitæ, sunt compositi physici causę reales: ergo &c. Data siquidem ma. distinguo mi. atqui materia prima & substātialis forma unitæ, *divisivè* sumptæ, id est, materia prima substantialē recipiens ac sustentans formam, & forma substātialis materiam primam informans, sunt compositi physici causæ reales, concedo: atqui materia prima & substantialis forma unitæ, *collectivè* acceptæ, hoc est, materia prima, & substantialis forma, unica collectione, sumptæ ut unitæ, sunt compositi physici causæ reales, nego; sic enim spectatæ non sunt causæ, sed causatum, seu physicum compositum.

Inſtant adverſarii: debet dari realis cauſa intrinſeca adæquata phyſici compoſiti: atqui iſta cauſa alia non eſt, præter materiam primam, & ſubſtantialem formam, *collectivè* & *ſimul* ſumptas ac unitas: ergo &c. Maj. ut certam ex eo adverſarii putant, quòd ubi ſunt plures cauſæ partiales inadæquatæ, ibi per cauſarum partialium & inadæquatarum junctionem ſit una cauſa totalis & adæquata neceſsè eſt; materia prima autem, & ſubſtantialis forma, ſunt cauſæ intrinſecæ partiales & inadæquatæ phyſici compoſiti, ut certum eſt. Min. verò probant exemplo: ſicut etenim, inquiunt, duæ efficientes cauſæ partiales & inadæquatæ alicujus effectus, prout *collectivè* & *ſimul* accipiuntur ac uniuntur, totalem & adæquatam illius effectus conſtituunt cauſam; ſic etiam cauſæ intrinſecæ partiales & inadæquatæ compoſiti phyſici, materia prima nempè, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ ac unitæ, debent eſſe ejuſdem compoſiti phyſici intrinſeca cauſa totalis & adæquata; neque iſta cauſa alia eſſe poteſt.

Reſpondeo negando ma. quando enim dicitur, quòd ubi ſunt plures cauſæ partiales & inadæquatæ, ibi per cauſarum partialium & inadæquatarum junctionem ſit una cauſa totalis & adæquata neceſsè eſt; hoc debet intelligi, cùm cauſæ partiales & inadæquatæ, eſſentialiter non ſunt tales; cujuſmodi ſunt cauſæ efficientes, quibus accedit, quòd ſint inadæquatæ & partiales, vel adæquatæ & totales: at id falſum eſt, dum cauſæ partiales & inadæquatæ, ſunt eſſentialiter tales; cauſæ autem intrinſecæ compoſiti phyſici (nimirum materia prima, & ſubſtantialis forma) ſunt eſſentialiter inadæquatæ & partiales, cùm ſint eſſentialiter partes; ideòque mirum non eſt, ſi *collectivè* & *ſimul* ſumptæ ac unitæ, non ſunt phyſici compoſiti cauſa totalis & adæquata, ſed ſunt potiùs realiter ipſummet phyſicum compoſitum.

Obji-

Objicies quintò: ea realiter distinguuntur, de quibus à parte rei prædicata contradictoria verè affirmantur: atqui de toto physico, & de materia prima, ac substantiali forma, *collectivè* sumptis atque unitis, à parte rei prædicata contradictoria verè affirmantur: ergo &c. Ma. clara videtur. Prob. mi. verè quippe à parte rei affirmatur, totum physicum *generari* vel *corrumpi*, *esse*, & *operari ut quod*; cùm tamen de materia, & substantiali forma, *collectivè* sumptis ac unitis, verè à parte rei oppositum & contradictorium apud Philosophos affirmetur.

Addunt & urgent magis adversarii: ea realiter distinguuntur, quæ à parte rei diversas habent proprietates: atqui totum physicum, & materia prima, ac substantialis forma, *collectivè* sumptæ atque unitæ, à parte rei diversas habent proprietates: ergo &c. Maj. patet, min. verò prob. nam à parte rei, totius physici proprietates sunt, ut *generetur* vel *corrumpatur*, *sit* & *operetur ut quod*; cùm tamen diversæ, imò & oppositæ, vel etiam contradictoriæ proprietates, materiæ primæ, & substantiali formæ, *collectivè* sumptis atque unitis, à parte rei competant.

Respondeo data maj. negando min. Ad cujus prob. nego, prædicata ibi recensita esse propriè contradictoria. Sicut enim in Logica dictum est, ex communi Philosophorum consensu, ut aliqua sint propriè contradictoria, est omninò necesse, ut de eodem secundùm idem affirmentur & negentur. Prædicata autem allata, de eodem secundùm idem, affirmantur quidem & negantur, sed de eodem secundùm diversam considerationem spectato; ita ut de eadem realiter entitate, prout nomine *totius physici* significatur, à parte rei affirmetur, eam *generare* vel *corrumpi*, *esse* & *operari ut quod*; idque à parte rei de eadem entitate negetur, prout hujusmodi entitas nominibus *partium physicarum* (materiæ primæ nimirum, & substantialis formæ) *collectivè* sumpta-

rum atque unitarum explicatur. Neque verò, quæ à parte rei diverſis nominibus exprimuntur, propterea à realiter diſtinguuntur; fat enim eſt, ut virtualiter differant; un conſtat in *concreto* & in *abſtracto*, v.g. in albo, & in albedine, quæ non realiter, ſed virtualiter ſolùm, ſecundùm diverſum ſignificandi modum, diſtinguuntur, licèt *concretum* & *abſtractum* diverſis nominibus exprimantur.

Ad id, quod additur, diſtinguo maj. ea realiter diſtinguuntur, quæ à parte rei diverſas haben: proprietates: ſi omnes illæ proprietates ſint poſitivæ, concedo: ſi una ſit poſitiva, altera negativa, ſeu mera negatio, nego. Nam alioquin in Deo eſſentia & paternitas realiter diſtinguerentur; quandoquidem ſecundùm fidem, eſſentia aut natura in Deo eſt à parte rei communicabilis filio, paternitas verò à parte rei filio incommunicabilis eſt; præterea pater in Deo à parte rei generat *ut quod*, eſſentia autem vel natura à parte rei non generat *ut quod*; ubi *eſſentia* & *paternitas*, *pater* & *natura*, in Deo diverſas à parte rei habent proprietates; nec tamen realiter diſtinguuntur, quia omnes illæ proprietates non ſunt poſitivæ, ſed una poſitiva eſt, & altera negativa; *communicabilitas* quippe eſt quidem poſitiva, ſed *incommunicabilitas* eſt merè negativa, ſive mera communicabilitatis negatio; ſimiliter, *generare ut quod*, eſt quid poſitivum; ſed, *non generare ut quod*, quid negativum eſt.

Quamvis autem totum phyſicum, & ejus partes *collectivè* ſumptæ atque unitæ, diverſas à parte rei ſibi vendicent proprietates; videlicet totum phyſicum à parte rei *generetur* vel *corrumpatur*, *ſit* & *operetur ut quod*; partes verò illius *collectivè* ſumptæ ac unitæ non *generentur* neque *corrumpantur*, non *ſint*, neque *operentur ut quod*; attamen hujuſmodi proprietates non ſunt poſitivæ, ſed una poſitiva eſt, altera negativa;

tiva; *generari* namque vel *corrumpi*, *esse*, & *operari ut quod*, est quidem aliquid positivum; at *non generari*, *non corrumpi*, *non esse*, *non operari ut quod*, quid negativum est.

Cæterùm, positivæ proprietates, quæ à parte rei toti physico competunt, etiam à parte rei partibus ejus *collectivè* sumptis ac unitis reipsa conveniunt: sic non tantùm homini, sed etiam animæ rationali & corpori *collectivè* sumptis ac unitis, *intellectus & voluntas* realiter competunt; sic pariter non solùm animali, sed etiam animæ sensitivæ & corpori *collectivè* sumptis atque unitis, *sensus* tum *interni*, tum *externi*, realiter conveniunt; licèt actus hujusmodi proprietatum vel potentiarum à partibus physicis, nempè ab anima & à corpore, *collectivè* acceptis ac unitis, ut à principio *quod* non eliciantur, si nominibus *partium* explicentur; sed duntaxat, si nomine *totius physici*, v. g. *hominis* vel *animalis*, exprimantur.

Objicies sextò: si totum physicum à partibus suis, nempè à materia prima, & à substantiali forma, v. g. homo à corpore, & ab anima rationali, realiter non distingueretur; homo alium generans hominem, nihil planè produceret: atqui hoc apertè falsum est: ergo &c. Prob. maj. homo generans non producit partes hominis, quem procreat, corpus nimirum seu materiam primam, & rationalem animam; cùm partes istæ sint prorsùs ingenerabiles: ergo si homo ab ejusmodi partibus realiter non distinguatur, homo alium generans hominem, non producit hominem quem procreat, & ita nihil omninò producit. Ex quo iterum sequitur, ut homine morente, pereat nihil; cùm non pereant partes, materia prima nempè, & rationalis anima, sed in æternum perseverent.

Deinde; ut arguit quidam *Recentior*, non dicimus, rem novam gigni, cùm coacervantur lapides, aut junguntur manus; nec perire aliquid, cùm

istæ

iſtæ divelluntur, & illi diſſipantur; quia acervus lapidum, nihil aliud eſt, quàm lapides *collectivè* ſumpti; & manus junctæ, nihil ampliùs ſunt, quàm manus *collectivè* acceptæ ac unitæ: ergo ſi totum phyſicum nihil aliud eſt, præter partes *collectivè* ſumptas & unitas; nihil planè gignitur, cùm partes iſtæ in generatione uniuntur; & nihil prorsùs perit, cùm eædem partes in corruptione totius phyſici ſeparantur. Præterea, quando judicii generalis tempore reſurget homo, propriè nihil de novo reſurget, ſi homo nihil eſt aliud, præter partes; quandoquidem hæ partes, ſcilicet materia prima, & rationalis anima, ſunt ante hominis reſurrectionem futuræ; cùm tamen, quod de novo reſurgit, anteà eſſe non debeat.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi totum phyſicum à partibus ſuis, nempè à materia prima, & à ſubſtantiali forma; v. g. homo à corpore & ab anima rationali; *ſeorſum* acceptis, realiter non diſtingueretur, homo alium generans hominem, nihil planè produceret, concedo: ſi totum phyſicum à partibus ſuis, nempè à materia prima, & à ſubſtantiali forma; v. g. homo à corpore, & ab anima rationali; *ſimul & collectivè* ſumptis atque unitis, realiter non diſtingueretur, homo alium generans hominem, nihil planè produceret, nego: etſi etenim homo alium generans hominem, non producat partes hominis, quem procreat, videlicet materiam primam, & rationalem animam, *ſeorſum* acceptas; ſed potiùs partes iſtæ *ſeorſum* ſpectatæ ſint prorsùs ingenerabiles; nihil tamen impedit, ne illas *ſimul & collectivè* ſumptas ac unitas verè proprièque producat; neque partes illæ *ſimul & collectivè* acceptæ ſunt ingenerabiles. Sicut autem ut homo verè proprièque corrumpatur & pereat, eſt ſatis, ut ejus partes, corpus nimirum & anima rationalis, ſeparentur; ſic etiam, ut homo verè & propriè generetur & fiat, abundè eſt, ut ipſius partes virtute actionis ho-

hominis generantis & producentis colligentur & uniantur; ſive, quod idem eſt, ſufficit, ut partes illæ *ſimul* & *collectivè* ſumptæ ac unitæ generentur & producantur.

Ex quo patet ad id quod additur. Nam negandum eſt, quòd homine moriente, pereat nihil; verè quippe perit homo; quamvis enim non pereant partes, materia prima nempè, & rationalis anima, *ſeorſum* acceptæ, ſed poſt hominis mortem perſeverent; propriè tamen pereunt partes illæ, ut unitæ & *collectivè* ſumptæ, hoc eſt, propriè ſeparantur; quod omnino ſufficit, ut homo propriè moriatur & pereat.

Ad argumentum cujuſdam *Recentioris* reſpondeo, quòd idcircò, cùm coacervantur lapides, & junguntur manus; vel cùm iſtæ divelluntur, & illi diſſipantur: neque gignitur aliquid, neque perit; quia acervus lapidum eſt quid unum duntaxat *per accidens*, ſeu per meram aggregationem & coacervationem; quo pacto etiam ſe habent manus junctæ; generatio namque & corruptio propriè in entibus *per accidens* non inveniuntur. Partes autem intrinſecæ & eſſentiales totius phyſici, nimirum materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ & unitæ, ſunt quid unum *per ſe*, ut ſtatim dicetur; ideòque propriè aliquid gignitur, nempè totum phyſicum, cùm hujuſmodi partes in generatione uniuntur: propriè quoque aliquid perit & corrumpitur, ſcilicet phyſicum totum, cùm eædem partes in corruptione ſeparantur.

Ad aliud quod ſubditur, reſpondeo ex doctrina tradita, quòd judicii generalis tempore verè de novo reſurget homo; quia licèt ante hominis reſurrectionem futuræ ſint ejus partes, ſcilicet materia prima, & rationalis anima, *ſeorſum* ſeparatæ; non tamen *collectivè* ſumptæ & unitæ, ſcilicet in reſurrectione de novo colligentur & unientur; in quo vera & propriè dicta reſurrectio poſita eſt. Unde homo ante reſurrectionem ſuam non erit,

quia

quia materia prima, & anima rationalis, *ſeorſum* ſeparatæ, realiter non ſunt homo, ſed ſolùm *collectivè* ſumptæ ac unitæ.

Objicies ſeptimò: materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ ac unitæ, ſunt quid unum duntaxat *per accidens*: ergo cùm totum phyſicum ſit quid *per ſe* unum, materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* acceptæ & unitæ, non ſunt realiter phyſicum totum. Prob. ant. plura aggregata non ſunt unum, niſi *per accidens*, ut communitet docent omnes: quam ob cauſam, acervus lapidum eſt quid unum tantùm *per accidens*: atqui materia prima, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ & unitæ, ſunt plura aggregata, ſive plures & diverſæ entitates aggregatæ: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. diſtinguo maj. plura entia *completa* aggregata, non ſe habentia ad modum potentiæ & actus, (cujuſmodi eſt acervus lapidum) non ſunt unum, niſi *per accidens*, concedo: plura entia *incompleta* aggregata, per modum potentiæ & actus, intra idem genus ſe habentia, non ſunt unum, niſi *per accidens*, nego: materia prima verò, & ſubſtantialis forma, *collectivè* ſumptæ ac unitæ, ſunt plura entia *incompleta* aggregata, ſeu plures & diverſæ entitates incompletæ aggregatæ, per modum potentiæ & actus, intra idem genus ſubſtantiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De Natura, violentia, & arte.

AD plenam & absolutam entis sive compositi naturalis notitiam, agendum sequitur de natura; & quoniam violentia opponitur naturæ, ars verò naturam æmulatur; de violentia ...tiam, & arte differendum est. Hanc autem quæ...tionem in tres articulos distribuemus. In primo ...e natura, in secundo de violentia, & in tertio ...arte, dicetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Natura?

§. I.

Quid sit Natura?

...Ultiplex est *naturæ* acceptio. In primis enim, ut ait Hugo Victor. 1. Didascalon ...e 11. accipitur *natura* pro mente divina, ...o Deo ipso rerum omnium opifice & paren...quo sensu Deus à quibusdam, *natura natu...*appellatur; & res à Deo creatæ, *natura na...* vocantur.

...undò accipitur *natura* pro cujusque rei ...itate, seu essentia; quo in sensu docet ...n tribus personis divinis unam esse *natu...*uo item modo dicere consuevimus, de...æm esse orationem, quæ rei *naturam* ...t.

...ò sumitur *natura* pro tota universitate rerum

rerum creatarum, ſive pro toto univerſo; quo ſenſu dicere ſolemus, aliquid eſſe in rerum *natura*, id eſt, in univerſo.

Quartò accipitur *natura* pro cauſis naturalibus ſeu neceſſariis, quatenùs ſecundùm inſitam propenſionem agunt. Quo pacto ſumpta *natura*, multa obtinuit apud Philoſophos encomia; exempli gratia, *naturam nihil fruſtrà moliri, facere optimum quod poteſt, odiſſe ſuperfluum* &c.

Quintò pro nativo cujuſque animalis temperamento, quod ex quatuor primarum qualitatum mixtione concretum eſt; hinc ortum eſt hoc effatum: *Conſuetudo eſt altera natura.*

Sextò accipitur *natura*, pro viventium generatione, quæ *nativitas* vocatur. Et hæc fuit prima apud *Latinos* hujus vocis ſignificatio; dicitur enim à Latinis *natura*, quaſi à *naſcendo*; in quo ſenſu intelligendum eſt illud Apoſtoli pronunciatum: *Natura ſumus filii iræ*: id eſt, ex conceptione & nativitate, à qua peccatum originale, quo objectum iræ Dei eſt, trahimus.

Denique, ut reliquas ejuſdem *vocabuli* acceptiones, quæ multò plures ſunt, omittamus: ſumitur *natura* apud Phyſicos, pro principio interno & radicali motus atque quietis.

Naturam autem hoc ultimo modo uſurpatam ſic definit Ariſtoteles 2. Phyſic. textu 3. *Natura*, inquit, *eſt principium & cauſa motus & quietis, ejus in quo eſt, primò, per ſe, & non per accidens.* Natura dicitur *principium* & *cauſa*, majoris explicationis gratia; & maximè ad removendam privationem, quæ licèt *principium* ſit generationis, *cauſa* tamen non eſt, eo quòd eſt *non ens*, cui ratio *cauſæ* convenire non poteſt. Additur autem, naturam eſſe *principium motus & quietis*; motus quippe ad quietem tendit: neque etenim aliquid movetur, niſi ut terminum acquirat, & in termino quieſcat. Unde *quies* hìc non pro mera motus carentia, ſed pro adeptione & poſſeſſione termi-

mini usurpatur; cujusmodi est in lapide *possessio centri*, quod per motum adeptus est. Sumitur verò *motus* in definitione allata *naturæ*, pro quavis operatione corporea sponte à re fluente; qualis est motus lapidis ad terram descendentis.

Natura verò est causa motus & quietis in *sensu accomodo*; ita ut, si motus & quies in subjecto sibi mutuò succedant (ut contingit in lapide ad terram descendente) *natura* utriusque sit causa; si verò subjectum duntaxat moveatur (ut corpus cœleste, excepto cœlo empyreo) *natura* sit solùm causa motus; si tandem subjectum tantùm quiescat (ut terrestris globus) *natura* sit tantùm causa quietis: est igitur semper *natura* in sensu accomodo *causa motus & quietis*; *motus* quidem, in his quæ moventur; *quietis* verò, in his quæ quiescunt.

Dicitur insuper, *naturam* esse *principium & causam motus & quietis ejus in quo est*, adeò ut *natura* debeat esse intrinseca, sive interna enti, quod movetur vel quiescit. Subditur, *naturam* esse *primum motus & quietis principium*, id est, principium radicale, quo non detur prius in re, quæ movetur vel quiescit, ad excludenda à ratione *naturæ* proxima motus principia, ut sunt *gravitas* in corpore gravi, *levitas* in corpore levi, & *potentia progressiva* in animali. Asserit denique Aristoteles in definitione *naturæ*, ipsam esse *per se, & non per accidens, primum principium, primamque causam motus & quietis*; quia revera ad hoc *per se* & *essentialiter* ordinatur.

Ex dictis colliges apertè, falsam esse Cartesii sententiam. Docet ergo Cartesius, res omnes *ex se* indifferentes esse ad eos motus, quos in ipsis cernimus; neque in ejusmodi motus prorumpere, nisi Deo illas impellente. Unde ex Cartesii doctrina, solus Deus propriè *natura* est, cùm ex ea doctrina, solus Deus sit primum omnium motuum principium; ideòque quia Deus est quid omnibus creatis rebus extrinsecum, sequitur, ut

natu-

natura ſit rebus omnibus extrinſeca. Hujus, inquam, ſententiæ falſitas perſpicua eſt. Quid enim magis intrinſecum rei eſſe poteſt, quàm ipſius *natura*? Quis unquam, niſi à recta mente alienus, & cum quotidiana experientia pugnans, dicet, lapidem *ex ſe* ad motum deorſum, quo ad optatiſſimum centrum tendit, eſſe prorsùs indifferentem?

§. II.

Quotuplex ſit natura?

DIcendum eſt primò, *naturæ* rationem materiæ primæ, & ſubſtantiali formæ, propriè convenire. Ita docet Philoſophus variis in locis, & præſertim textu 10. hujus capitis, ubi ſic ait: *Vno igitur modo natura dicitur, prima quæ cuique ſubjecta eſt materia rerum earum, quæ motionis, mutationiſque principium in ſe habent; alio autem modo forma.*

Idem quoque ratione probatur: quot ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales entis naturalis, tot ſunt *naturæ* propriè nuncupatæ; cùm ens naturale dicatur, *quod conſtat naturis:* atqui materia prima, & ſubſtantialis forma, ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales entis naturalis, ut *q. præcedenti a.* 1. oſtenſum eſt: ergo &c.

Objicies 1. contra 1. p. hujus concluſionis: Ariſtoteles 5. Metaphyſic. cap. 4. docet, materiam primam non eſſe niſi *metaphoricè naturam*: ergo ex mente Ariſtotelis, materia prima non eſt propriè *natura*.

Reſpondeo, Ariſtotelem eo in loco accipere *naturam* pro *ſpecie*, vel pro *formali principio ſpeciei*; in quo ſenſu, materia prima non eſt propriè, ſed metaphoricè ſolùm *natura*; materia prima quippe non eſt propriè ſpecies, nec formale ſpeciei principium (hoc enim ſubſtantialis formæ proprium eſt, ut alibi diximus) ſed metaphoricè tan-

tantùm aut impropriè, quatenùs est formæ substantialis (quæ est formale speciei principium) susceptiva. Cæterùm concedit Aristoteles textu 10. hujus cap. materiam primam esse propriè *naturam*, si accipiatur *natura* pro primo & radicali motus physici principio, quod enti naturali ac mobili intrinsecum est.

Objicies 2. *natura* propriè dicta debet esse principium motus: atqui materia prima non est principium motus: ergo &c. Maj. ex dictis manifesta est. Prob. min. si materia prima esset motus principium, utique materiale aut passivum vel receptivum: atqui materia prima non est principium materiale aut passivum vel receptivum motus: ergo &c. Maj. clara est. Min. autem ex eo prob. quòd motus physicus (de quo nunc loquimur) est accidens; ex Aristotele verò 1. de generat. cap. 4. textu 23. materiale principium, sive subjectum receptivum accidentis, non est materia prima, sed *physicum compositum*.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. concessa maj. distinguo min. atqui materia prima non est principium *quod* materiale, aut passivum vel receptivum motus, concedo; nam, ut rectè in objectione dicitur, motus physicus est accidens; materiale autem principium sive subjectum *quod* accidentis receptivum non est materia prima, sed totum compositum physicum; subjectum namque *quod* recipit & sustentat accidens, ratione sui existat & subsistat necessè est; ut autem probatum est suprà *q.* 2. *a.* 2. materia prima ratione sui non existit nec subsistit, sed duntaxat per existentiam & subsistentiam physici compositi, cui soli convenit existere ratione sui ac subsistere: atqui materia prima non est principium radicale *quo* materiale, aut passivum vel receptivum motus, nego; reipsa quippe, materia prima est prima radix, qua compositum physicum aptum est ad motum physicum, aliaque accidentia materialia recipienda. Ut autē

ma-

materia prima ſit propriè *natura*, ſat eſt, ut ſit principium radicale *quo* materiale aut paſſivum vel receptivum motus; cùm enim in definitione *naturæ* non ponatur, eam eſſe principium activum, vel paſſivum, determinatè; ſed duntaxat, ipſam eſſe principium radicale motus; ut aliquid ſit propriè *natura*, ſufficit planè, ut ſit radicale principium motus; nec refert, quòd ſit activum, vel paſſivum principium.

Objicies 3. contra alteram concluſionis partem: *Natura* debet eſſe intrinſecum motus principium: atqui ſunt plures formæ ſubſtantiales quæ non ſunt intrinſeca motus principia: ergo &c. Prob. min. exemplo levium & gravium corporum, in quibus motus *ſurſum*, ac motus *deorſum*, ex formis eorum intrinſecis non oriuntur, ſed ex principio extrinſeco, videlicet ex generante, mediante levitate, vel gravitate.

Reſpondeo diſtinguendo maj. *natura* debet eſſe intrinſecum motus principium: activum vel paſſivum, concedo: activum ſemper, nego. Licèt autem ſubſtantiales levium & gravium corporum formæ, non ſint intrinſeca motus *ſurſum* & motus *deorſum*, activa principia; ſed ipſi motus ab extrinſeco principio activo, nempè a generante, media levitate vel gravitate orianturattamen formæ illæ ſunt intrinſeca ejuſmodi motus principia paſſiva; adeò ut ſubſtantialis forma corporis levis, ipſum reddat idoneum, ut paſſivè *ſurſum* moveatur; ſubſtantialis verò forma corporis gravis, ipſum ad motum *deorſum* conſtituat aptum ac pronum. Quo etiam modo ſubſtantialis forma Cœli, eſt intrinſecum motus circularis principium.

Inſtabis: materia prima in corpore levi, eſt intrinſecum & radicale principium paſſivum motus *ſurſum*; ut ex dictis patet: ergo ſubſtantialis forma in corpore levi non eſt intrinſecum & radicale principium paſſivum hujus motus; neque enim poſſunt eſſe in eodem ſubjecto duo intrin-

trinseca & radicalia principia passiva ejusdem motus.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens : ergo substantialis forma in corpore levi non est intrinsecum & radicale principium passivum hujus motus, sub eadem ratione, concedo: non est intrinsecum & radicale principium passivum hujus motus, sub alia ratione, nego. Nulla igitur est repugnantia, ut materia prima in corpore levi sit intrinsecum & radicale principium passivum motus *sursum*, ut est materialis motus; & substantialis forma levis corporis sit intrinsecum & radicale principium passivum ejusdem motus, ut est motus *sursum*, essentialiter à motu *deorsum* distinctus.

§. III.

An naturæ ratio propriè conveniat animæ rationali ac formæ totali, & quo pacto materia & forma in ratione communi naturæ consentiant?

DIcendum est secundò, animam rationalem, etiam ut rationalis est, esse verè proprièque *naturam*. Ita communiter Philosophi, contra B. Albertum magnum, Simplicium, Avicennam, & aliquos ex Recentioribus.

Prob. 1. substantialis forma est verè proprièque *natura*; ut in *præcedenti* §. probatum est: atqui anima rationalis, ut est rationalis, est substantialis forma hominis: ergo &c. Min. definita est in Concilio Lateranensi 3. sub Leone X. sess. 8. & in Concilio Viennensi sub Clemente V. habeturque in Clementina unica de summa Trinit. & fide catholica. Prob. quoque ratione philosophica: nomine substantialis formæ intelligitur apud Philosophos, actus substantialis constituens compositum substantiale physicum: atqui anima rationalis, etiam ut rationalis est, est actus substan-

ſtantialis conſtituens compoſitum ſubſtantiale phyſicum, nempe hominem: ergo &c.

Prob. 2. intrinſeca & eſſentialis pars entis naturalis, verè ac propriè eſt *natura*; cùm id ens naturale dicatur, *quod conſtat naturis*: atqui anima rationalis, etiam ut eſt rationalis, eſt intrinſeca & eſſentialis pars entis naturalis, nimirum hominis: ergo &c.

Prob. 3. nomine *naturæ* propriè nuncupatæ, nihil aliud intelligendum venit, præter intrinſecum & radicale motus phyſici principium: atqui anima rationalis, etiam ut eſt rationalis, eſt intrinſecum & radicale motus phyſici principium ergo &c. Maj. certa eſt, ut ex dictis patet. Min. verò ex eo prob. quòd anima rationalis, ut eſt rationalis, eſt intrinſecum & radicale principium riſus, fletus, locutionis, & ſimilium phyſicorum motuum.

Objicies 1. *natura* propriè dicta debet eſſe motus phyſici principium: atqui anima rationalis, ut eſt rationalis, non eſt motus phyſici principium: ergo &c. Prob. min. motus, quorum anima rationalis, ut eſt rationalis, eſt principium, non ſunt alii, præter *intelligere* & *velle*: atqui *intelligere* & *velle* non ſunt motus phyſici aut materiales, imò potiùs ſunt actiones prorsùs immateriales, utpotè convenientes Deo & Angelis, in quibus nullus eſt materialis motus: ergo &c.

Reſpondeo 1. conceſſa maj. negando min. Ad cujus prob. nego maj. etenim anima rationalis, ut eſt rationalis, non ſolùm eſt intelligendi & volendi, ſed etiam ridendi, flendi, & loquendi principium; riſum autem, fletum, & locutionem, eſſe motus phyſicos ac materiales, quis negabit?

Reſpondeo 2. diſtinguendo maj. *natura* propriè dicta debet eſſe motus phyſici principium: motus phyſici, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum, concedo: motus phyſici ſemper

quoad

oad ſubſtantiam, nego: etſi autem *intelligere*
velle, quorum anima rationalis, ut rationalis,
principium, non ſint motus phyſici ſeu mate-
les quoad ſubſtantiam vel entitatem; ſunt ta-
en motus phyſici & materiales quoad modum,
ia *intelligere* & *velle* ab anima rationali non
nt, niſi modo cum materia connexo & ab ea de-
ndenti; quatenùs anima rationalis in intelle-
ionem & volitionem non exit, niſi dependen-
r à materia aut corpore, id eſt, niſi dependen-
à ſenſibus corporis. Et hoc ſufficit, ut ani-
rationalis, prout rationalis eſt, ſit *natura*;
oniam ſic intelligendo & volendo, intelligit
wult, ut forma materiæ vel corporis, & ut in-
nſeca & eſſentialis pars entis naturalis, nempè
minis: & ita, ut *natura*. Ex quo patet, qua-
Deo vel Angelo ratio *naturæ* propriè non com-
tat; quia nimirum licèt Deus, vel Angelus,
elligat & velit, non tamen dependenter à ma-
ia aut à corpore; neque ut forma materiæ vel
rporis, nec ut pars entis naturalis, proindè
c ut *natura*.

Inſtabis: ergo ſaltem anima rationalis ſepara-
non erit *natura*; quia eo in ſtatu in intelle-
omem & volitionem non exibit dependenter
rpore, quandoquidem erit tunc à corpore ſe-
ata.

Reſpondeo negando conſeq. nam quemadmo-
ni, ut anima rationalis ſit hominis pars, non
neceſsè, ut actu ſemper eum componat; ſed
eſt, ut componere connaturaliter poſſit &
at; quam ob cauſam in ſtatu ſeparationis re-
ſit pars hominis: ſic etiam, ut anima ratio-
s, prout rationalis eſt & intellectiva, verè
natura, neceſsè non eſt, ut actu ſemper in in-
ctionem & volitionem exeat dependen-
corpore; ſed eſt ſatis, ut ita intelligere &
connaturaliter poſſit & expoſcat. Quo qui-
modo anima rationalis in ſtatu ſeparationis
habet.

Objicies 2. forma, quæ eſt *natura*, debet fieri per *naturam*, ſicut artificialis forma debet per artem effici: atqui anima rationalis fieri nequit per *naturam*: ergo &c. Min. ex eo prob. quòd *natura*, ſeu agens naturale, non producit formam, niſi per ipſius formæ è potentia materiæ eductionem; quo pacto anima rationalis produci non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo maj. forma, quæ eſt *natura*, debet fieri *diſpoſitivè* vel *entitativè* per *naturam*, concedo: debet ſemper *entitativè* fieri per *naturam*, nego: tametſi autem anima rationalis *entitativè* per *naturam* fieri nequeat, eo quòd ejus entitas è materiæ potentia ab agente naturali educi non poteſt; attamen per *naturam diſpoſitivè* produci poteſt, quatenùs diſpoſitiones ad ipſam poſſunt ab agente naturali è potentia materiæ in generatione educi; ut autem forma propriè ſit *natura*, ſatis eſt, ut vel *entitativè*, vel *diſpoſitivè*, per naturam fiat.

Dicendum eſt tertiò, formam totalem in compoſito phyſico propriè non eſſe *naturam*. Hæc concluſio communis eſt. Quæ ut explicetur, ſciendum eſt, duas formas in compoſito phyſico ſolere diſtingui, unam partialem, totalem alteram. Partialis forma phyſici compoſiti, eſt actus ſubſtantialis incompletus ac partialis, ex quo & materia prima, velut ex partibus, conſtat phyſicum compoſitum; quæ quidem forma appellari ſolet, *ſubſtantialis formæ*: & quam eſſe *naturam* propriè dictam, ſuprà oſtenſum eſt. Forma verò totalis, eſt tota phyſici compoſiti eſſentia, ex forma partiali & materia prima conſtituta, prout abſtracto ſignificatur termino; ſic *humanitas* eſt in homine forma totalis. Hoc præmiſſo.

Prob. 1. ex Ariſtotele hìc capite 1. texta 12. ubi poſtquàm dixit, materiam primam, & partialem formam, eſſe *naturas*, ſubjungit: *Quod autem ex his eſt*, (ſcilicet forma totalis,

talis, ex materia prima & partiali forma composita) *natura non est, sed à natura.* Ubi D. Thomas sic ait: *Posset autem aliquis credere, quòd quia materia dicitur natura, & etiam forma, quòd compositum possit dici natura: sed hoc excludit* (Aristoteles) *dicens, quòd compositum ex materia & forma, non est ipsa natura, sed est aliquid à natura; quia natura habet rationem principii, compositum habet rationem principiati.*

Respondent aliqui, Aristotelem per verba allata: *Quod autem ex his est, natura non est, sed à natura*: non intelligere formam totalem, sed suppositum.

Sed contra: esto enim Aristoteles per verba illa non intelligat formam totalem, sed suppositum; attamen semper verum est ex mente Aristotelis, formam totalem non esse *naturam*: nam idcircò secundùm Aristotelem, quod constat ex materia prima, & partiali forma, non est propriè *natura*, quia est à natura; hoc est, quia ex *naturis* componitur, nimirum ex materia prima, & partiali forma: atqui non tantùm suppositum, sed etiam forma totalis, ex *naturis*, nempè ex materia prima, & partiali forma, componitur; sic non solùm *homo*, sed etiam *humanitas*, ex corpore constat & anima: ergo &c.

Prob. 2. fundamentali ratione, sumpta ex allatis Philosophi & D. Thomæ testimoniis: *Natura* propriè dicta, ut suprà ex Aristotele definita est, debet esse simpliciter primum principium intrinsecum motus & quietis: atqui forma totalis non est simpliciter primum principium intrinsecum motus & quietis: ergo &c. Prob. min. eo, quod est in composito physico, simpliciter primum principium intrinsecum motus & quietis, nullum est prius principium intrinsecum motus & quietis; nihil quippe est prius eo, quod est simpliciter primum: atqui in composito physico

ſunt motus & quietis principia intrinſeca, quæ ſunt forma totali priora: ergo &c. Prob. mi. in compoſito phyſico ſunt materia prima, & forma partialis: atqui materia prima, & partialis forma, ſunt motus & quietis principia, compoſito phyſico intrinſeca, ut §. *II.* explanatum eſt; & præterea ſunt principia forma totali priora; cùm materia prima, & partialis forma, ſint formæ totalis partes componentes, quæ debent eſſe toto compoſito priores: ergo &c.

Objicies 1. hoc Div. Thomæ teſtimonium ſumptum ex 5. Metaph. Lect. 5. ubi hæc habet: *Non ſolùm forma partis dicitur natura, ſed ſpecies ipſa, quæ eſt forma totius; ut ſi dicamus, quod hominis natura non ſolùm eſt anima, ſed & humanitas, & ſubſtantia; quam ſignificat definitio.*

Sed facilè reſpondeo, D. Thomam accipere ibi naturam, pro eo, quod per definitionem vel deſcriptionem explicatur; quo in ſenſu, non ſolùm forma partis, ſive partialis; ſed etiam forma totius, ſive totalis; ſic v. g. in homine, non tantùm anima, ſed etiam humanitas, natura dici poteſt, quia utraque poteſt per definitionem aut deſcriptionem explicari. Cæterùm Div. Thomas allato in loco naturam non accipit pro principio intrinſeco ſimpliciter primo motus & quietis, ſicut à nobis ſumitur, dum negamus, formam totalem eſſe *naturam.*

Objicies 2. radicale motus principium, eſt natura: atqui forma totalis, v. g. *humanitas* in homine, eſt radicale motus principium: ergo &c. Maj. eſt manifeſta. Prob. min. principium radicale motus eſt illud, à quo, mediante principio proximo, oritur motus: atqui ab *humanitate* mediante principio proximo oritur motus; v. g. ab ipſa *humanitate*, mediante potentia progreſſiva, exit ambulationis motus: ergo &c.

Reſ.

Respondeo distinguendo ma. radicale motus principium, est *natura*: si sit principium intrinsecum simpliciter primum, concedo: si illud radicale principium motus, non sit principium intrinsecum simpliciter primum, nego: quamvis autem forma totalis, v. g. *humanitas* in homine, sit radicale motus principium, non est tamen principium intrinsecum simpliciter primum; ut ex dictis constat.

Dicendum est tertiò, *naturæ* rationem *analogicè* tantùm materiæ primæ, & substantiali formæ, convenire. Ita communiter Philosophi.

Prob. tunc duo inferiora in ratione communi *univocè* non conveniunt, sed *analogicè* tantùm; quando communis ratio *univocè* seu *æqualiter* utrique non convenit, sed *analogicè* solùm sive *inæqualiter*, ita ut magis conveniat uni, quàm alteri: atqui communis ratio *naturæ* non convenit *univocè* aut *æqualiter* materiæ primæ, & substantiali formæ; sed *analogicè* tantùm vel *inæqualiter*, adeò ut magis conveniat substantiali formæ, quàm materiæ primæ: ergo &c. Min. est ipsa Aristotelis doctrina in hoc lib. cap. 1. ubi sic ait: *Natura magis hæc est* (scilicet forma) *quàm materies; unumquodque enim tunc magis dicitur, cùm est actu, quàm in potentia.* Quæ verba exponens Angelicus Doctor Lect. 2. hæc scribit: *Quia unumquodque magis dicitur, secundùm quod est actu, quàm secundùm quod est in potentia; ideò forma, secundùm quam aliquid est ens naturale in actu, magis est natura, quàm materia, secundùm quam est aliquid naturale in potentia.*

Ex qua Aristotelis & D. Thomę doctrina sic potest argui: puræ potentiæ, & actui, inquantùm hujusmodi, nihil est *univocè* commune: atqui materia prima, est pura potentia; & substantialis forma, est actus; ut sæpè dictum est: ergo materiæ primæ, & substantiali formæ, inquantùm ejusmodi, nihil est *univocè* commune; proindèq; ratio

naturæ non eſt eis *univocè* communis. Prob. maj. his, quæ *inæqualiter* ſe habent, prout talia ſunt, nihil eſt *univocè* ſeu *æqualiter* commune, ut patet: atqui pura potentia, & actus, inquantum hujuſmodi, *inæqualiter* ſe habent: ergo &c. Prob. mi. perfectibile, & perfectivum, prout talia ſunt, *inæqualiter* ſe habent; *perfici* quidem, *longè nobilius eſt, quàm perficì*: atqui pura potentia, inquantùm ejuſmodi, perfectibilis eſt; actus verò, ut talis, perfectivus eſt, ut conſtat: ergo &c.

Quòd ſi quæras, qua analogia conveniat materiæ primæ, & ſubſtantiali formæ, communi ratio *naturæ*.

Reſpondeo, communem naturæ rationem convenire *analogicè* analogia proportionalitatis materiæ primæ, & ſubſtantiali formæ; quæ analogia in hoc poſita eſt, quòd ſicut forma ſubſtantialis eſt *natura* per modum principii radicalis *activi* motus, ita proportionaliter materia prima eſt *natura* ad modum principii radicalis *paſſivi* motus.

Objicies 1. homo & brutum *univocè* in anima conveniunt: ergo pariter dicendum eſt, materiam primam, & ſubſtantialem formam, in ratione communi *naturæ* convenire univocè.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. & paritatem. Neque enim homo & brutum ſe habent ut potentia, & actus; ſed ſicut duæ ſpecies, quæ debent *univocè* in genere convenire, at materia prima, & ſubſtantialis forma, in ratione communi *naturæ* conveniunt, tamquam potentia & actus, quibus *ut hujuſmodi*, nihil *univocè* commune eſſe poteſt.

Objicies 2. ratio partis intrinſecæ entis naturalis, *univocè* convenit materiæ primæ, & ſubſtantiali formæ; cùm materia prima, & forma ſubſtantialis, ſint *æqualiter* partes intrinſecæ entis naturalis: ergo ratio *naturæ* etiam *univocè* convenit materiæ primæ, & ſubſtantiali formæ; quan-

do-

doquidem ratio partis intrinsecæ entis naturalis, est ipsamet *naturæ* ratio; ut constat ex dictis.

Respondeo negando ant. cùm enim materia prima, & substantialis forma, conveniant in ratione partis intrinsecæ entis naturalis, sicut potentia & actus, in ratione illa communi propriè *univocè* non conveniunt. Nec obstat, quòd materia prima, & forma substantialis, sint *æqualiter* partes intrinsecæ entis naturalis; etenim sunt quidem *æqualiter* ejus partes, si consideretur in materia prima, & in substantiali forma, ratio habita partis, quæ utique in illis est *æqualis*, neque major in una, quàm in altera; at non sunt *æqualiter* partes intrinsecæ entis naturalis, si spectetur habendi modus; imò enim potiùs habent rationem partis intrinsecæ entis naturalis modo planè *inæqualis*; nempè ad modum potentiæ & actus.

Articulus Secundus.

De violentia, & causis violentiam inferentibus.

Dicendum est primò, violentiam rectè hoc modo definiri: *Violentia est, cujus principium est extra, passo non conferente vim.* Cujus definitionis iste est sensus: *Violentia, est id, cujus principium est extrinsecum, in subjecto non obedi-ente, sed renitente*: sic aquæ vel lapidi violentia infertur, dum in aqua ab igne calor producitur, vel cùm lapis à projiciente sursum movetur, & impellitur.

Dicendum est secundò, quòd dum universales causæ, ob urgentem naturæ necessitatem, & bonum commune universi, res inferiores, contra proprias earum inclinationes, movent, nullam eis violentiam inferunt.

Supponit conclusio, esse in re qualibet duplicem inclinationē, unam *generalem* atque *commu-*

nem, ad bonum generale atque commune totius univerſi; alteram ipſi *peculiarem & propriam*, ad bonum ſibi peculiare & propriuni: *Quot enim ſunt genera bonorum, tot debent eſſe in re quaque inclinationum genera*. Quia verò *bonum generale & commune eſt excellentius bono peculiari & proprio*, ut habet commune axioma; etiam inclinatio generalis & communis præſtantior eſt peculiari & propria. Hoc ſuppoſito, concluſionis probatio facilis eſt.

Quod enim eſt ſecundùm præſtantiorem rei inclinationem, hoc ei propriè & ſimpliciter violentum non eſt; ut conſtat: atqui dum univerſales cauſæ, ob urgentem naturæ neceſſitatem, & bonum commune univerſi, res inferiores movent, hoc eſt ſecundùm præſtantiorem earum inclinationem, nempè ſecundùm ipſarum inclinationem generalem atque communem; ut ex modò dictis patet: ergo &c. Hinc motus, quo aqua, lapides, & alia corpora gravia ſurſum feruntur, ut impediant vacuum, ſimileſque motus, propriè & ſimpliciter violenti non ſunt: quia etſi motus illi ſint contra inclinationem propriam peculiaremque illorum corporum, non ſunt tamen contra inclinationem eorum generalem atque communem.

Quando autem univerſales cauſæ, citra urgentem naturæ neceſſitatem, & ſpecialem boni communis exigentiam, res inferiores, contra proprias earum inclinationes, movent, vel aliquos in eis producunt effectus, ipſis tunc violentiam inferunt. Hinc calor ſolis impreſſus capiti hominis, quod lædit, vel herbis, quas arefacit, violentus eſt.

Dicendum eſt tertiò: quando Deus, ut cauſa univerſaliſſima, ob urgentem naturæ neceſſitatem, & bonum commune univerſi, res inferiores, contra proprias ipſarum inclinationes, immediatè per ſeipſum movet, nullam eis violentiam infert. Hæc concluſio ſequitur ex dictis, eſtque diſerta Auguſtini doctrina li. 26. contra Fauſtum

ſtum c. 3. ubi ſic fatur: *Illud eſt cuilibet rei naturale, quod fecerit ille, à quo omnis motus, numerus, & ordo naturæ; Deus enim creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit.* Quo etiam modo loquitur Angelicus Doctor 1. P. qu. 105. ar. 3. & 3. contra Gent. cap. 100.

Hanc ob cauſam, violentum non fuit Soli, quòd ad vocem Joſue, curſum retinuerit ſuum: aut quòd fuerit retrogreſſus ad imperium Iſajæ Prophetæ, Ezechiæ Regis tempore. Nec pariter aquis violentum fuit, quòd muri inſtar ſteterint, filiis Iſrael mare rubrum tranſeuntibus: neque Jordani, quòd converſus fuerit retrorſum ad fontes ſuos: quia hæc omnia operabatur Deus, ut cauſa univerſaliſſima, & ſupremus naturæ Dominus, ob attributorum ſuorum, & præſertim potentiæ ſuæ, manifeſtationem, quæ eſt commune & excellens totius univerſi bonum.

Dixi verò, quòd *Deus rebus inferioribus violentiam non inferat, dum eas contra proprias ipſarum inclinationes immediatè per ſeipſum movet; quia ſi concurrat cum cauſis ſecundis, rebus violentiam inferre poteſt*; ſic v. g. concurrendo cum manu, vim infert lapidi, ſurſum eum pellendo.

Ratio eſt, quòd dum Deus cum cauſis ſecundis agit, ipſis ſe accommodat, & veluti earum conditionem induit; ideòque quando cauſæ ſecundæ ſunt ſibi mutuò contrariæ & violentæ, Deus concurrendo cum una, violentiam infert alteri: at dum Deus immediatè per ſeipſum agit, agit modo ſuo, hoc eſt, ut ſupremus naturæ Dominus, cui omnia ſubduntur, & ſponte ſua obediunt.

Dicendum eſt quartò: ſi Deus agat, ut agens particulare, violentiam inferre poteſt creaturæ.

Prob. concluſio & explanatur. Poteſt Deus duobus modis agere in creaturis. Primò, ut cauſa univerſaliſſima, & ſupremus naturæ moderator, creaturarũ inclinationes, quas in manu habet, interiùs flectẽdo, & ad quodcumq; voluerit convertendo, etiam ad id, quod contrariũ videtur & vio-

lentum; & dum ſic Deus in creaturis operatur, nullam eis infert violentiam.

Secundò, poteſt Deus in creaturis operari, ut agens particulare, imprimendo motum inclinationi creaturæ contrarium, & inclinationem interiùs non flectendo, ſed potiùs in ſua repugnantia conſervando, ſimulque cum creatura adnitendum & expellendum illum motum contrarium concurrendo; & dum Deus ita cum creaturis agit, infert eis violentiam; cùm enim creaturæ tunc repugnent, violentiam patiuntur; hoc modo Deus violentiam infert dæmonibus & damnatis, quos torquet. Sed de violentia fuſiùs alibi dicemus.

Articulus Tertius.

De Arte.

§. I.

Poſſitne ars naturæ opera efficere?

ARs dupliciter ſolet à Philoſophis accipi. Primò, pro habitu in mente artificis exiſtente. Secundò, pro artificiali forma, v. g. pro forma ſtatuæ. Et de arte utroque modo uſurpata quæſtio eſt, poſſitne naturæ opera efficere, & quo pacto?

Dico primò: ars ſumpta pro artificiali forma, non eſt cauſa efficiens eorum motuum naturalium, qui in rebus artificialibus cernuntur. Ita communiter Philoſophi.

Prob. ratione, qua utitur Angelicus Doctor opuſc. 34. Artificialis forma, vel eſt figura, ut forma ſtatuæ hominis; vel eſt compoſitio quædam, ut forma unguenti; vel artificioſus ordo, ut horologii forma: atqui neque figura, neque compoſitio, neque ordo, poteſt eſſe motus naturalis efficiens cauſa: ergo &c. Maj. clara eſt; neque

enim

enim præter illa tria aliquid concipi potest, in quo consistat artificialis forma. Prob. verò min. & in primis figura nequit esse naturalis motus efficiens causa, quia figura nihil est aliud, præter *dispositionem partium quantitatis*, ut ex dictis in Logica patet; quantitas autem omnis activitatis & efficientiæ expers est, estque duntaxat principium passivum, seu principium proximum corporeorum accidentium receptivum. Præterea compositio in artificialibus, v.g. in unguentis, potest quidem esse ad operationes aut ad motus naturales, v.g. ad productionem sanitatis, conditio, vel dispositio quædam; at nequaquam est hujusmodi operationum efficiens causa. Et idem dicendum est de ordine in artefactis, v. g. in horologiis.

Objicies: Dedali statuæ (sicut Aristoteles 1. Politico. cap. 3. & 1. de anima cap. 3. textu 44. & Plato in Menone ajunt) huc illuc sponte discurrebant. Item legimus apud Philostratum in Appollonii Tyanei vita, tripodes quosdam aureos in Hiarchæ Gymnosophistæ convivio se ipsos motasse, & aureos pincernas convivis operam suam præstitisse. Insuper (teste Favorino apud Gellium lib. 10. Noctium Atticarum cap. 12.) Archytas columbam ligneam confecit, ponderibus atque aura intùs inclusa ita libratam, ut aere suspensa volitaret. Denique notum est, Archimedem sphæram vitream fecisse, ubi Astrorum ortus & obitus, defectus Solis ac Lunæ, & tandem omnium celestium sphærarum syderumque conversiones videbantur: atqui omnium illorum naturalium motuum efficiens causa, alia non fuit, præter artificialem formam in hujusmodi artefactis existentem: ergo &c.

Respondeo negando min. falsum est enim, statuas, aliaque id genus artefacta, moveri à suis artificialibus formis; ab his quippe formis non moventur, sed à natura, compositis intùs, latenti artificio, machinulis, argento vivo, aliisve

ejuſmodi, quæ motum illum efficiunt; ſicut videmus in horologiis, quæ libratis certa ratione ponderibus cientur.

Dico ſecundò: ars ſumpta pro habitu in mente artificis exiſtente, naturæ opera immediatè, ſeu propria vi, efficere nequit. Ita communiter Philoſophi.

Prob. 1. inductione facta in omnibus habitibus, qui artes nuncupantur; etſi enim habitus illi quædam efficiant naturæ opera, non tamen immediatè & propria vi, ſed adhibita aliqua naturali virtute: ſic ars medica ægris quidem corporibus ſanitatem reddit, ſed mediante nativa herbarum virtute; & ita de aliis.

Prob. 2. Si ars immediatè & propria virtute efficeret opera naturæ; vel ut cauſa principalis, vel ut inſtrumentalis cauſa? atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Ma. clara eſt: cauſa etenim efficiens adæquatè in principalem, & inſtrumentalem, dividitur. Prob. min. & primò nequit ars immediatè & propria virtute opera naturæ efficere, ut cauſa principalis: omnis quippe cauſa principalis, vel eſt univoca, vel æquivoca; non poteſt autem ars immediatè & propria virtute efficere opus naturæ, ut cauſa principalis univoca; neceſsè enim eſt, ut principalis cauſa univoca, & effectus ab ea productus, ſint ejuſdem ordinis ac ſpeciei; ars autem, & opus naturæ, ſive effectus naturalis, non ſunt ejuſdem ordinis & ſpeciei; cùm *ars* & *natura* conſtituant ordines planè diverſos: neque etiam poteſt *ars* immediatè & propria virtute opus *naturæ* producere, ut cauſa principalis æquivoca; nam ut infrà conſtabit, cauſa principalis æquivoca debet eſſe effectu perfectior, & eminentior; *ars* verò non eſt opere vel effectu naturali perfectior ac eminentior, ſed potiùs ipſo longè imperfectior & inferior; ut patet.

Denique nequit *ars* immediatè & virtute propria *naturæ* opus conficere, ut cauſa inſtrumentalis,

, sive ut instrumentum *naturæ*; etenim princi-
lis causa & ejus instrumentum esse debent
ussdem ordinis: unde quemadmodum quan-
o causa principalis est ordinis supernatura-
s, ejus instrumentum sit ordinis supernatu-
alis necesse est; sic etiam est necesse, ut
um principalis causa est ipsa *natura*, ejus
nstrumentum sit ordinis naturalis, non au-
tem artificialis; proindèque *ars* esse non po-
est *naturæ* instrumentum, quod opus *naturæ*
mmediatè possit efficere.

Objicies: *ars* producere potest effectus, ad quos natura non pertingit: ergo à fortiori eos potest producere effectus, qui *naturæ* vires non superant, quique opera *naturæ*, aut effectus naturales, appellantur. Prob. ant. exemplo annulorum & imaginum astronomicarum, id est, quæ certo astrorum situ & influxu compinguntur; quarum vi multa supra usitatum cursum *naturæ* effici, tradunt authores: ut Porphyrius referente D. Augustino *lib.* 10. *de* civit. cap. 11. Plato in 2. *Dialogo* de justo, & alii: ergo *ars* astronomica producere potest effectus supra usitatum cursum *naturæ*, & ad quos *natura* non pertingit.

Respondeo negando annulos & imagines astronomicas ullam ab *arte* aut ab astris ad tales effectus vim habere; ut ostendit Angelicus Doctor 2. 2. q. 96. ar. 2. unde quæ de hujusmodi rebus circumferuntur, vel ad fabulam pertinent, vel ad dæmonum præstigias.

Dico tertiò: *quamvis ars naturæ* opera immediatè vi sua efficere non valeat; attamen aliena vi, id est, applicando naturalia activa passivis, potest *ars* aliqua *naturæ* opera efficere. Hoc patet in *arte* medica, quæ nativa herbarum virtute ægris corporibus sanitatem reddit; & in pluribus aliis *artibus*, quæ adhibito igne, aliisque ejusmodi

naturalibus cauſis, varios producunt naturales effectus. Qua etiam ratione, dæmones diverſas ſubſtantiales formas, etiam animantium, imperfectorum tamen, in materiam inferunt, & viva edunt animantia; ſic enim dæmonum ope, Magi Pharaonis *Exodi* 7. ſerpentes exhibuere, non adumbratos, ſed veros, ut ſentiunt Auguſtinus lib. 3. de Trin. cap. 7. Origenes Homil. 13. in Marcum, & D. Thomas q. 6. de porent. art. 5.

Hinc colliges, quòd cùm malefici incantant ſerpentes, feras detinent, homines à ſtatu mentis dejiciunt, & turpi amore irretiunt, aliaque hujuſmodi complura efficiunt; ea non poſſe à characteribus & figuris, quibus ad id utuntur, proficiſci; ſed præſtari dæmonum induſtria, qui ad ſigna illa, expreſſo vel tacito fœdere, accurrunt, ut hominum mentes ludificent, & ſuperſtitione imbutas à veri Numinis cultu avocent.

Colliges quoque, artificio naturalis magiæ occultas naturalium cauſarum vires inter ſe copulantis, multa abſque interventu dæmonum effici; quæ licèt admirationem excitent, quòd ſupra *naturæ* facultatem fieri videantur, revera tamen naturales habent cauſas.

Ejuſmodi eſt, videri extendi per triclinium vitem, apparere ſubitò convivas omnes truncos, aut aſininis capitibus, & alia; quibus etiam ſimilia non pauca circumforanei ludificatores aſpectui exhibent, arte exercitatiſſima, quæ celeri motu atque agitatione defixum in res obtutum fruſtratur.

§. II.

§. II.

An chymicæ artis industria verum fiat aurum?

DIco quartò: Verum aurum *chimicæ artis* industria naturaliter fieri nequit. Ita Angelicus Doct. in 2. distinct. 7. qu. 3. art. 1. ad 5. ubi hanc conclusionem diserte tradit. Idem docent Averroes, Avicenna, & alii Philosophi communiter; contra B. Albertum magnum, Henricum Gandavensem, Mirandulanum, & alios, è junioribus Philosophis non paucos.

Prob. ratione, qua utitur D. Thomas loco allato: Verum aurum calore Solis procreatur, ex minera terræ sinu inclusa; ut experientia constat: ergo cùm Chymici non utantur calore solari, sed igneo; neque adhibeant mineram, sed sulphur, *argentum vivum*, & *hujusmodi*, nequeunt naturaliter verum producere aurum.

Respondent adversarii, posse hominem substituere calorem ignis, qui promptior est & ardentior, quàm solaris.

Sed contra sic arguitur: esto igneus calor possit minùs præcipuos caloris solaris effectus præstare, nequit tamen præstantissima ejus opera efficere, cujusmodi est veri auri confectio; ad hoc quippe necesse foret, ut igneus calor eminenter calorem solarem contineret; quod dici non potest: quando etenim unum eminenter aliud includit, est eo superius & eminentius; calor autem igneus non est calore solari superior & eminentior, ut patet.

Unde quemadmodùm licèt calor ignis sit calore cordis & jecoris promptior & ardentior, nequit tamen igneus calor sanguinem & carnem producere; sed hi effectus à solo calore cordis & jecoris proficiscuntur: sic etiam, esto ignis calor sit calore solis promptior & ardentior; propterea ta-

BIBLIOTECA D. F. MONTEFUSCO (AV)

tamen verum aurum non poteſt efficere, ſed aurum eſt dnntaxat caloris ſolaris effectus.

Probari etiam poſſet concluſio experientia: longa enim experientia compertum eſt, *chymicæ artis* profeſſores, cùm magnis impenſis, & pertinaci ſtudio, pro vero auro conficiendo defudarint, non niſi fucatum extuliſſe; quod Eccleſia prohibet pro vero divendere, ita ut qui divendunt, ad reſtitutionem teneantur: igitur verum aurum *chymicæ artis* induſtria naturaliter fieri nequit.

Objicies 1. celebre D. Thomæ teſtimonium, ſumptum ex 2. 2. qu. 77. art. 2. ad 1. ubi ſic fatur: *Si per alchimiam fieret aurum verum, non eſſet illicitum ipſum pro vero vendere; quia nihil prohibet, artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendum naturales & veros effectus.* Quibus verbis ſentire videtur, verum aurum *chymicæ artis* induſtria naturaliter fieri poſſe.

Reſpondeo D. Thomam eo in loco abſolutè non aſſerere, per *alchimiam* fieri poſſe verum aurum, ipſumque licitè poſſe divendi; ſed ipſum S. Doctorem loqui in ſuppoſitione probabili, quòd nempè ſi per *alchimiam* verum fieret aurum, licitè poſſet vendi; quia aurum illud per applicationem cauſarum naturalium ab *alchimia* confectum, veram auri ſpeciem haberet.

Cæterùm, aurum *chymicæ artis* induſtria factum, non eſſe verum aurum, ſed ſophiſticatum & fucatum, aſſeverat ibidem D. Thomas; imò hanc auri per *alchimiam* confectionem eſſe naturaliter impoſſibilem, efficaci ratione probat in 2. diſt. 7. quæſt. 3. art. 1. ad 3. qua ratione ſuprà uſi ſuimus.

Objicies 2. poteſt igneus calor verum animal procreare, v. g. pullum ex ovo, ut quotidiana conſtat experientia: ergo à fortiori poteſt verum producere metallum, v. g. aurum verum; veri quippe animalis procreatio nobilior eſt productione veri metalli.

Reſ.

Respondeo negando paritatem; potest enim ...eus calor applicare interdum causam natura... ...m procreationis veri animalis, applicando vi... ...licet & excitando vim seminalem generantis, ... g. spiritus seminales ovi ad generationem ...ulli: at chymiæ artifices per calorem igneum ap... ...licare nequaquam possunt causam naturalem ...eri auri productivam, nempè solis calorem, qui ...hymicorum arti & voluntati non subjacet.

Instant aliqui: possunt saltem *chimicæ artis* ...professores auri semina jam calore Solis disposita ...olligere, puta *sulphur* & *mercurium*, eaque vi ...caloris ignei maturare, sicut seminalis virtus la... ...tems in ovo, ejusdem caloris vi maturatur, ap... ...plicatur, & excitatur.

Respondeo negando, posse *artis chimicæ* pro...fessores, veri auri semina vi caloris ignei matu...rare & applicare; etenim veri auri semen, si de...tur, est minera in determinato terræ loco *à natu...ra* progenita, quæ eo simili modo potest ad ignis ...calorem *maturari*, & in verum aurum conver...ti, quo potest è suo ramo decerptum po...mum adhuc acerbum ad culinæ focum matu...rescere.

Objicies tertiò, & ampliùs instabis: calor So...lis, & calor ignis, sunt ejusdem speciei, juxta ...veriorem authorum sententiam: ergo si Solis ca...lor verum producit aurum, idem igneus calor præstare potest; causæ namque ejusdem speciei possunt eosdem producere effectus.

Respondeo distinguendo ant. calor Solis, & calor ignis, sunt in ratione qualitatis, ejusdem speciei, concedo: sunt in ratione virtutis instru...mentariæ, ejusdem speciei, nego; nam virtus instrumentaria sequitur conditionem causæ prin...cipalis, cujus est virtus: ideòque si principales causæ differunt specie, virtutes earum instru...mentariæ specie differant necessè est; constat autem, Solem & ignem specie differre; ac pro...inde perspicuum etiam esse debet, calorem So-

Solis, & calorem ignis, eſſe inſtrumentarias virtutes ſpecie differentes; unde ex eo quòd ſolaris calor, ut virtus inſtrumentaria Solis, verum producat aurum, haud benè infertur, id ipſum præſtare poſſe calorem igneum, ad modum virtutis inſtrumentariæ ignis principaliter operantis: cùm enim Sol ſit cauſa longè ſuperior atque potentior, plures poteſt producere effectus, ad quos ignis, aut igneus calor, pertingere nequit.

Objicies quartò: Angeli cognitione naturali perſpectum habent, quam materiam, quam etiam qualitatum temperationem, veri auri generatio requirat: ergo ſi omnia invicem ritè componant, & tempeſtivè applicent, obſervato etiam ad id aſtrorum influxu, verum aurum proferent.

Reſpondeo negando, Angelos poſſe verum efficere aurum, ſi calore ignis utantur. Quia tamen omnia corpora ſubjacent Angelorum potentiæ, ut docent Theologi, probabile eſt, Angelos uti poſſe Solis calore ad excoquenda & purganda metalla aliquam cum auro ſimilitudinem habentia, atque ad ipſa in verum aurum convertenda. Hoc autem de hominibus dici non poteſt, qui Angelis ſunt potentia longè inferiores: quique in omnia corpora, præſertim ſuperiora (cujuſmodi ſunt Sol, aliæque cœleſtes ſubſtantiæ) dominium non habent.

Objicies quintò: ultimis ſæculis multa reperta ſunt præcedentibus incognita; ſicut *Pixis nautica*, *Typographia*, *ars tormentaria*, &c. quidni ergo ſequentibus ſæculis reperiri poſſit *chryſopeja*, ſive *ars* veri auri confectiva?

Reſpondeo negando paritatem; ut enim experientia compertum eſt, cauſæ naturales effectuum naturalium, qui per *artes* illas fiunt, quantùm ad ſui applicationem ſubjacent *arti*; unde hujuſmodi *artes* naturam juvant, ipſamque ad ſuos effectus producendos applicant; ideòque impoſſibiles non ſunt, ſed potiùs ſummè utiles: at cauſa naturalis, veri auri generativa, nempè ſolaris calor,

sor, nulli subditur *arti*; proindeque *ars* veri auri confectiva naturaliter impossibilis est.

Objicies sextò: verum aurum jam aliquoties à quibusdam factum est, ut patet ex variis historiis fide dignissimis. Nam in primis in thesauro Ducis Etruriæ ostenditur clavus ferreus media sui parte conversus in aurum. Item Arnaldus de Villanova agens cum Raymundo Lullio de *alchymia*, eum convicit experientia, fecitque quasdam virgulas aureas, quæ Summi Pontificis examini subjectæ, communi judicum suffragio probatæ sunt; ablincque Raymundus Lullius hac convictus experientia, *artem chymicam* impensiùs excoluit, & in Arce Londinensi jussu Regis Anglorum verum aurum fecit. Insuper Pharmacopola Tarvisinus coram Senatu Veneto idem præstitit. Mitto (inquit quidam recentior) Alexandrum Sigonium Scotum, Ancelinum Bartium Medicum Cæsareum, Eduardum Chelium Anglum, & innumeros alios.

Respondeo negando, verum aurum fuisse unquam *arte chymica* factum. Ad 1. exemplum de clavo ferreo, qui in thesauro Ducis Etruriæ asservatur, cujus media pars videtur in aurum conversa; dicendum est, vel non esse reipsa verum aurum, sed fucatum aut falsum; cujus tamen falsitas difficilimè, & non nisi à peritis admodùm, advertitur: vel si media illa pars clavi verum est aurum, dicendum est, non esse aurum *arte chymica* confectum, per artificiosam nempè ferri conversionem in ipsum; sed esse aurum ex minera à Sole generatum, & ferro additum; cujus tamen junctio adeò ingeniosè facta est, ut vix sentiatur.

Ad aliud exemplum de virgulis aureis ab Arnaldo de Villanova confectis, dicendum est pariter, vel id non fuisse verum aurum, sed fucatum & falsum, falsitate ingeniosè occultata; vel si verum fuit aurum, dicendum est, non fuisse aurum *arte chymica* productum, sed aurum ex minera

nera à Sole generatum, quod Arnaldus aſſeruit, eſſe per *chymiam* factum; potuit enim *ſulphur*, *argentum vivum*, & alia ejuſmodi in fuſorio vaſculo poſita ſubripere, & ipſis verum aurum ſubrogare; ac tandem in virgulas fuſum, omnibus, quaſi *chymiæ* induſtria confectum, oſtendere. Ad alia exempla eodem modo reſpondendum eſt.

QUÆSTIO SEXTA.

De Cauſis in communi.

SEquitur, ut de cauſis diſſeramus, quarum tractatio præcipui momenti in Philoſophia naturali eſt; quia cauſæ ſunt quaſi fontes aliqui perennes ac redundantes, unde fluunt omnia quæcumque *natura* capit. Hoc igitur loco de cauſis, primò quidem univerſim, deinde ſigillatim, agendum eſt.

ARTICULUS UNICUS.

Quæ de cauſis in communi dici ſolent, breviter explanantur.

§. I.

Quid & quotuplex ſit cauſa?

CAuſæ nomen multifariam uſurpatur. Nonnumquam enim ampliſſimè, & more populari accipitur; nempè dum ita ſumitur, ut cum principio reciprocetur; quo pacto *cauſæ* nomen accepit Ariſtoteles lib. 12. Metaphyſ. cap. 2. textu 12. cùm privationem vocavit *cauſam*; quo etiam modo

modo Doctores Græci Patrem æternum appellant uſu *cauſam*. Interdum *cauſa* ſtrictiſſimè accipitur, cùm ſpectatur, prout habet ordinem ad effectum; & effectus, quatenùs ab *efficiendo* dicitur; qua ratione ſumpta, ſolam efficientem *cauſam* complectitur. Et in hoc ſenſu ait D. Auſt. lib. 83. quæſt. q. 28. *Omnem cauſam eſſe efficientem*. Demùm ſumitur *cauſa* medio quodam modo, prout omnia ac ſola quatuor vulgata *cauſarum* genera comprehendit.

Cauſa hoc ultimo modo uſurpata definiri ſolet: *Principium poſitivè ac per ſe influens in aliud*. *Principium*, locum habet generis, in quo cum privatione, & multis aliis, convenit. Additur: *Poſitivè ac per ſe influens*: ut privatio, & *cauſa* per accidens (quæ propriè non eſt cauſa, niſi nomine tenùs) occaſio quoque, & conditio, ſine qua non fit effectus, excludantur. Unde dum ignis ex ligno generatur, privatio formæ ignis, quæ in ligno anteceſſit, *principium* quidem *hujus* generationis vulgò *habetur*; *cauſæ* tamen rationem non habet: prætereà dum muſicus ædificat, non eſt per ſe ac propriè *cauſa domus*; ſic etiam admotio ignis ad lignum, conditio quidem eſt ad comburendum, at combuſtionis *cauſa* non eſt: ſic pariter quòd arca recluſa, ſervus aurum ſuſtulerit, hujus facti occaſio quidem fuit arcæ recluſio, at propriè *cauſa* non extitit.

Denique in definitione *cauſæ* hæc verba adjiciuntur: *in aliud*. Quorum ſenſus eſt, ad rationem *cauſæ* eſſe neceſsè, ut influat in effectum realiter à ſe in eſſentia aut natura diverſum. Circa quod notat ſubtiliter D. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. ad 4. hoc eſſe diſcrimen inter *genus maſculinum*, & *neutrum*, quòd *genus neutrum* omnibus commune eſt, *maſculinum* verò *genus* quibuſdam determinatè convenit, & non aliis; unde rectè quidem dicitur de ligno, quòd ſit *hoc*, de Petro, quòd ſit *hoc*, de Maria, quòd ſit *hoc*: at de Petro dici quidem poteſt, quòd ſit

hic,

hic, non tamen de ligno vel de Maria : ideòque ad ſignificandam diſtinctionem in *natura*, quæ multis communis eſt, aptum eſt *genus neutrum*; ad exprimendam verò diſtinctionem in ſuppoſito, quod determinatius eſt, quàm *natura*, aptè admodum adhibetur *maſculinum genus*. Hinc eſt, quòd Pater Æternus dici non poteſt *aliud*, ſed *alius* tantùm, à filio; quoniam ab eo, non in *natura*, ſed in ſolo diſtinguitur *ſuppoſito*; & idcircò ipſe Æternus Pater eſt quidem principium filii, non verò *cauſa*; quia dum generat filium, in *alium* quidem influit, non tamen in *aliud*.

Præterea D. Thomas 2. Phyſic. lect. 10. Boëtius in Topicis, aliique Peripatici hanc cauſæ definitionem crebrò uſurpant : *Cauſa eſt id, ad quod aliud ſequitur*. Intelligunt autem *unum ſequi aliud* conſecutione influxus ; ita ut effectus *eſſe* accipiat ex influxu *cauſæ*, quam ſequitur; non autem ſola conſecutione ordinis, qua dies auroram, adoleſcentia juventutem, & mors vitam conſequitur. Alii cum Avicenna 6. Metaph. c. 1. *cauſam* ita ſic definiunt: *Cauſa eſt id, quod tribuit eſſe rei*. Sunt etiam, qui *cauſam* ita definiant: *Cauſa eſt id, à quo aliud per ſe pendet*. Alii alias cauſæ definitiones tradunt ; ſed eæ, quas attulimus, ſunt celebriores.

De cauſarum numero non inter ſe conſentiunt Philoſophi. Sunt qui unam duntaxat, nimirum effectricem, propriè *cauſam* dici poſſe contendunt. Alii materiam & formam ex *albo cauſarum* expungunt. Peripatetici quatuor ex Ariſtotele *cauſas* enumerant; nimirum efficientem, finalem, materialem, & formalem. Platonici tandem quintam adjungunt *cauſam*, nempè exemplarem.

Cum Peripateticis dico : quatuor ſunt *cauſarum* genera, ſcilicet *cauſa* efficiens, *cauſa* finalis, *cauſa* materialis, & *cauſa* formalis. Ita Ariſtoteles 2. phyſic. cap. 3. & 7. Quem quadripartitum

cau-

De Causis

causarum numerus [illegible]
sunt causarum genera [illegible]
sunt in effectum; [illegible]
fluit in effectum [illegible] numerus
ex ipso influendi [illegible] quatuor sunt in-
fluendi in effectum modi; ergo &c. Prob. min. vel etenim *causa* in effectum influit, ut id à quo fit, & est *causa efficiens*; vel ut id cujus gratia fit, tumque est *finalis causa*; vel ut id ex quo fit, estque materia, seu *causa* materialis; vel denique ut id quo fit aut constituitur, & est forma, sive formalis *causa*. Præter autem istos quatuor influendi modos, nullus excogitari potest, qui ad aliquem ex illis non reducatur; ideòque admittenda sunt quatuor tantùm *causarum* genera, ad quæ omnes *causæ* revocentur; videlicet *causa* efficiens, *causa* finalis, *causa* materialis, & *causa* formalis.

Causa efficiens distribuitur in *primam*, quæ à nulla alia dependet, & est Deus; & in *secundam*, quæ pendet à *prima*, quales sunt omnes *causæ* efficientes creatæ. Insuper *causa* efficiens, alia est instrumentalis, quæ duntaxat ex virtute, motione, & elevatione *causæ* principalis, ejus producit effectum; ut est malleus, quo artifex horologium conficit: alia est principalis, quæ propria virtute agit, & à qua movetur ac elevatur instrumentalis *causa*; ut est artifex.

Dividitur verò finalis *causa* in finem proximum, qui nempè voluntatem proximè ad sui amorem movet, ut sunt omnia bona creata; & in finem ultimum, in quo terminantur omnes voluntatis motus, ut est Deus.

Alius etiam est finis *qui*, aut *cujus gratia*, qui nempè primariò atque ratione sui amatur, & cujus gratia amantur & eliguntur media; ut est *sanitas* ab infirmo recuperanda: alius est finis *cui*, cui nimirum finis *qui* desideratur; ut est infirmus, cui Medicus desiderat *sanitatem*.

Causa materialis in subjectivam, & dispositivam

vam ſecatur. *Cauſa* materialis ſubjectiva eſt ſubjectum, in quo recipitur forma. *Cauſa* materialis diſpoſitiva nihil eſt aliud, quàm ad formæ receptionem diſpoſitio. *Cauſa* materialis ſubjectiva, ſeu materia, duplex eſt; alia *prima*, in qua ſubſtantiales formæ excipiuntur; alia *ſecunda*, quæ eſt totum compoſitum ſubſtantiale accidentalium formarum receptivum.

Denique cauſam formalem in intrinſecam & extrinſecam Philoſophi partiuntur. *Cauſa* formalis intrinſeca, ea eſt, quæ materiam intrinſecè afficit, & cum ea totum compoſitum in aliqua determinata ſpecie intrinſecè conſtituit; ut eſt anima rationalis. *Cauſa* formalis extrinſeca, eſt id, quod extrinſecè rem ſpecificat (proprium namque munus formæ eſt, rem ſpecificare) unde quod intrinſecè ſpecificat, forma eſt intrinſeca; quod autem extrinſecè ſpecificat, forma extrinſeca debet appellari: ejuſmodi eſt objectum formale cujuslibet potentiæ & habitus, quælibet enim potentia, & quilibet habitus, per ordinem ad objectum formale ſpecificatur: hujuſmodi etiam eſt *idea* ſeu *exemplar* in mente artificis exiſtens; ad ejus quippe imitationem artefactum in certa ac determinata ſpecie, v.g. domus, vel turris, ab artifice producitur.

§. II.

Quid de prioritate ac nobilitate cauſarum per comparationem ad effectus ſit dicendum?

DIcendum eſt primò, omnem *cauſam* eſſe ſuo effectu priorem; non quidem ſemper prioritate temporis aut durationis, ſed prioritate naturæ. Quòd in primis *cauſa* omnis non ſit prioritate temporis vel durationis ſuo effectu prior, patet in Sole, cujus effectus lux eſt; conſtat autem

tem

tem Solem nunquam fuiſſe prioritate temporis vel durationis luce priorem; imò verò lux ſimul cum Sole à Deo producta eſt. Quòd verò omnis *cauſa* ſit prioritate naturæ ſuo effectu prior; ita declaratur: Tunc unum eſt *prius* alio prioritate naturæ, quando iſtud ab illo *eſſe* accipit, & ex ſua natura ab ipſo dependet: atqui omnis effectus *eſſe* accipit à *cauſa*, & ex ſua natura ab ipſa dependet; ut perſpicuum eſt: ergo &c.

Objicies: unum correlativum non eſt alio prius natura, quin potiùs enim correlativa ſunt ſimul natura: atqui *cauſa* & *effectus* ſunt duo correlativa; ut certum eſt: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. Unum correlativum non eſt alio prius natura &c. ſi in correlativis conſiderentur reciprocæ relationes, concedo; revera namque relationes mutuæ & reciprocæ ſunt ſimul natura: *ſi in correlativis ſpectentur entitates, quæ ſunt illarum relationum fundamenta, nego; contingere enim poteſt, ut entitas unius correlativi habeat eſſe* ab entitate alterius, & ex ſua natura ab ipſa dependeat; quod fieri nequit, niſi una ex iſtis entitatibus ſit alia prior prioritate naturæ. Ita autem in *cauſa* & in *effectu* ſeſe res habet.

Dicendum eſt ſecundò, *cauſam* ut *cauſam* eſſe ſemper ſuo *effectu* nobiliorem. Ratio clara eſt: *nobilius etenim eſt dare, quàm accipere*; juxta vulgatum axioma: atqui *cauſa* ut *cauſa* dat ſemper eſſe ſuo *effectui*; ut patet: ergo *cauſa* ut *cauſa* eſt ſemper ſuo *effectu* nobilior.

Dicendum eſt tertiò, *cauſas* intrinſecas, materialem nempè & formalem, *ſeorſum* & *diviſivè* ſumptas, eſſe ſuo *effectu*, id eſt, toto compoſito, perfectionis gradu inferiores. Ratio eſt manifeſta: eſt quippe evidenti lumine naturali notum, partem eſſe perfectione inferiorem toto: atqui *cauſæ* intrinſecæ; nimirum *cauſa* materialis, & *cauſa* formalis; ſive materia prima, & ſubſtantialis

totali & adæquata, etiam eſſentiali præſtantia, nego; aſinus quippe, quo perfectior eſt mulus perfectione eſſentiali, eſt *cauſa* principalis duntaxat partialis & inadæquata muli, cùm aſinus non generet mulum, niſi unà cum equa; ambobus verò per modum unius *cauſæ* principalis totalis & adæquatè *collectivè* ſumptis, mulus non eſt præſtantior. Quo pacto autem equa mater activè & efficienter concurrat ad generationem muli, ſuo loco dicetur.

Objicies 2. aſtra ſunt *cauſæ* principales æquivocæ omnium animalium, quæ hic generantur; & tamen aſtra non ſunt animalibus, & præſertim hominibus, excellentiora: communiter etiam aſſeritur, Solem ſe ſolo generare ſerpentes, ranas, muſcas, & hujuſmodi viventia, quibus eſt imperfectior, cùm Sol ſit tantùm in genere *corporis*, quod genere *viventis* ignobilius eſt: ergo *cauſa* principalis æquivoca non eſt ſemper *effectu* nobilior.

Reſpondeo ex D. Thoma 1. p. q. 70. a. 3. ad 3. negando, aſtra aliaque corpora cœleſtia eſſe principales animalium aliorumque viventium *cauſas*; etſi enim cœleſtia corpora ſint principales animalium *cauſæ*, ſi animalia ſpectentur, prout ſunt inferiora corpora; non tamen ſi ipſa animalia conſiderentur, prout ſunt viventia: ad animalium quippe ita ſumptorum generationem, cœli & aſtra non concurrunt, niſi ut Dei, vel etiam Angeli motoris, inſtrumenta; ideòque mirum non eſt, ſi cœli & aſtra ſint animalibus (prout ipſa animalia ſunt viventia) planè imperfectiora.

Objicies 3. ſi quis uteretur malleo argenteo ad conficiendum ferreum clavum, malleus argenteus eſſet duntaxat inſtrumentalis *cauſa* clavi ferrei; & tamen eſſet ipſo præſtantior: ergo *cauſa* inſtrumentalis non eſt ſemper *effectu* inferior, ſed eſt interdum eo excellentior.

Reſpondeo diſtinguendo; concedo quippe, mal-

malleum argenteum eſſe clavo ferr
entis præſtantiorem, quatenùs pre
bet entitatem; ſed nego, malleu
eſſe in ratione *cauſæ* ferreo clavo
cauſa enim, quæ propria virtute ne
producere, non eſt eo perfectior, u
leus autem argenteus non poteſt pr
clavum ferreum producere, ſed ſe
artificis illum applicantis, mover
vantis.

QUÆSTIO SEPTI

De cauſa materiali, & cauſa f

SUmi poſſunt materia
duobus modis. Prir
partes entis naturalis
ci compoſiti. Secunc
cauſæ peculiari quadam
ſeipſas, & in totum compoſitum
De materia & forma primo mo
egimus fusè quæſt. 2. & 3. De ip
cundo modo acceptis pauca ſupe
da, quæ unico articulo complect

Articulus Unicus.

Quæ ad causam materialem, & causam formalem, pertinent, breviter explicantur.

§. I.

Qua ratione causent materia, & forma: & qui sint earum effectus?

Dicendum est primò, materiam & formam, immediatè per seipsas esse in actu primo *causativas*.

Prob. materiam esse in actu primo *causativam*, nihil est aliud, quàm eam esse formæ receptivam; formam verò esse *causativam* in actu primo, nihil aliud est, quàm illam esse materiæ informativam: atqui materia est immediatè per seipsam, seu per suam essentiam, formæ receptiva; & forma pariter est immediatè per seipsam, sive per essentiam suam, materiæ informativa; cùm tota materiæ essentia in hoc sit collocata, ut sit formæ receptiva; pariterque formæ essentia in hoc consistat, ut sit materiæ informativa: ergo &c. Ex quo colliges, materiam, & formam, non indigere aliquo sibi addito, quo *causativæ* in actu primo constituantur.

Dicendum est secundò, *causalitatem* materiæ nihil aliud esse præter actualem ipsius cum forma unionem, qua actu eam recipit ac sustentat, seque illi, totique composito, tribuit.

Prob. nomine *causalitatis* id intelligunt Philosophi, quo *causa* est in actu secundo *causans*: atqui materia est in actu secundo *causans*, per actualem ipsius cum forma unionem, qua actu eam recipit ac sustentat, seque illi, & toti composito, tribuit; neque aliter concipi potest materia actu *causans*: ergo &c.

Dicendum est tertiò, *causalitatem* formæ similiter

materia unionem; q
que illi, ac toti composito, ex
sic actu unita materiæ; & eam informa
illi, ac toti composito, exhibens, est in actu
cundo *causans*. Ex quibus inferes, quòd quia
ut alibi ostensum est, unio materiæ cum forma,
& formæ cum materia, non est aliquid realiter,
etiam præcisè modaliter, ab eis distinctum; ita
neque mutua ipsarum *causalitas*: sed hæc *causa-*
litas est reciproca entitatum earum exhibitio,
qua sese, & sibi mutuò, & toti composito, im-
pertiuntur.

Dicendum est quartò, duos præsertim esse materiæ *effectus*, formam nempè, & totum compositum. Forma est *effectus quo*, & proximus, quem nempè proximè causat, & quo totum compositum constituitur. Compositum verò est *effectus qui*, præcipuus ac ultimus; qui nimirum præcipuè à materia intenditur, & ad quem ultimò tendit.

Duobus autem modis potest materia formam *causare*; *uno* modo *eductivè* in ipsam influendo, quo pacto causare solet materiales formas; alio modo *purè subjectivè* eam recipiendo, qua ratione anima rationalis *effectus* est materiæ. Materia verò causat totum, ipsum intrinsecè componendo.

Dicendum est quintò, duos pariter esse *effectus* formæ, materiam videlicet, & totum compositum. Materia est *effectus quo* ac proximus, quem scilicet proximè causat, & quo totum componitur. Totum autem compositum est *effectus qui* atque ultimus, qui nempè est præcipuus & *ultimus* formæ terminus. Forma materiam causat, ipsam informando seu actuando. Causat verò totum, ipsum intrinsecè ac essentialiter constituendo.

Ex quibus habes, in quo sensu, materia & forma appellentur intrinsecæ *causæ*. Sunt enim in primis *causæ* intrinsecæ, si ad se mutuò referantur;

quia entitates ſuas intrinſecas ſibi mutuò exhibent. Sunt verò totius compoſiti phyſici intrinſecæ cauſæ, quia ſunt partes intrinſecæ ac eſſentiales ipſum componentes.

§. II.

Quid de cauſa formali extrinſeca, ſeu exemplari, ſit ſentiendum?

DIcendum eſt primò, *ideam* ſeu exemplarrité ſic definiri: *Idea eſt forma, quam artifex in confectione operis imitatur*. Quæ *ideæ* definitio colligitur ex D. Auguſtino lib. 12. de civit. Dei cap. 25. & ex D. Thoma quæſt. 3. de verit. ar. 1. *Forma*, in ea definitione ſubit locum generis, in quo *idea* cum forma naturali convenit. Aliæ verò particulæ ejuſdem definitionis locum habent differentiæ, qua *idea* à forma naturali diſcriminatur; forma namque naturalis, ea eſt, ex qua totum intrinſecè conſtituitur; *idea* autem eſt forma extrinſeca, quam artifex imitatur.

Dicendum eſt ſecundò, *ideam* in artifice admittendam eſſe. In primis enim, niſi artifex in confectione operis per *ideam* duceretur, cæco planè ageret modo. Deinde, artifex de ſe indifferens eſt ad plura operum genera; ut ad navim, domum, turrim, &c. quòd ergo ad confectionem navis, v. gr. potiùs quàm ad conſtructionem domus, vel turris, determinetur; hoc ab aliquo ſumendum eſt, quod aliud non eſt, præter *ideam*; ita ut idcircò artifex potiùs conficiat navim, quàm conſtruat domum, vel turrim; quia *ideam* navis, potiùs quàm *ideam* domus, vel turris, imitatur.

Quòd ſi alicubi Ariſtoteles rejiciat *ideas*, reſpondet D. Thomas in 1. diſt. 36. q. 2. art. 1. Ariſtotelem duntaxat *ideas* Platonis rejicere, quæ nempè eſſent ſubſtantiæ extra res ipſas, & intel-

lc-

...um. Exemplar externum est ima-
...am artifex sibi aliquando propo-
... Quod quidem exemplar ex na-
...arium non est, sed per accidens
...tur; maximè à tironibus, qui ex-
...xternorum adjutorio indigent, ut
...um conficiendorum exemplaria va-
...re. Exemplar verò internum est
interna, quam artifex format in
quam respiciens operatur, & exte-
...rit opus. Et hoc exemplar solet *ideæ*
...incupari.

...um est tertiò, *ideam* non esse speciem
...m, sed expressam. Supponit conclusio
...anima, esse in intellectu duo specierum
Alia est species impressa, alia expressa.
...mpressa est imago quædam intelligibilis,
...bjectum imprimit menti. Species verò
...est imago altera, quam ex priori expri-
...llectus, in qua objectum externum con-
...uit.

...rgo non est species impressa, sed expres-
...a *idea* est id, quod artifex intuetur in
... ut ipsum imitetur, quod proinde intel-
...at cognoscit; ut autem loco citato dicetur,
...es impressa non est id, quod intelligitur,
...d, quo intellectus intelligit; species verò
...ressa est objectum internum intra intellectum
...ens, quod ipse intelligit aut cognoscit, &
...uo externum objectum intuetur. *Idea* igitur
...pecies expressa, non quidem objectum præ-
...cognoscendum exprimens, sed opus ad extra
...iendum repræsentans.

Dicendum est quartò, *ideam* magis propriè
...d genus *causæ* formalis pertinere, quàm ad ge-
...nus *causæ* efficientis, vel finalis. Probari pos-
...et primò, ex nominis etymologia: nam quod

quia entitates ſuas intrinſecas ſibi mutuò exhibent. Sunt verò totius compoſiti phyſici intrinſecæ cauſæ, quia ſunt partes intrinſecæ ac eſſentiales ipſum componentes.

§. II.

Quid de cauſa formali extrinſeca, ſeu exemplari, ſit ſentiendum?

DIcendum eſt primò, *ideam* ſeu exemplar ritè ſic definiri: *Idea eſt forma, quam artifex in confectione operis imitatur.* Quæ *ideæ* definitio colligitur ex D. Auguſtino lib. 12. de civit. Dei cap. 25. & ex D. Thoma quæſt. 3. de verit. ar. 1. *Formæ*, in ea definitione ſubit locum generis, in quo *idea* cum forma naturali convenit. Aliæ verò particulæ ejuſdem definitionis locum habent differentiæ, qua *idea* à forma naturali diſcriminatur; forma namque naturalis, ea eſt, ex qua totum intrinſecè conſtituitur; *idea* autem eſt forma extrinſeca, quam artifex imitatur.

Dicendum eſt ſecundò, *ideam* in artifice admittendam eſſe. In primis enim, niſi artifex in confectione operis per *ideam* duceretur, cæco planè ageret modo. Deinde, artifex de ſe indifferens eſt ad plura operum genera; ut ad navim, domum, turrim, &c. quòd ergo ad confectionem *navis*, v. gr. potiùs quàm ad conſtructionem domus, vel turris, determinetur; hoc ab aliquo ſumendum eſt, quod aliud non eſt, præter *ideam*; ita ut idcircò artifex potiùs conficiat navim, quàm conſtruat domum, vel turrim; quia *ideam* navis, potiùs quàm *ideam* domus, vel turris, imitatur.

Quòd ſi alicubi Ariſtoteles rejiciat *ideas*, reſpondet D. Thomas in 1. diſt. 36. q. 2. art. 1. Ariſtotelem duntaxat *ideas* Platonis rejicere, quæ nempè eſſent ſubſtantiæ extra res ipſas, & intelle-

lectum, existentes; quas *ideas* manifestè repugnare, alibi à nobis ostensum est.

Duplex autem est exemplar, unum externum, internum alterum. Exemplar externum est imago exterior, quam artifex sibi aliquando proponit imitandam. Quod quidem exemplar ex natura rei necessarium non est, sed per accidens tantùm adhibetur; maximè à tironibus, qui exemplarium externorum adjutorio indigent, ut interna operum conficiendorum exemplaria valeant efformare. Exemplar verò internum est imago illa interna, quam artifex format in mente, ad quam respiciens operatur, & exterius producit opus. Et hoc exemplar solet *ideæ* nomine nuncupari.

Dicendum est tertiò, *ideam* non esse speciem impressam, sed expressam. Supponit conclusio ex lib. de anima, esse in intellectu duo specierum genera. *Alia est species impressa, alia expressa. Species impressa est imago quædam intelligibilis, quam objectum imprimit menti. Species verò expressa est imago altera, quam ex priori exprimit intellectus, in qua objectum externum contemplatur.*

Idea ergo non est species impressa, sed expressa; quia *idea* est id, quod artifex intuetur in mente, ut ipsum imitetur, quod proinde intelligit aut cognoscit; ut autem loco citato dicetur, species impressa non est id, quod intelligitur, sed id, quo intellectus intelligit; species verò expressa est objectum internum intra intellectum existens, quod ipse intelligit aut cognoscit, & in quo externum objectum intuetur. *Idea* igitur est species expressa, non quidem objectum præcisè cognoscendum exprimens, sed opus ad extra faciendum repræsentans.

Dicendum est quartò, *ideam* magis propriè ad genus *causæ* formalis pertinere, quàm ad genus *causæ* efficientis, vel finalis. Probari possit primò, ex nominis etymologia: nam quod græ-

græcè *idea* dicitur, latinè *forma* nominatur.

Secundò: munus *cauſæ* formalis propriè convenit *ideæ*; munus verò *cauſæ* efficientis, vel finalis, illi propriè non competit: ergo *idea* magis propriè ad genus *cauſæ* formalis pertinet, quàm ad genus *cauſæ* efficientis, vel finalis. Prob. ant. munus *cauſæ* formalis eſt, determinare rem ad certã ſpeciem; munus autem *cauſæ* efficientis eſt, efficienter in effectum influere; & tamdem munus *cauſæ* finalis eſt, voluntatem ad ſui amorem & conſecutionem allicere ac movere: atqui primum *ideæ* propriè convenit, alia autem duo ei propriè non competunt: ergo &c. Prob. min. & in primis *idea* per paſſivam ſui imitationem propriè determinat artefactum ad certam ſpeciem, verb. grat. ad ſpeciem navis; ex eo quippe, quòd artifex *ideam* navis imitetur, propriè ſequitur, ut artefactum ab eo productum, ſit navis, non verò domus vel turris: *idea* autem efficienter in artefactum propriè non influit, ſed ſolùm ejus confectionem dirigit. Denique quod voluntatem artificis ad ſui amorem & conſecutionem allicit, ac movet ad modum finis, non eſt *idea*; ſed res *ideata*, ſive per *ideam* repræſentata, & ab ipſo artifice exteriùs producenda: qui enim ad alicujus conſecutionem tendit, eo careat neceſsè eſt; artifex verò *ideã* non caret, ſed potiùs eam jam habet.

Objicies primò: *cauſa* formalis ita vocatur quia informat: atqui *idea* non informat opus ab artifice confectum, ſive ipſum intrinſecè non actuat; ſed potiùs eſt quid ei planè extrinſecum: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo mi. atqui *idea* intrinſecè non informat opus ab artifice confectum, ipſum intrinſecè actuando, eo modo, quo forma naturalis materiam primam actuat, concedo: atqui *idea* extrinſecè, & per paſſivam ſui imitationem, non informat opus ab artifice confectum; ita ut artefactum per paſſi-

vam

vam *ideæ* imitationem, in certa ac determinata ſpecie ab artifice non producatur, nego. Unde rectè quidem ſequitur, *ideam* non eſſe *cauſam* formalem intrinſecam; at nequaquam inferri poteſt, illam non eſſe *cauſam* formalem extrinſecam.

Objicies 2. D. Dionyſium 4. & 5. cap. de divin. nomin. & D. Auguſtinum li. 12. de civit. Dei cap. 25. & Theologos ſæpè nuncupare *ideas* divinas, rerum exiſtentium efficientes *cauſas*. Deinde, quod complet *cauſam* efficientem, pertinet ad genus *cauſæ* efficientis: atqui *idea* complet efficientem *cauſam*, nempè artificem, aut artificis mentem: ergo &c.

Ad 1. reſpondeo, *ideas* divinas eſſe *directivè* rerum exiſtentium efficientes *cauſas*, quatenùs dirigunt primam rerum exiſtentium efficientem *cauſam* in earum effectionem; ſed nego, *ideas* eſſe *efficienter* rerum exiſtentium efficientes *cauſas*, ita ut efficientem in illas habeant influxum. Cæterùm, ſi D. Dionyſius, & D. Auguſtinus nonnunquam *ideas* divinas appellant efficientes *cauſas*, non ſemel etiam eas nuncupant formas; ut videre eſt apud D. Dionyſium ca. 5. de divin. nominib. & D. Auguſtinum lib. 83. quæſt. ubi *ideas* divinas, nunc *formas* ſine materia, nunc *formas archetypas & primævas*, vocant.

Ad 2. diſtinguo maj. quod complet *cauſam* efficientem, tamquam comprincipium effectivum, pertinet ad genus *cauſæ* efficientis, concedo: quod complet *cauſam* efficientem, tanquam exemplar operis à *cauſa* efficiente producendi, pertinet ad genus *cauſæ* efficientis, nego: *idea* autem complet efficientem *cauſam*, nempè artificem, aut artificis mentem, non ut comprincipium effectivum, ſed duntaxat ut exemplar objectivum operis ab artifice producendi.

Objicies 3. *idea* eſt finis *ideati*: ergo *idea* ad *cauſam* finalem pertinet. Prob. ant. ut enim docet D. Thomas 3. contra gent. cap. 19. perfectio *idea-*

ideati, & exemplati eſt, ut ſimilitudinem ſuæ *ideæ*, ſuique exemplaris, aſſequatur: ergo *idea* ſive exemplar eſt finis *ideati*, ſeu exemplati. Deinde, artifex intendit actione ſua exteriùs exprimere & veluti parturire ſuam *ideam*: ergo *idea* eſt finis artificis.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. conceſſo ant. nego conſeq. Ad hoc quippe, ut perfectio *ideati*, & exemplati, ſit in eo poſita, ut ſimilitudinem ſuæ *ideæ*, ſuique exemplaris aſſequatur, ſat eſt, ut *idea* ſeu exemplar ſit archetypum, ad cujus imitationem debeat *ideatum*, ſive exemplatum, perfici.

Ad aliud, quod additur, conceſſo ant. diſtinguo conſequens: ergo *idea* ut in *ideato*, exprimenda, vel expreſſa; ſive (quod idem eſt) *ideatum* prout exprimit *ideam*, eſt finis artificis, concedo: ergo *idea* in ſeipſa, eſt finis artificis, nego. Unde ſi alicubi D. Thomas aſſerere videatur, *ideam* eſſe, vel efficientem, vel finalem *cauſam*, hoc in ſenſu valdè improprio intelligendum venit.

Ex dictis inferes, quibus in agentibus *idea* reperiatur; invenitur namque in omnibus & ſolis agentibus intellectualibus, & præſertim in ſupremo omnium rerum opifice, juxta illa Boetii carmina lib. 2. de conſolat. Philoſoph. metro 9.

Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

QUÆ-

QUÆSTIO OC

De causa efficiente.

SEQUITUR, ut de c. paulò uberiùs disser quia inter causas pr tem ordine executio iam præcipuum obti magisque ad effectum concurrit quia graviores circa eam occurr cares.

ARTICULUS PRIM

Quid & quotuplex sit efficiens ca agat principio?

§. I.

Quid & quotuplex sit causa e

DEfinitio est oratio explicans qui ideòque, ut causæ efficientis ta fiat, ejus definitio afferenda est vel similibus verbis effectricem de Philosophus 2. Physic. cap. 3. *Caus principium extrinsecum, à quo prim tus* (id est, productio effectus.) C dicitur *principium*; in quo cum aliis fis. Additur, eam esse *principium* in quo à causa materiali, & causa fo minatur; quia hæ duæ causæ sunt tis naturalis principia.

Præterea asseritur, causam efficien cipium, *à quo incipit motus*; ut à caus

natur; cauſa namque finalis non eſt id *à quo*, ſed *propter quod*, fit motus. Denique à cauſa efficiente *primò incipit motus*, ſive rei productio, non quidem ordine intentionis, (hoc quippe ad cauſam finalem pertinet, quam movens, ſeu effectum producens, primò intendit,) ſed ordine executionis; in ipſa enim executione aut productione rei, cauſa efficiens primò diſponit paratque materiam; materia ſic diſpoſita recipit formam, quæ materiam informat; ac tandem reſultat totum, quod eſt moventis, aut generantis, vel producentis finis. Neceſsè autem non eſt, ut à qualibet efficiente cauſa primò incipiat motus, ſi ad ſuperiorem cauſam efficientem referatur (ſic etenim ſolus Deus eſt, à quo primò incipit motus, quia ipſe ſolus eſt cauſa efficiens ſuprema ac ſimpliciter prima,) ſed duntaxat ſi ad cauſam materialem, cauſam formalem, & cauſam finalem, fiat comparatio.

Dividitur verò efficiens cauſa in cauſam *per ſe*, & cauſam per *accidens*. Cauſa efficiens *per ſe*, ea eſt, quæ *per ſe* ſeu *ex ſe* tendit in effectum, quem producit; ſic muſicus eſt cauſa cantus, & vinitor effodiens terram ad propagandam vitem, eſt cauſa foſſionis terræ, & propagationis vitis. Cauſa autem *per accidens*, illa nuncupatur, à qua *per ſe*, ſive ut tali, non fluit effectus; ſic muſicus ſtatuam efficit; ſic vinitor effodiens terram ad propagandam vitem, theſaurum invenit. Cauſa *per accidens* propriè non eſt cauſa, unde omittenda eſt.

Dividitur cauſa efficiens *per ſe* in proximam, & remotam. Cauſa proxima, illa eſt, quæ proximè aut immediatè influit in effectum; cauſa verò remota eſt, quæ mediatè ſolùm, ſeu alio mediante, ſuum effundit effectum: ſic v. g. ſi Petrus fuſte percutiat Paulum, percuſſio Pauli proximè eſt à fuſte, & remotè à manu Petri fuſtem impellente.

Dividitur ſecundò in principalem, & inſtrumen-

mentalem; quarum definitiones a
art. unico §. 1. Causa autem instru
ve instrumentum, duplex est;
nempè, ut *manus* in homine; &
ut *penicillus* in pictore. Dividitu
principalis in primam, & secund
bus suo loco dictum est, & susiù
tur.

Dividitur præterea principalis cau
salem, seu æquivocam; & particu
univocam. Causa particularis est, qu
tùm speciem effectus producere pote
hominem generat, & leo leonem. C
universalis est, à qua exeunt varia
species; sic à Sole animantia, pla
la, &c. procreantur. Causa unive
appellatur æquivoca, quòd æquivo
ad effectum; id est, quòd compara
sum, diversæ sit speciei; ut patet in S
parationem ad animantia, plantas,
Causa verò particularis vocatur uni
univocè cum effectu in specie conven
re est in homine hominem generante
ne leonem procreante.

Dividitur insuper causa principalis
& necessariam. Causa necessaria est
ex impetu naturæ; nec actionem su
regit, sed solo naturæ instinctu in ea
que ipsam suspendere potest: sic bru
tum cibum ruit; sic sol lucem, aqua
ra herbas, effundunt. Causa libera
git ex electione & consilio, suæ
dominatur; hinc eam interdum pon
suspendit, prout vult: sic agunt Deu
& homo. Definiri etiam solet causa
sit *ea, quæ positis omnibus ad agendu
agere, aut non agere, potest*: necessari
sit *illa, quæ positis omnibus ad agend
non agere non potest*.

Dividitur rursus causa in totale

lem. Cauſa totalis eſt, quæ abſque conſortio alterius cauſæ ejuſdem generis ac ordinis ſuum producit effectuum; ſic ignis ignem efficit. Cauſa partialis eſt, quæ eget alterius cauſæ ejuſdem generis ac ordinis ſocietate, ut ſuum producat effectum, ita ut ſine eo adjutorio producere effectum nequaquam poſſet; ſic dum plures equi trahunt rhedam, quam nullus eorum trahere poteſt, quilibet illorum, cauſa eſt partialis.

Dividitur iterum cauſa in phyſicam, & moralem. Cauſa phyſica eſt, quæ phyſicè, id eſt, propriè ac reipſa producit effectum. Cauſa verò moralis eſt, quæ propriè ac revera effectum non facit; ſed duntaxat cauſam phyſicam præcepto, vel ſuaſione, vel bonitatis oſtenſione, vel alio quovis morali modo, ad faciendum movet: ſic verbi gratia qui hominem propria manu occidit, eſt phyſica homicidii cauſa; qui verò alium ad occidendum præcepto, vel ſuaſione, vel conſilio, vel alio quocumque morali modo excitavit, homicidii eſt moralis cauſa.

Dividitur tandem cauſa in eſſentialiter ſubordinatam, & accidentaliter ſubordinatam. Cauſa eſſentialiter ſubordinata eſt, quæ actuali concurſu ſuperioris cauſæ neceſſariò indiget, ut operetur; quo pacto omnes cauſæ ſecundæ à prima dependent. Cauſa verò accidentaliter ſubordinata eſt, quæ *eſſe* quidem ab alia accepit, ſine ipſius tamen actuali concurſu operari poteſt; ſic filius ſubordinatur patri.

§. II.

§. II.

An vis effectiva substantiis corporeis que conveniat?

PLerique Arabes in ea fuere sente lam esse causam effectricem cre primam exceperis; ita ut docere Deum omnia efficere ad præsent rum. Hinc dictitabant, Solem non sed Deum ad præsentiam Solis; ign lefacere, sed Deum ad præsentiam ig de aliis.

Quæ utique sententia Carteſio, & centioribus, non displicet. Licèt ete sius & ejus Discipuli sæpè sæpiùs affer esse causam efficientem generalem, esse efficientes causas particulares; r corporibus nullam vim effectivam tri cent namque Cartesiani, nihil in proprie effici, præter localem motu rò motus in eorum doctrina à solo tur, ab ipsoque transfertur à corpore ita ut corpora sint hujus motus subje taxat, & vehiculum quoddam, non prie effectrices causæ. Quæ sententia tur:

Dico: substantiæ corporeæ verè ac prie, suntque suorum effectuum effe sæ. Ita communiter Philosophi.

Probari solet primò hæc conclus Scripturæ locis, in quibus vis activa, sive effectuum productiva, sub poreis tribuitur. Nam Genes. 1. cap. ha *Germinet terram herbam virentem*, *semen, & lignum pomiferum faciens fr genus suum*. Et paulò post sic iterum *protulit terra herbam virentem, & fe men juxta genus suum, lignumque fa*

&c. Quibus verbis clarè aſſerit Scriptura, inesse terræ, arboribus, aliiſque ſubſtantiis corporeis, vim factivam, ſeu virtutem eſſectricem, aut effectus productricem.

Reſpondent Carteſii Diſcipuli, Scripturam aſſerere, unum corpus aliud facere, aut germinare, vel generare; non quòd verè ac propriè inſit corporibus aliqua vis effectiva, ſed quia unum corpus in aliud transfert motum à Deo primitùs effectum. Unde, inquiunt, dum equus, v.g. equum gignit, nihil de novo efficitur ab equo gignente, in equo genito; ſed equus, cùm ipſe ſit machina conſtans particulis certo modo diſpoſitis & agitatis, aliquam ſuæ agitationis partem transfert in ſeminis particulas; quibus eodem modo agitatis, ſimilis machinula compaginatur, quæ deinde in equum perfectum ſeſe explicat.

Sed hæc reſponſio eſt in primis Scripturæ contraria. Nam dum Deus dixit in Scriptura: *Germinet terra herbam virentem*: idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Inſit terræ vis germinativa*: unde ſicut quando dixit Deus: *Fiat lux*: lucem effecit, juxta illud Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt*: ſic etiam, cùm dixit: *Germinet terra herbam virentem*: vim germinativam ſeu generativam & effectivam in terra produxit. Et ſanè, quin illud potuerit Deus, nullus eſt dubitandi locus; quòd autem id voluerit, & revera præſtiterit, infinita illius, & in res omnes diffuſa bonitas, omninò perſuadet.

Præterea, ſi equus eſt duntaxat machina immediatè à Deo producta, mota & agitata, nullam in ſe habens vim effectricem; non magis poterit equum alterum generare, quàm horologium à Deo immediatè productum, motum, & agitatum, poſſet aliud horologium procreare: quis autem, niſi deſipiat, dicet, horologium à Deo immediatè productum, motum, & agitatum, poſſe aliud horologium procreare? Pari modo

igi-

igitur equus non poterit alium eq
cujus tamen oppositum quotidian
rientia.

Denique, si idcircò equus ali
quum, quia eum medio semine mo
& in ipsum transfert motum; si lapi
veam & agitem, atque in eum tra
tum, lapidem generabo; quid abs
ergo non ideò alium gignit equum
medio semine moveat, agitetque:
quo generante vis est generativa, q
mine velut instrumento, ad produce
alterum, sive ipsi esse in rerum nat
dum.

Prob. 2. nihil notius esse potest,
illuminare, ignem calefacere, ärb
effundere, animalia sibi similia proc
numeros actus vitales exercere; qu
ctus aliunde oriri non possunt, quàm
aut effectiva in hujusmodi corpori
constituta. Nec probabile est, Do
corporum varietatem produxisse, ut
& omninò cessaret; cùm hujus unive
mutua rerum actione contineatur.
Deus rebus corporeis id tribuit, ut d
litatis & existentiæ similitudinem
(non tantùm enim res spirituales, se
poreæ actu existunt,) illud quoque
impertiit, ut ejus vim activam sive eff
suo quæque modulo participarent.

Confirmatur: quorsum in corpor
bus tantus organorum apparatus, si
si nihil visu, nihil auditu percipiunt
cibos non digerunt; si sui similia no
Sanè si ita est, nihil inter agentia co
sunt animata & viventia, & ea quæ si
tant non viventia, erit discriminis
illis, neque in istis, vis activa seu
reperiatur; sed Deus ad eorum pra
& efficiat, & nihil ipsis agendum

dum relinquat. Quæ certè nec communis omnium ſenſus, nec inſtitutus naturæ ordo, nec experientia ipſa, comprobant.

Objicies 1. Deus eſt effectrix cauſa eorum omnium, quæ à corporibus fiunt; juxta illud 1. ad Corinth. 12. *Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus* : ergo hæc à corporibus non efficiuntur.

Reſpond. diſtinguendo ant. Deus eſt prima effectrix cauſa eorum omnium, quæ à corporibus fiunt, concedo : Deus eſt effectrix cauſa eorum omnium, quæ à corporibus fiunt, per excluſionem cujuſcumque alterius cauſæ, etiam ſecundæ, nego. Et diſtinguendum eſt ſimiliter conſequens : ergo hæc à corporibus non efficiuntur: ut à cauſa prima, concedo : ut à cauſis ſecundis nego. Juxta quam diſtinctionem exponendum eſt allatum Apoſtoli teſtimonium.

Objicies 2. ſi Deus effectum corporis ſe ſolo non produceret, ſed unà cum corpore; hunc effectum ederet Deus cum adminiculo alterius, nempè cum adminiculo corporis : atqui Deus non producit effectum corporis cum alterius adminiculo : ergo &c. Prob. min Deo eſt tribuendum, quòd perfectius eſt; perfectius autem eſt, edere effectum ſe ſolo, quàm cum alterius adminiculo.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi Deus effectum corporis ſe ſolo non produceret, ſed unà cum corpore, hunc effectum ederet Deus cum adminiculo alterius, nempè cum adminiculo corporis: ob ſummam bonitatem, qua tribuere voluit corporibus, ut cauſis ſecundis, vim effectivam, ſeu effectuum propriè productivam, concedo : ob indigentiam, nego. Ex quo patet ad totam objectionem.

Objicies 3. ſi eſſet vis effectiva in corporibus, maximè in viventibus : atqui in corporibus viventibus non eſt vis effectiva : ergo &c. Prob. min. Carteſiani hoc pacto : actus vitales corporum viventium nihil aliud ſunt, præter motus lo-

llocales à Deo organis impressos : ergo in corporibus viventibus non est vis illorum actuum effectiva.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. nego ant. motus quippe localis alteri iimpressus, ab extrinseco provenit; actus autem vitalis debet, non ab extrinseco, sed ab intrinseco, nempè à virtute effectiva viventi intrinseca habere, cùm in hoc tantùm ab actu non vitali discernatur.

Objicies 4. omnis actio cujuscumque corporis est motus : atqui motus efficienter à corpore oriri non potest, sed à solo Deo ; cùm enim corpus ex se iners sit & otiosum, motum ex se fundere non potest: ergo &c.

Respondeo 1. negando maj. actiones namque immanentes corporum, ut visio, auditio, & similes, propriè non sunt motus : motus namque propriè dictus, *est ad terminum exteriùs positum via atque tendentia;* actio autem immanens corporis, non est ad exteriorem terminum via vel tendentia ; cùm corpus aut corporis potentia per actionem immanentem extra se non egrediatur, sed intra se remaneat; ut ex ipso nomine *actionis immanentis* patet. Respondeo 2. data maj. negando min. nam etsi excluso concursu primæ causæ, corpus sit iners ac otiosum ; non tamen isto concursu posito.

Objicies 5. Agens debet esse præsens, ubi operatur : atqui unum corpus non est in alio præsens ; alioquin daretur naturaliter corporum penetratio : ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. Agens debet esse præsens *præsentia* virtutis, ubi operatur ; ita ut debeat effundere virtutem effectricem in subjectum, in quo producendus est effectus, concedo : Agens debet esse præsens præsentia quantitatis, ubi operatur; adeò ut secundùm quantitatem suam debeat intra subjectum illud poni, in quo effectus est edendus, nego ; sic enim daretur cor-

corporum penetratio, quæ naturaliter fieri nequit.

Objicies 6. omne corpus eſt remotiſſimum à fonte virtutis activæ, nimirum à Deo, qui prorsùs incorporeus eſt : ergo corpus eſt minimè activum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. omne corpus, ut corpus, eſt remotiſſimum à fonte virtutis activæ, nimirum à Deo, concedo : omne corpus, ut agens ſecundum, eſt remotiſſimum à fonte virtutis activæ, nego. Ideòque corpus, ut ſecundum agens, verè ac propriè activum eſt.

§. III.

Quo principio agat corporea quæque ſubſtantia?

DUo in agente corporeo diſtinguunt Philoſophi ; nempè principium *quod* agit, & principium *quo* agit, ſive virtutem qua operatur. Principium *quod* agit, eſt totum ex materia & forma compoſitum ; ſive ut alii dicunt, eſt ſuppoſitum, quod *Petrus*, v. g. nominatur. Si quis enim quærat, quid ſit quod in aula loquitur, quod rideat, quod clamat? Reſpondetur, Eſt Petrus. Hinc *actiones dicuntur eſſe ſuppoſitorum*. Ratio hujus veritatis eſt clara. Nam ex communi axiomate, *operari ſequitur eſſe* ; & ideò ejus eſt operari, *ut quod*, cujus eſt eſſe, *ut quod* : ſolum autem totum vel ſuppoſitum habet eſſe, *ut quod* ; partes verò habent eſſe tantùm, *ut quo* ; pars enim quidem nihil eſt aliud, quàm id quo totum in eſſe conſtituitur.

At quid ſit id, quo totum ex materia & forma conſtitutum agit ; ſive quæ ſit virtus, qua operatur? non ita certum eſt ; indubitatum autem eſt in primis, virtutem, qua totum ex forma materiaque conflatum agit, non eſſe materiam primam, quia eſt pura potentia, omnis activitatis ex-

expers. Est igitur tantùm de forma substantiali, & de accidentali, difficultas.

Dicendum est 1. formam substantialem in toto ex materia prima & forma substantiali composito esse principium *quo radicale* agendi, sive esse primam omnium actionum radicem. Hanc conclusionem perpetuò docent ambo Præceptores, Aristoteles & D. Thomas.

Prob. 1. cùm *operari sequatur esse*, quod est primum *essendi* principium, est etiam primum & radicale operandi principium: formam autem substantialem in toto ex materia prima & substantiali forma composito esse primum essendi principium, alibi ostensum est. Deinde, illud est, apud Philosophos, primum & radicale operandi principium, quod est prima potentiarum operativarum radix: atqui forma substantialis est in toto ex materia prima & substantiali forma composito prima potentiarum operativarum radix: sic in homine forma sive anima intellectualis est prima *intellectus* & voluntatis radix; sic etiam in *bruto forma aut* anima sensitiva est prima omnium potentiarum sensitivarum radix; & ita de aliis: ergo &c.

Objicies: accidentia totius ex materia prima & substantiali forma constituti, æquè interdum producunt effectum in absentia substantialis formæ, ac si ipsa adesset: ergo signum est manifestum, substantialem formam nullo modo ad productionem effectus efficienter concurrere; sed accidentia esse totam vim effectus productivam. Consequentia *aperta videtur*. Ant. verò quibusdam prob. *exemplis*: nam in primis calor ferri candentis æquè ignem gignit in stupa, ac si esset præsens substantialis forma ignis; quam ob causam Aristoteles lib. de sensu & sensibili cap. de sapore ait, ignem agere, non *ut ignem*, sed *ut calidum*. Præterea, accidentia vini consecrati, sine substantiali forma vini, & ita in ejus absentia, guttam atque in vinum æquè convertunt, ac si præsens

ſens foret ſubſtantialis vini forma.

Reſpondeo negando conſeq. cùm enim accidentia totius ex materia prima & ſubſtantiali forma conſtituti in abſentia ſubſtantialis formæ effectum producunt, ut contingit in exemplis allatis; hoc non præſtant independenter à ſubſtantiali forma, ſed potiùs dependenter ab ipſa; cùm id non præſtent, niſi ut virtutes activæ ab illa oriundæ, quarum nempè eſt prima radix. Unde etiam tunc ſubſtantialis forma ad productionem effectus concurrit, ſicut principium *quo radicale* agendi; non quidem ut præſens formaliter in ſe ipſa, ſed ut præſens virtualiter in virtutibus activis ab ipſa oriundis.

Ad id quod ex Ariſtotele aſſertur, reſpondeo, ſenſum ab Ariſtotele intentum eſſe, quòd ignis non agat, niſi medio calore, ut virtute ſuæ ſubſtantialis formæ, ab ipſa oriunda, eique inſtrumentariè famulante.

Dicendum eſt 2. in productione formæ ſubſtantialis, formam ſubſtantialem agentis eſſe virtutem effectivam principalem; accidentia verò, quibus tunc utitur agens, eſſe virtutes duntaxat inſtrumentales.

Ratio eſt clara: nam virtus effectiva principalis ea eſt, quæ proportionata eſt effectui; virtus autem inſtrumentalis eſt ea, quæ excedentem producit effectum: atqui in productione formæ ſubſtantialis, ſubſtantialis forma agentis eſt proportionata effectui, nempè ſubſtantiali formæ ab agente productæ, ut patet; accidentia verò, quibus utitur agens ad producendam ſubſtantialem formam, excedentem producunt effectum; cùm forma ſubſtantialis, quam efficiunt, longè omnibus accidentibus perfectione antecedat: ergo &c.

Dixi, accidentia agentis, dum ſubſtantialis efficitur forma, eſſe virtutes duntaxat inſtrumentales; quia cùm ignis, v. g. medio calore, novum in ligno ignem generat, ejuſque ſubſtantialem

lem producit formam; calor propriè non est instrumentum ignis generantis, alioquin recipere deberet ab igne virtutem elevantem, realiter à seipso distinctam; quod planè repugnat: hæc etenim virtus deberet iterum accipere ab igne aliam virtutem elevantem, realiter à se ipsa distinctam & ita in infinitum procedendo. Itaque calor ignis alium ignem procreantis, ejusque substantialem formam producentis, est duntaxat ejus instrumentalis virtus, quæ ex naturali conjunctione cum illius forma substantiali, vel ex naturali emanatione ab ipsa, satis superque elevatur.

Dicendum est 3. quando una accidentalis forma aliam sibi similem efficit, (ut calor calorem) dicendum est, inquam, accidentalem formam producentem esse virtutem in hac productione principalem. Quia tunc virtus producens, & effectus productus, omninò proportionantur, neque unum aliud excedit. Unde dum ignis medio calore gignit calorem & ignem in ligno, substantialis forma ignis gignentis est radicalis virtus effectiva caloris & ignis in ligno, estque principalis virtus eductiva substantialis formæ ignis è ligni materia; at calor ignis gignentis est principalis virtus alterius caloris in ligno productiva.

§. IV.

An substantia creata sit immediatè operativa?

COnstat ex dictis §. *præcedenti*, formam substantialem esse primam vim operandi; at an operationes suas immediatè fundat, an verò mediis accidentibus vel potentiis accidentalibus operativis ex ea natis, celebris est inter Thomistas & Scotistas controversia.

Docent namque Scotistæ, accidentia agentis in productione formę substătialis nihil *immediatè* age-

agere, præter materiæ diſpoſitionem; aſſerunt-que, formam ſubſtantialem agentis, diſpoſitione poſita, per ſeipſam *immediatè* ſubſtantialem formam geniti producere. Aſſeverant quoque, animam ſenſitivam immediatè per ſeipſam videre, audire, &c. non autem mediis ſenſitivis potentiis realiter, ex parte ſui, ab ipſâ diſtinctis; tuenturque etiam incorporeas ſubſtantias, nimirum Angelos & animas rationales, immediatè per ſe ſuas exercere operationes, intellectionem nempè & volitionem; negantque conſequenter, intellectum & voluntatem eſſe accidentia realiter à ſubſtantia Angeli, vel rationalis animæ, diſtincta.

Thomiſtæ verò, cum Angelico Doctore 1. p. q. 54. a. 3. & quæſt. 59. a. 2. & quæſt. 77. ar. 1. & aliis innumeris in locis, docent, ſoli Deo convenire, ut ejus ſubſtantia increata ſit immediatè operativa; eo quòd operatio in Deo non eſt accidens, (accidens quippe in Deo nullum eſt, quia accidens *adeſſe poteſt & abeſſe*, & ita locum non habet, niſi in ſubjecto mobili; Deus autem immutabilis eſt) ſed ipſa Dei ſubſtantia: aſſeruntque, ſubſtantias creatas, quæcumque ſint, eſſe duntaxat mediis potentiis, ſive virtutibus accidentalibus activis, operativas. Cum Thomiſtis contra Scotiſtas.

Dico: nulla ſubſtantia creata eſt per ſe *immediatè* operativa.

Prob. ratione, qua utitur D. Thomas locis citatis: ſi aliqua ſubſtantia creata foret per ſe immediatè operativa, per ſe immediatè ad operationem exercendam ordinaretur: atqui nulla ſubſtantia creata per ſe immediatè ad operationem exercendam ordinatur: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. principium activum per ſe immediatè ad illum duntaxat actum exercendum ordinatur, ad quem per ſe immediatè tendit; cùm per ſe immediatè ad aliquid ordinari, & per ſe immediatè ad illud tendere, idem prorsùs ſignificent:

ficent: atqui nulla substantia creata per se immediatè ad operationem exercendam tendit: ergo &c. Prob. min. principium activum per se immediatè ad solum illum actum exercendum tendit, ad quem primariò tendit; si enim principium activum ad duos actus exercendos tendat, ad unum primariò, ad alterum autem secundariò; ad primum quidem per se immediatè tendit, ad secundum verò non tendit, nisi per accidens, & mediante primo: atqui nulla substantia creata primariò ad operationem exercendam tendit: ergo &c. Prob. min. juxta communem omnium Philosophorum dicendi modum, *principium activum specificatur ab actu, ad quem primariò tendit*: atqui nulla substantia creata specificatur à sua operatione exercenda: ergo &c. Prob. min. nulla substantia creata potest ab accidente specificari; est siquidem contra perfectionem cujuscumque substantiæ, ut in sua specifica & essentiali ratione ab accidente pendeat: atqui operatio à substantia creata exercenda est accidens, maximè juxta Scotistarum doctrinam: ergo &c. Min. sic declaratur: quod realiter à substantia distinguitur, non est substantia, sed accidens tantùm; operatio autem substantiæ creatæ, ex ipsa Scotistarum doctrina, realiter ab illa distinguitur; cùm secundùm eam doctrinam, operatio substantiæ creatæ realiter immediatè ab ipsa oriatur.

Respondent Scotistæ, substantiam creatam primariò ordinari ad esse, & secundariò tantùm ad operationem, quatenùs *operari sequitur esse*; quòd verò idem ad plura ordinetur, ad unum quidem primariò, ad alterum autem secundariò, repugnantia nulla est.

Sed contrà: nam non solvunt argumentum adversarii; demonstravimus quippe, quòd si substantia creata foret per se immediatè operativa, per se immediatè, proindèque primariò, ad operationem ordinaretur.

Prob. 2. nonnumquam ſubſtantia corporea operatur, ubi non adeſt ſecundùm ſuam ſubſtantialem formam, ſed dumtaxat ſecundùm accidentalem virtutem à ſe emiſſam; hoc modo Sol in ipſo terræ ſinu aurum efficit; hac eadem ratione equus pater, qui emiſſo ac relicto ſemine in equa matre, interiit, ibidem generat fetum: ergo ſignum eſt manifeſtum, ſubſtantiam corpoream per ſuam ſubſtantialem formam immediatè non operari, ſed mediis virtutibus accidentalibus activis.

Reſpondent 1. Scotiſtæ, hoc argumentum probare quidem, ſubſtantiam corpoream per ſuam ſubſtantialem formam immediatè non operari, quando eſt à paſſo ſeparata; non tamen quando ipſi conjuncta eſt.

Sed contra: nam ſi quando ſubſtantia corporea eſt à paſſo ſeparata, media virtute accidentali activa, ſuum producit effectum, & ejus ſubſtantialem efficit formam: ergo virtus accidentalis, ſaltem in abſentia ſubſtantiæ corporeæ, eſt formæ ſubſtantialis effectiva: unde quia quando virtus illa conjungitur cum ſubſtantia corporea, deterioris non eſt conditionis, etiam tunc eſt formæ ſubſtantialis productiva, reipſaque ſubſtantia corporea, ea mediante, ſubſtantialem producit formam in genito.

Reſpondent 2. poſſe dari actionem in diſtans, id eſt, ſubſtantialem formam ſubſtantiæ corporeæ agentis aut generantis poſſe aliam ſubſtantialem producere formam, eo in loco, in quo non eſt, nec formaliter in ſe ipſa, nec virtualiter in virtute à ſe emiſſa.

Sed hæc reſponſio ſusè alibi refellitur; breviter tamen ſic confutatur: *Operari ſequitur eſſe*, juxta commune axioma ab omnibus uſurpatum: ergo ubi agens nullo modo, id eſt, nec formaliter, nec virtualiter, adeſt, nullo operatur modo; proindèque ſuum nequaquam producit effectum, ſed nec poteſt producere.

Reſ-

Respondent 3. quando aliquis effectus substantialis producitur, cujus sufficiens causa substantialis particularis non adest, esse ad aliquam universalem causam, ut ad Deum, vel ad Cœlum, recurrendum.

Sed contra: nam si quando equus, vel asinus, emisso ac relicto in equa vel asina semine, interiit; ad solum Deum, vel ad Cœlum, est recurrendum: ergo equus vel asinus tunc genitus, non est filius equi, vel asini; sed solius Dei, aut Cœli; quod planè inauditum est & absurdum.

§. V.

Præcipuæ Scotistarum objectiones solvuntur.

OBjicies 1. illud D. Thomæ testimonium, sumptum ex 7. Metaph. cap. 9. textu 32. Lect. 8. *Principium activum substantiæ*, inquit D. Thomas, *non potest esse, nisi substantia; sed principium activum accidentium potest esse non accidens, scilicet substantia.*

Respondeo, D. Thomam loqui de principio principali activo seu productivo substantiæ, quod utique necessariò esse debet altera substantia; non autem de principio instrumentario immediatè activo. Imò verò istud principium in creatis non esse substantiam, sed accidens, docet planè Angelicus Doctor locis §. *præcedenti* allatis.

Objicies 2. duo actus subordinati possunt immediatè oriri ex eodem principio; sic amor Dei, & dilectio proximi, ex eadem charitate nascuntur immediatè: atqui *esse* substantialis formæ, & ejus *operatio*, sunt duo actus subordinati: ergo possunt ex eodem principio, nempè ex eadem substantiali forma, immediatè oriri.

Respondeo distinguendo maj. duo actus subordinati possunt immediatè oriri ex eodem principio: si sunt ejusdem generis, ita ut vel sint ambo substantiales, vel ambo accidentales, concedo:

ſi generis ſint diverſi, adeò ut unus ſit ſubſtantialis, alter verò accidentalis, nego: *eſſe* autem ſubſtantialis formæ eſt actus ſubſtantialis, *operatio* verò actus accidentalis.

Ex quo patet ad exemplum amoris Dei, & dilectionis proximi; actus etenim uterque accidentalis eſt: unde cùm aliunde unus ſubordinetur alteri, nimirum actus dilectionis proximi, actui amoris Dei; ambo immediatè ex eodem accidentali principio, ſcilicet ex eodem charitatis habitu, ſuam ducunt originem.

Objicies 3. principium immediatum eſſendi eſt immediatum principium operandi: *Operatio etenim ſequitur eſſe*: atqui ex communi Thomiſtarum ſententia, ſubſtantialis forma eſt in ſubſtantia corporea principium immediatum eſſendi: ergo & operandi.

Reſpondeo negando ma. nam cùm in ſubſtantia corporea *eſſe* & *operari* ſint actus generis planè diverſi, ut dictum eſt; nequit eorum idem eſſe immediatum principium; ſed ſatis eſt, ut quod in ſubſtantia corporea eſt principium immediatum eſſendi, ſit radicale principium operandi, ita ut ſit radix potentiarum accidentalium immediatè operativarum. Unde in ipſa ſubſtantia corporea, *operatio* non ſequitur *eſſe* immediatè, ſed ſolùm mediatè, mediis nempè potentiis accidentalibus immediatè activis.

Objicies 4. formæ accidentales, juxta Thomiſtas, immediatè per ſeipſas operantur: ergo & formæ ſubſtantiales; quod enim perfectionem exprimit, non debet concedi minùs perfecto, & perfectiori denegari.

Reſpondeo conceſſo anteced. negando conſeq. quamvis enim immediatè *operari* operatione *entitativè* ſubſtantiali, maximā exprimat perfectionem (ſoli Deo convenientem) attamen immediatè *operari* operatione *entitativè* accidētali, valdè minutam ſignificat perfectionem, junctam cum imperfectione formæ ſubſtantiali repugnante; ni-

mi-

mirum cum specificatione & dependentia ab operatione *entitativè* accidentali.

Dices: si substantialis forma indiget potentiis accidentalibus, ut operetur; istæ verò potentiæ aliis non egent ad operandum: ergo substantialis forma in hoc est potentiis accidentalibus imperfectior.

Respondeo negando conseq. quia quòd substantialis forma indigeat potentiis accidentalibus, ut operetur, hoc oritur ex perfectione, qua eis antecellit, secundùm quam nequit ab operatione *entitativè* accidentali specificari & dependere.

Instabis: si forma substantialis non esset immediatè operativa, id nasceretur, vel ex perfectione, vel imperfectione? non quidem ex perfectione, quia substantia divina est longè majoris perfectionis, & tamen est immediatè operativa: neque etiam ex imperfectione id oritur, quia forma accidentalis, quæ substantiali est imperfectior, immediatè operativa est.

Respondeo id nasci ex perfectione substantialis formæ media inter summam divinæ substantiæ perfectionem, & extremam accidentis imperfectionem. Ex eo quippe, quòd forma substantialis non est tantæ perfectionis, ut ejus operatio sit *entitativè* substantialis, quo pacto divinæ substantiæ operatio substantialis est; & aliunde, ex eo, quòd substantialis forma tantæ non est imperfectionis, ut ab operatione *entitativè* accidentali specificari & dependere possit, sicut accidens aut accidentalis potentia, sed medio se habet modo; non est immediatè operativa.

Objicies 5. substantia creata est immediatè suarum proprietatum radix; ut docet D. Thomas 1. p. qu. 77. a. 6. & opusc. 44. tract. 1. cap. 6. ergo substantia creata, saltem respectu suarum proprietatum, est immediatè operativa; neque enim proprietates substantiæ creatæ ab ea im-

mediatè oriuntur, niſi per operationem immediatè ab ipſa profluentem.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. neque etenim proprietates ſubſtantiæ creatæ immediatè ab ea oriuntur per operationem propriè dictam, à qua ſpecificetur; ſicut contingeret, ſi ipſa creata ſubſtantia eſſet immediatè operativa (cùm tamen omnis ſubſtantia creata, vel à ſeipſa, vel à ſola ſua ſubſtantiali forma ſpecificetur;) ſed ab illa dimanant per ſimplicem reſultantiam, quæ eſt meium operationis generantis ad eſſentiam ſubſtantiæ creatæ primariò terminatæ complementum.

Inſtabis: quando aqua calefacta reducitur, igne amoto, ad priſtinam frigiditatem, hæc reductio non eſt ſimplex frigiditatis ex aqua reſultantia; ſed eſt actio propriè nuncupata: tum quia propriè dictus eſt motus: tum etiam quoniam frigiditas, ad quam de novo tranſit aqua, eſt numero à priori diverſa: tum denique, quia illa frigiditas nova fit per ſpecialem ac novam Dei operationem, cui in aqua operatio propriè dicta correſpondeat neceſsè eſt: atqui hujus operationis propriè dictæ immediata cauſa, alia non eſt, præter ſubſtantialem aquæ formam; quæ enim alia eſſe poſſet? ergo &c.

Reſpondeo negando maj. Ad cujus 1. prob. diſtinguo: reductio aquæ calefactæ ad priſtinam frigiditatem, eſt propriè dictus motus, id eſt, eſt poſitivus motus, quatenùs eſt inter poſitivos terminos, nimirum calorem inter & frigus, concedo: eſt propriè dictus motus, id eſt, eſt primarius motus, nego; eſt quippe dumtaxat complementum prioris motus primarii, quo aqua producta eſt, & à non *eſſe* ad *eſſe* tranſiit.

Ad 2. prob. concedo, frigiditatem, ad quam de novo tranſit aqua, eſſe quidem numero à priori diverſam; ſed dico, eſſe illi ſuccedentem: unde quemadmodùm aqua erat ad priorem frigiditatem, ſicut ad effectum ſecundarium operationis

agen-

agentis vel generantis, ex effectu primario, videlicet ex essentia ipsius aquæ resultantem, naturaliter determinata; ita eodem modo determinata est ad aliam, quæ priori succesſit.

Ad 3. prob. nego, illam frigiditatem novam fieri per ſpecialem ac novam Dei operationem; fit namque aut resultat ex vi præcedentis operationis Dei, qua producta est in aqua, vel in aquæ essentia, prima frigiditas.

Objicies 6. imperfectius nequit perfectius se immediatè producere; causa quippe producens debet totam effectus producti perfectionem continere: atqui accidens est longè imperfectius substantia: ergo &c. Deinde, in generatione univoca, qualis est, v. g. substantiæ ignis ab alio igne productio, oportet, effectum genitum esse consimilem generanti: ergo cùm substantia ignis geniti non sit consimilis accidenti, sed substantiæ ignis generantis; non ab accidente, sed à substantia generatur.

Ad 1. respondeo distinguendo ma. imperfectius nequit, ut causa principalis, perfectiùs se immediatè producere, concedo: imperfectius nequit, ut virtus instrumentaria, perfectius se immediatè producere, nego; ea siquidem est virtutis instrumentariæ natura, ut sit effectu producto imperfectior. Ad prob. ma. dicendum est, causam producentem debere totam effectus producti perfectionem continere; vel formaliter aut eminenter, si sit causa principalis; vel virtualiter, si sit duntaxat virtus instrumentaria. Et concesſa mi. distignendum est consequens distinctione data. Hanc solutionem tradit Doctor Angelicus 1. p. q. 115. ar. 1. ad 5. & pluribus aliis in locis.

Ad 2. distinguo ant. in generatione univoca, qualis est, v. g. substantiæ ignis ab alio igne productio, oportet effectum genitum esse consimilem principaliter generanti, concedo: oportet, effectum genitum esse consimilem instrumentariè

generanti, nego. Et diſtinguo pariter conſequens: ergo cùm ſubſtantia ignis geniti non ſit conſimilis accidenti, ſed ſubſtantiæ ignis generantis; non ab accidente, ſed à ſubſtantia principaliter generatur, concedo: non ab accidente, ſed à ſubſtantia inſtrumentariè generatur, nego.

Inſtabis: inſtrumentum, juxta Thomiſtas, debet moveri & elevari ab agente principali; ſi ergo accidentia ſunt ſubſtantiæ inſtrumenta, debet ea immediatè movere, & conſequenter immediatè circa illa operari.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque inſtrumentum *quod* agit, & cauſæ principalis effectum producit, (ut eſt ſecuris, vel malleus) debere moveri & elevari ab agente principali: at id nego de inſtrumento *quo*, ſeu de virtute inſtrumentaria, qua agens principale operatur; ſufficit enim, ut ab eo, tamquam naturalis virtus ipſius, oriatur; accidens autem non eſt inſtrumentum *quod*, ſed ſolùm inſtrumentum *quo*, ſeu virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ principaliter operantis.

Urgebis: quòd, v. g. calor ignis ab ejus ſubſtantia ut naturalis ipſius virtus oriatur; vel aliquid ſuperaddit intrinſecum calori, vel nihil? Si nihil addit, ergo ſicut calor ſecundùm ſe nequit ſubſtantiam ignis producere, id etiam non poterit, quantumvis à ſubſtantia ignis generantis, ut naturalis ejus virtus, oriatur: ſi verò aliquid addit; quæritur, quid ſit illud intrinſecè calori ſuperadditum? nam in primis non eſt ſubſtantia, ut patet; quandoquidem quod accidenti, v. gr. calori, intrinſecum eſt, accidens ſit neceſsè eſt: non eſt etiam accidens, quia alioquin iſtud accidens indigeret aliquo ſibi intrinſeco à ſubſtantia ſuperaddito, & ita in infinitum quæſtio abiret; quod planè abſurdum eſt.

Reſpondeo ex D. Thoma opuſc. 48. tract. 1. c. 6. & q. unica de ſpiritualibus creaturis a. 11. ad 10.

ex

ex eo quòd calor ignis ab ejus substantia, ut naturalis ipsius virtus, oriatur, nihil superaddi intrinsecum calori realiter ab ipso distinctum. Nec tamen inde inferri potest, calorem secundùm se posse substantiam ignis producere; quia ut calor producat ignis substantiam, conditio est necessariò desiderata, ut ex substantia ignis generantis, tanquam naturalis ejus virtus, enascatur.

Ex dictis haud difficilè solvitur hoc aliud adversariorum argumentum: actio ex accidente orta, non est nisi alterius accidentis productiva: ergo substantiam producere nequit. Distinguendum siquidem est ant. actio orta ex accidente, prout præcisè accidens est, non est nisi alterius accidentis productiva, concedo: actio orta ex accidente, prout est virtus instrumentaria substantiæ, nego.

Articulus Secundus.

Quid sit de causalitate efficientis causæ dicendum?

§. I.

Quæ sit causæ efficientis causalitas?

CAusa efficiens in duplici statu considerari potest; nempè in actu primo, vel in actu secundo. Causa efficiens tunc est in actu primo, quando in ea vis est effectiva, tum radicalis, tum immediata. Tunc verò est in actu secundo, quando actualiter influit in effectum. Egimus *articulo præcedenti* de vi effectiva, tam radicali, quàm immediata, qua constituitur in actu primo efficiens causa; nunc de causalitate, qua est in actu secundo causans sive influens in effectum, est differendum.

Dico: actio eſt propria cauſæ efficientis cauſalitas. Ita communiter Philoſophi.

Prob. & explicatur: id *cauſalitatis* nomine intelligunt omnes, quo cauſa actu influit in effectum: atqui per actionem cauſa efficiens actu influit in effectum; cùm non aliter in effectum influat, quàm agendo, aut actionem exercendo: ergo &c.

Notandum tamen eſt, quòd dum dicimus, actionem eſſe propriam cauſæ efficientis cauſalitatem, hoc de actione *in abſtracto* intelligendum non eſt; ſed de actione *in concreto*, id eſt, de actione prout afficit agens, ipſumque in actu ſecundo influens in effectum conſtituit. Hinc meritò Thomiſtæ docent, cauſalitatem efficientis cauſæ non eſſe actionem *in abſtracto* expreſſam, ſed eſſe *agere*; *agere* quippe ſignificat actionem, non *in abſtracto*, ſed *in concreto*, & ut exercitam ab agente, atque ipſum in actu ſecundo conſtituentem.

Hæc videntur certa. At an actio realiter ab agente, & patiente, ac termino, diſtinguatur, gravis eſt inter Thomiſtas, & Nominales, ac Recentiores fermè omnes, controverſia; quæ ut dirimatur, ſit:

§. II.

Num actio in creatis realiter ab agente, patiente, & termino diſcrimineur?

NOtandum eſt, duo eſſe actionum genera. Alia enim eſt actio formaliter tranſiens, alia formaliter immanens. Prior illa eſt, quæ dum effectum in ſubjecto externo producit, ad illud tranſit ſecundùm formalem ac propriam entitatem ſuam, in ipſoque recipitur; hujuſmodi eſt *calefactio*, quæ cùm efficit calorem in ligno, ad ipſum tranſit, in eoque ſuſcipitur. Actio autem formaliter immanens, ea appellatur, quæ ſecun-

cundùm formalem entitatem suam remanet in principio, à quo fit; ut est *intellectio*.

De utraque, sed præsertim de actione formaliter transeunte, quærunt Philosophi, an sit entitas aliqua peculiaris, realiter ab agente, patiente, & termino, distincta? Affirmant Thomistæ, negant Nominales, & innumeri recentiores, asserentes, actionem nihil aliud esse, quàm vel agens, prout influit in terminum, sive in effectum, *in* patiente receptum, vel terminum seu effectum, prout ab agente pendet. Unde dicunt, actionem posse duobus sumi modis. Primò, *principiativè*, *formaliter*, *& entitativè*; & ita accepta est agens, prout per modum principii activi influit in terminum, seu in effectum. Secundò *connotativè*, sive *terminativè*; & ita sumpta est terminus, prout connotat agens, à quo producitur ac pendet. Cum Thomistis

Dico: actio in creatis est entitas realiter ab agente & patiente distincta; sicut & à termino, quando terminum efficit.

Prob. 1. ex D. Thoma 1. p. q. 54. art. 3. & qu. 59. art. 2. & qu. 77. art. 1. & innumeris aliis in locis, ubi perpetuò inculcat, esse Deo aut agenti primo proprium, ut ejus operatio cum ipso, vel cum ipsius substantia, realiter identificetur; additque, operationem sive actionem in quovis agente creato esse accidens realiter ab ipso distinctum.

Prob. 2. ratione fundamentali, de omni actione cujuscumque agentis creati: quod realiter potentiale est, in eo genere vel ordine, in quo est realiter potentiale, debet ab actu secundo illius generis vel ordinis realiter distingui: nam alioquin in eo genere aut ordine esset realiter actus secundus; ac proinde realiter potentialis non esset: atqui omne agens creatum sive secundum, prout differt ab agente primo & increato, est in genere vel ordine agẽtis, realiter potentiale; in quo potissimùm discernitur ab agente pri-

primo & increato, quod in genere aut ordine agentis, eſt realiter actus purus: ergo omne agens creatum, ſeu ſecundum, debet diſtingui realiter ab actu ſecundo generis ſive ordinis agentis, quia utique alius non eſt, quàm actio.

Reſpondent adverſarii, nullum agens, præter Deum, eſſe realiter ſuam actionem adæquatè & totaliter; benè tamen inadæquatè & partialiter: nullo enim Deus indiget ad agendum, nec concurſu, nec objecto, nec cauſæ externæ auxilio; quod de nullo agente creato, aut ſecundo, dici poteſt.

Sed contra: omne agens creatum, vel ſecundum, non ſolùm indigere debet ad agendum concurſu vel auxilio externæ aut ſuperioris cauſæ, vel etiam objecto realiter à ſe diſtincto; ſed præterea diſtingui debet realiter ab actione ſua *formaliter* ſeu *entitativè* ſumpta: ergo ſemper verum eſt, actionem agentis creati *formaliter* vel *entitativè* acceptam, eſſe realiter ab agente creato diſtinctam; ita ut ſit peculiaris quædam entitas realiter ab agente, patiente, termino, & quovis alio diſtincta; quod planè nobis ſufficit. Prob. ant. omne agens creatum, utpote realiter potentiale in genere aut ordine agentis, diſtingui debet realiter ab actu ſecundo hujuſmodi generis vel ordinis, prout eſt actus ejus ſecundus: atqui actio *formaliter* aut *entitativè* conſiderata, ſive ſecundùm ſuam formalem & eſſentialem entitatem accepta, eſt in genere vel ordine agentis actus ſecundus, ut conſtat: ergo &c.

Prob. 3. præſertim de actione tranſeunte: accidens phyſicum phyſicè, & ita realiter, à ſubſtantia diſtinguitur: atqui actio tranſiens eſt phyſicum accidens; agens verò principale creatum, nonnunquam eſt ſubſtantia: ergo &c. Maj. clara videtur: nam quod inhæret ſubſtantiæ, in eaque recipitur, realiter ab ipſa diſtinguitur; quandoquidem idem ſibi inhærere non poteſt, neque in ſe ipſo recipi: ut autem docent omnes, accidens phy-

physicum inhæret substantiæ, in ipsaque recipitur. Min. verò quoad 2. par. suprà probata est: substantia namque principaliter produci nequit, nisi à substantia altera; ut demonstratum est *a. præcedenti* §. 3. In productione igitur substantiæ, agens principale sit substantia necesse est. Prob. autem min. quoad 1. p. accidens physicum est ens inhærens, ut docent communiter Philosophi: atqui actio prædicamentalis, sive actio transiens, est *ens inhærens*: ergo &c. Min. ex eo convincitur, quòd dividitur ens reale prædicamentale, ex communi omnium Peripateticorum applausu, in ens *per se subsistens*, quo predicamentum substantiæ constituitur, & in ens *inhærens*, quod in prædicamenta quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis &c. subsecatur: ergo prædicamentum actionis, & consequenter actio prædicamentalis, quæ transiens est, est ens *inhærens*.

Ex quo facilè confutatur adversariorum responsio, qua concedunt, actionem transeuntem esse quidem *terminativè* nonnunquam physicum accidens; si nempè ex parte termini per eam producti consideretur: negant verò, actionem transeuntem *formaliter* aut *entitativè* sumptam esse unquam accidens physicum.

Facilè, inquam, refellitur ex dictis hæc responsio. Nam, ut probatum est, eo modo actio transiens est physicum accidens, quo est prædicamentalis, sive in prædicamento actionis collocata: atqui actio transiens est prædicamentalis, seu in prædicamento actionis collocata, non *terminativè* solùm, sed *formaliter* aut *entitativè* considerata: ergo &c. Prob. min. exemplo calefactionis; si enim calefactio *terminativè*, seu ex parte termini per ipsam producti, nimirum ex parte caloris, conspiciatur, non est in prædicamento actionis, sed in prædicamento qualitatis; calor etenim est qualitas in tertia specie prædicamenti qualitatis constituta; si ergo calefactio, aut quæ-

vis

vis alia actio tranſiens, eſt in prædicamento actionis poſita, ut certum eſt, non eſt eo in prædicamento collocata, *terminativè* ſolùm ſumpta, ſed *formaliter* ſive *entitativè*, ſeu ſecundùm ſuam formalem & eſſentialem entitatem uſurpata. Ex quo tandem infertur, actionem tranſeuntem eſſe entitatem aliquam phyſicè accidentalem, realiter ab agente & à quocumque alio diſtinctam.

Quæres, qua diſtinctione reali, actio ab agente, patiente, & termino, diſtinguatur? Reſpondeo, actionem diſtingui ab agente, patiente, & termino, diſtinctione reali entitativa; non autem purè modali. Ratio hujus eſt, quia actio non eſt propriè & purè modus; ſed res ſive entitas quædam completa, cùm directè in prædicamento ponatur, & modi (ſi dentur) ob debilitatem & tenuitatem entitatis ſuæ, indirectè tantùm in prædicamento collocentur. Attamen quia actio cum ſubſtantia, quantitate, & qualitate, comparata, longè debilioris eſt entitatis; nonnunquam *modus* appellatur, licèt impropriè; & eo in ſenſu, diſtinctio actionis ab agente, patiente, & termino, *modalis* dici poteſt.

§. III.

Satisfit adverſariorum objectis.

OBjicies 1. ex Ariſtotele 5. Phyſic. 2. & 11. Metaph. ultimo; *ad actionem non datur motus*: atqui ad actionem daretur motus, ſi eſſet entitas aliqua realiter ab agente, patiente, ac termino, diſtincta: ergo &c. Prob. min. ad illud datur motus, quod producitur à movente ſive ab agente: atqui ſi actio eſſet entitas realiter ab agente, patiente, ac termino, diſtincta, produceretur à movente ſive agente, ut patet: ergo &c.

go &c. Tum etiam, quia actio, si esset entitas realiter ab agente, patiente, ac termino, distincta, fieret per subjecti mutationem; subjectum quippè recipiendo actionem mutaretur: mutatio autem est quidam motus.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. ad illud datur motus, quod per efficientiam propriè dictam producitur à movente, *sive ab agente*, concedo: quod per *simplicem resultantiam* producitur à movente, *sive ab agente*, nego. Actio verò, cùm sit efficientia ipsa, nequit per propriè dictam efficientiam à movente, vel ab agente, produci; alioquin ista efficientia deberet iterum per aliam efficientiam propriè dictam effici, sicque in infinitum foret abeundum: entitas ergo illa realiter ab agente, patiente, ac termino, distincta, in qua consistit actio, per propriè dictam efficientiam ab agente minimè producitur, sed per simplicem resultantiam; ita ut, positis omnibus ad agendum requisitis, resultet actio; *necessariò* quidem, si agens sit necessarium; *liberè* verò, si agens sit liberum. Ad actionem igitur propriè dictus non datur motus, sed simplex mutatio, quæ omninò impropriè dictus est motus.

Objicies 2. quædam D. Thomæ testimonia. In primis ergo qu. 7. de potentia art. 10. ad 8. sic ait: *Illud à quo denominatur aliquid, non oportet, quòd sit semper forma secundùm rei naturam; sed sufficit, quòd significetur per modum formæ, grammaticè loquendo; denominatur enim homo ab actione & indumento, & ab aliis ejusmodi, quæ revera non sunt formæ*: ex quibus verbis colligitur, actionem non esse formam sive entitatem, reverà seu realiter ab homine agente distinctam. Et opusc. 48. cap. 3. docet calefactionem nihil esse aliud, quàm *calorem influxum*: proindèque calefactio non est entitas peculiaris realiter à termino, nempè calore, distincta: & cap. 5. ejusdem opusculi hæc scribit:

bit : *Licèt actio, & paſſio, & forma, qua aliquid movetur, ſint una res; tamen propter diverſam denominationem, quam important, vel diverſum reſpectum importatum, ſunt diverſa prædicamenta.* Et 1. p. qu. 45. art. 2. aſſerit, quòd *actio & paſſio differunt ſolùm ſecundùm diverſas habitudines.* Quod idem ſæpè aliis in locis repetit. Quibus in locis iterum docet, actionem & paſſionem non eſſe ſpeciales res, aut entitates realiter ad invicem, & à forma, ſeu à termino, diſtinctas; ſed eandem formam, prout importat habitudinem ſeu reſpectum ad agens, eſſe *actionem*; prout verò habitudinem ſeu reſpectum exprimit ad paſſum, eſſe *paſſionem*.

Ad primum teſtimonium, reſpondeo, D. Thomam eo in loco velle tantùm, indumentum, actionem, & hujuſmodi, non eſſe revera ac propriè formas, ſi nomine *formæ* id intelligatur, quod per ſe primò ad ſubjectum informandum tendit; indumentum quippe cùm ſit ſubſtantia completa in ſe ſubſiſtens, per ſe primò ad ſubjectum informandum minimè ordinatur; ſicut nec actio, quæ per ſe primò ad effectum producendum tendit: at nullibi negat D. Thomas, indumentum, actionem, & ſimilia, eſſe revera & propriè formas, ſi nomine *formæ* intelligatur peculiaris entitas realiter ab omni alia diſtincta.

Ad 2. teſtimonium dicendum eſt, calefactionem nihil eſſe aliud, quàm *calorem influxum ut quo & cauſaliter*; reipſa enim calefactio nihil eſt aliud, quàm id quo calefaciens cauſat ſive influit calorem in ſubjectum: ſed negandum eſt, calefactionem nihil eſſe aliud *formaliter & ut quod*, quàm *calorem influxum*, ita ut calefactio *formaliter* ſeu *eſſentialiter* in ipſo calore conſiſtat.

Ad duo ultima teſtimonia reſpondeo, verum D. Thomæ ſenſum eſſe, quòd ſi in actione, paſſione, & forma ab agente producta, atque in paſſo recepta, quæratur res aut entitas quæ ſe habeat ad modum termini & finis; unica eſt, nimirum

en-

entitas formæ ab agente productæ, & in passo receptæ. Cæterùm non negat D. Thomas, actionem & passionem esse peculiares entitates vitales realiter à se invicem & à forma distinctas, atque ad formam ordinatas, quas ipse Angelicus Doctor *habitudines* seu *respectus* vocat.

Objicies 3. *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, juxta vulgatum axioma: atqui nulla est necessitas distinguendi realiter actionem ab agente, & à termino: ergo &c. Prob. min. si quæ esset necessitas distinguendi realiter actionem ab agente & à termino, maximè, ut agens media actione in terminum aut in effectum influeret, & ipse terminus vel effectus ab agente dependeret: ad hoc autem necessaria non est actio realiter ab agente, & à termino distincta; sed agens immediatè per seipsum in terminum aut effectum influit, terminus verò seu effectus immediatè per seipsum ab agente pendet: sic v. g. calor ignis immediatè per seipsum calefacit lignum; & calor ligni immediatè per seipsum ab ignis calore dependet.

Respondeo concessâ maj. negando min. necessitas quippe distinguendi realiter actionem ab agente, patiente, & termino, patet omninò ex probationibus conclusionis: est namque necessaria actio realiter ab agente & termino distincta, maximè, ut agens creatum, de potentiâ ad actum secundum reducatur, & in actu secundo, sive actualiter, in terminum aut effectum influat; ut enim suprà diximus, agens creatum, prout ab agente increato distinguitur, est in genere vel in ordine agentis potentialis, ac proinde debet esse realiter à suo actu secundo distinctum. [illegible] prob. in contrarium, distinguendum est, & concedendum, quòd agens creatum influat in terminum vel in effectum, v. g. calor in alium calorem, immediatè per se ipsum, sicut per efficiens principium; at non sicut per actum secundum.

In-

Inſtabis: actio, ſecundùm nos, fit ab agente, abſque actione intermedia realiter ab agente diſtincta: ergo & effectus.

Reſpondeo 1. negando paritatem: ſicut enim, quia beneficio lucis, alia clareſcunt, idcircò lux per ſeipſam clara eſt, non verò per aliud realiter ab ipſa diſtinctum: ſic etiam quia beneficio actionis fit effectus, debet per ſe ipſam immediatè fieri, non autem per aliam actionem realiter ab ipſa diſtinctam; alioquin in infinitum eſſet abeundum. Unde quemadmodùm ineptè argueretur, ſi diceretur: *Lux per ſe ipſam clara eſt: ergo etiam alia per ſe ipſa ſunt clara*: ſic pariter non minùs abſurdè arguitur, dum dicitur: *Actio per ſe ipſam immediatè fit ab agente: ergo & effectus.*

Reſpondeo 2. negando iterum paritatem. Actio namque per propriè dictam efficientiam ab agente minimè producitur, ſed per ſimplicem reſultantiam; non repugnat verò, ut in creatis unum ex alio immediatè reſultet; ut patet in proprietatibus, quæ ex eſſentia immediatè reſultant: at effectus per propriè dictam efficientiam fit ab agente; in creatis autem efficientia propriè dicta, utpotè actus ſecundus agentis, debet realiter ab ipſo, & à termino, ſeu ab effectu, diſtingui.

Urgebis: anima animatur *ut quo* (eſt quippe id quo corpus animatur) & intelligit *ut quod* (eſt namque id quod intelligit) per intellectionem realiter à ſe diſtinctam: ergo etiam actio producit effectum *ut quo*, & producitur *ut quod*, per actionem realiter à ſe diſtinctam.

Reſpondeo negando paritatem: cùm enim anima in ordine intelligibili, vel intellectuali, non ſit actus purus, non eſt ſua intellectio; ideòque mirum non eſt, ſi per intellectionem realiter à ſe diſtinctam, *ut quod* intelligit. At actio eſt ipſa productio; productio autem non debet effici per aliam productionem ſive actionē rea-

realiter à se distinctam ; alioquin in infinitum foret procedendum.

Dices: effectus agentis secundi immediatè ab eo dependet; sic v. gr. leo qui gignitur, immediatè à leone generante pendet: ergo immediatè ab illo producitur; proindèque inter agens secundum, & ejus effectum, non mediat actio realiter ab utroque distincta.

Respondeo distinguendo ant. effectus agentis secundi immediatè ab eo dependet, per exclusionem alicujus superadditi effectui realiter ab eo distincti, concedo: effectus agentis secundi immediatè ab eo dependet, per exclusionem influxus intermedii realiter ab utroque distincti, inducentis ac fundantis dependentiam effectus ab agente secundo, nego. Quæ distinctio applicanda est primo consequenti, & secunda consequenta neganda est.

Objicies 4. si necessaria esset actio realiter à causa effectrice distincta, maximè ut causam effectricem de se indifferentem determinaret ad hunc vel illum effectum producendum: atqui ad hoc non est necessaria actio realiter à causa effectrice distincta, sed per hunc, vel illum effectum, causæ effectricis indifferentia tollitur satis: tum etiam, quia positis omnibus ad agendum prærequisitis, efficiens causa non est ampliùs ad producendum effectum indifferens, sed potiùs ad illum determinata: ergo &c.

Respondeo, necessariam esse actionem realiter à causa effectrice distinctam, ut causam effectricem *formaliter* determinet ad hunc vel illum effectum producendum. Ad impugnationem; distinguendum est, & dicendum, quòd per hunc, vel illum effectum, causæ effectricis indifferentia *terminativè* tollatur, non tamen *formaliter*; actio siquidem est ipsa effectricis causæ *formalis* determinatio, qua in actu secundo producens effectum *formaliter* constituitur.

Ad

Ad aliud quod additur, diſtinguendum et etiam: poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, efficiens cauſa non eſt ampliùs ad producendum effectum indifferens, ſed potiùs ad illum determinata; ratione actionis conditiones illas prærequiſitas conſequentis, concedo: efficiens cauſa non eſt ampliùs ad producendum effectum indifferens, ſed potiùs ad illum determinata; ratione illarum conditionum *formaliter* determinantium, cum excluſione actionis realiter ab effectrice cauſa diſtinctæ, nego.

Objicies 5. ex D. Thoma 1. p. q. 45. art. 3. creatio non eſt aliquid realiter à Deo creatore diſtinctum: ergo etiam actio agentis creati non eſt aliquid realiter ab ipſo diſtinctum. Prob. conſeq. ſicut agens creatum eſt ex ſe ad hunc vel illum effectum producendum indifferens; ſic pariter indifferens eſt Deus ad hanc vel illam rem creandam: ergo ſi Deus ad hanc vel illam rem creandam determinatur per creationem realiter à ſe indiſtinctam, agens creatum poterit quoque per actionem realiter à ſe non diſtinctam ad hunc vel illum effectum producendum determinari.

Reſpondeo in primis, ſecundùm communem Theologorum loquendi modum, Deum ad creandum non determinari per creationem ipſam, ſed per decretum præcedens. Deinde negatur paritas: Deus namque creator eſt in genere vel in ordine agentis actus purus; ideòque actio, qua ad creandum *formaliter* determinatur, ſive qua in actu ſecundo creans *formaliter* conſtituitur, debet realiter cum ipſo identificari. At agens creatum eſt in genere aut ordine agentis potentiale; quamobrem actio, qua ad effectum producendum *formaliter* determinatur, ſive qua in actu ſecundo producens effectum *formaliter* conſtituitur, debet realiter ab illo diſtingui.

Objicies 6. ſi actio agentis ſecundi eſſet entitas realiter ab illo diſtincta; vel crearetur, vel educeretur? Non creatur; quia, ut infrà patebit

agens

agens secundum creare non potest, sed id totius primi agentis proprium est: non educitur etiam; quia quod educitur, fit per actionem à se distinctam, qua extrahitur ex potentia subjecti; actio autem non fit per aliam actionem à se distinctam: alioquin, ut sæpè dictum est, foret in infinitum abeundum.

Respondeo, actionem agentis secundi, propriè neque creari, neque educi; propriè namque *creari*, vel *educi*, non convenit nisi ei, quod per *propriè dictam* fit efficientiam; cujusmodi non est actio, ut ex dictis patet. Actio igitur propriè non creatur, nec educitur, sed resultat ex potentia subjecti. Licèt autem quod propriè creatur, aut propriè educitur, fiat per actionem à se distinctam, non tamen quod per simplicem fit resultantiam. Quamvis tamen resultantia actionis ex potentia subjecti directè ac propriè eductio non sit, reductivè nihilominùs ad eductionem pertinet.

Articulus Tertius.

De concursu Dei simultaneo.

§. I.

Dari concursum Dei simultaneum probatur, & demonstratur.

Dico: Deus *immediatè* concurrit cum omnibus causis secundis ad agendum, id est; Deus simul cum omnibus causis secundis actu influit in singulas earum actiones atque effectus. Ita Philosophi & Theologi ferè omnes; contra Durandum, qui in 2. sent. distinct. 1. q. 5. docet, Deum *mediatè* tantùm concurrere cum causis secundis ad operandum; quatenùs dedit eis vim operandi, quam jugi conservat influxu, ipsisque permittit, ut agant. Quam sententiam obsoletam

tam in ſcholis Philoſophorum & Theologorum ſuſcitavit nuper Franciſcus à Dola Capucinus in opere de eo inſcripto.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ concluſionem noſtram innumeris in locis tradit. In primis Iſaiæ 26. hæc leguntur: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*; & 1. ad Corinth. 12. de Deo dicitur: *Omnia operatur in omnibus*; & Joannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, & cap. 15. reſpondit Jeſus: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*. Quæ verba expendens D. Auguſtinus de Geneſ. ad litteram 20. ſic ait: *Sunt qui arbitrantur, tantummodò mundum ipſum factum à Deo, cætera jam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinavit & juſſit, Deum autem nihil operari; contra quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus uſque modò operatur*. Quibus verbis continetur ſententia Durandi, & ſimul refellitur.

Prob. 2. proprius effectus cauſæ, ſine actuali ejus influxu minimè producitur: atqui actio & effectus cujuslibet cauſæ ſecundæ & creatæ ſunt proprii effectus Dei: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. ex eo, quòd proprius effectus creatoris qui Deus eſt, omne ens creatum & creabile comprehendit; ſub quo omnes actiones, omneſque effectus quarumcumque cauſarum ſecundarum & creatarum continentur, ut patet.

Prob. 3. ſicut omne ens creatum debet *eſſentialiter* in *eſſe* ab ente increato dependere, ita omnis cauſa efficiens creata debet *eſſentialiter* in *operari* à cauſa efficiente increata dependere; creatum namque, in eo genere vel ordine in quo creatum eſt, eſſentialiter ab increato dependet. ſicut ergo eſſentialis dependentia entis creati in *eſſe* ab ente increato, exigit neceſſariò, ut ens creatum indigeat ex parte entis increati, actuali influxu in *eſſe*, quo nempe ens increatum immediatè producat & conſervet *eſſe* in ente creato; ſic etiam eſſentialis dependentia cauſæ efficientis crea-

creatæ in *operari* à causa efficiente increata necessariò postulat, ut causa efficiens creata egeat ex parte causæ efficientis increatæ (quæ Deus est) actuali influxu in ipsius operationem, quo causa efficiens increata simul cum causa efficiente creata immediatè ad ejus operationem concurrat.

Prob. 4. aliquando causis efficientibus secundis ad producendos effectus suos paratis, impedit *Deus*, ne ipsæ causæ efficientes secundæ *suos* producant effectus; ut constat exemplo ardentis fornacis Babilonicæ, in quam Ananias, Misael & Azarias, nolentes adorare statuam, quam Nabuchodonosor erexerat, ligati missi sunt, & ex qua egressi sunt illæsi, ut refertur Danielis 3. cap. Non apparet autem, qua ratione possit impedire Deus, ne causæ secundæ efficientes ad agendum paratæ, suos producant effectus, nisi per subtractionem simultanei concursus immediati ad operandum necessarii.

Quæres, quid sit concursus Dei simultaneus, & an sit actio realiter ab actione causæ secundæ distincta? Respondeo cum Angelica Thomistarum schola, concursum Dei simultaneum esse eandem omninò actionem cum actione causæ secundæ; ita ut actio, qua ignis, v. g. ignem efficit dicatur ignis actio, quatenùs fluit ab igne; appelletur verò simultaneus Dei concursus, prout est à Deo simul cum igne ad productionem alterius ignis concurrente. Hanc doctrinam tradit D. Thomas 1. par. q. 105. art. 5. ad 2. ubi sic fatur; *Una actio non procedit à duobus agentibus unius ordinis; sed nihil prohibet, quin una & eadem actio procedat à primo & secundo agente.*

Ad cujus ampliorem notitiam, notandum est, esse duplicem Dei concursum. Alius enim est Dei concursus, qui est *producens*, & nullo modo *productus*; estque actio intrinseca Deo, & juxta communiorem Theologorum & Me-

taphyſicorum ſententiam, eſt actus intellectus, vel voluntatis Dei, quo effectus producit ad extra: & hic Dei concurſus eſt actio realiter ab actione cauſæ ſecundæ diſtincta. Alius iterum eſt Dei concurſus, qui ſimul eſt & *producens* & *productus*, ſub diverſo reſpectu; & iſte Dei concurſus eſt eadem realiter actio cum actione cauſæ ſecundæ, prout eſt à Deo & à cauſa ſecunda ſimul concurrentibus & agentibus, atque effectum producentibus; ita ut hæc actio ſit *producta*, ſi ad actionem Deo intrinſecam comparetur: ſit verò *producens*, ſi ad effectum, qui per eam fit, referatur.

Dices: una & eadem actio nequit ſimul à duobus agentibus exire, niſi vel partialiter concurrant, vel ſit una & eadem eorum virtus: Deus autem & cauſa ſecunda, neque ſunt agentia partialia, neque eamdem habent virtutem.

Reſpondeo ex D. Thoma loco citato, diſtinguendo & concedendo, unam & eandem actionem non poſſe ſimul à duobus agentibus ejuſdem ordinis exire, niſi vel partialiter concurrant, vel ſit una & eadem eorum virtus: ſed id negando de agente primo, & agente ſecundo, quæ ſunt diverſi planè ordinis.

§. II.

Præcipuæ Durandi objectiones diluuntur.

OBjicies 1. cauſa principalis non indiget influxu actuali ſuperioris cauſæ; in hoc enim ab inſtrumentali diſcriminatur: atqui inter cauſas ſecundas, quædam ſunt principales; ut patet: ergò iſtæ ſaltem non indigent influxu actuali ſuperioris cauſæ, cujuſmodi eſt cauſa prima.

Reſpondeo diſtinguendo ma. cauſa principa-

lis

lis non indiget influxu actuali superioris causæ elevantis, concedo; revera enim in hoc ab instrumentali causa discriminatur: causa principalis non indiget influxu actuali superioris causæ simul concurrentis, cui essentialiter subordinetur, & à qua essentialiter in *operari* dependeat; subdistinguo: non indiget, si sit causa principalis prima, concedo: si causa principalis secunda, nego; & concessa min. distinguendum est consequens distinctione data.

Instabis: equus, verb. grat. virtutem habet completam, qua potest equum alterum generare: ergo ad id non eget actuali influxu Dei.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo ad id non eget actuali influxu Dei, quo in actu primo compleatur, concedo: ergo ad id non eget actuali influxu Dei, quo Deus concurrat cum illo, tamquam cum causa secunda essentialiter sibi subordinata, & essentialiter ab ipso dependente, nego.

Urgebis: equus generandus non superat vires equi generantis; sed vires equi generantis sunt prorsùs proportionatæ equo generando: ergo equus solus potest alium generare equum, neque ad hoc alieno indiget auxilio.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo equus solus, per exclusionem alterius causæ totalis secundæ ejusdem ordinis, potest alium generare equum, neque ad hoc alieno indiget auxilio alterius causæ totalis pariter ejusdem ordinis, concedo: ergo equus solus, per exclusionem causæ primæ, potest alium generare equum, neque ad hoc alieno indiget auxilio causæ primæ cum ipso concurrentis, nego.

Urgebis iterum; causa totalis ea est, quæ sine ope & auxilio alterius suum producit effectum: ergo cùm equus generans sit causa totalis equi, quem procreat, absque ope & auxilio alterius illum producit.

Reſpondeo diſtinguendo ant. cauſa totalis ea eſt, quæ ſine ope & auxilio alterius ejuſdem ordinis, ſuum producit effectum, concedo: cauſa totalis ea eſt, quæ ſine ope & auxilio alterius cauſæ ſuperioris ordinis, ſuum producit effectum, ſubdiſtinguo: ſi ſit cauſa totalis prima, nulli ſuperiori ſubordinata, concedo: ſi ſit cauſa totalis ſecunda, primæ & ſupremæ cauſæ eſſentialiter ſubordinata, qualis eſt equus generans, nego.

Objicies 2. Deus non concurrit immediatè cum materia & forma: ergo neque cum cauſa efficiente creata.

Reſpondeo 1. dato ant. negando conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt clara: Deus quippe non eſt materia, vel forma prima, cui materia, vel forma creata ut *ſecunda* eſſentialiter ſubordinetur; ideòque mirum non eſt, ſi materia & forma, ſive cauſa materialis & cauſa formalis, cauſent in ſuo genere independenter à Deo in eodem genere cauſæ concurrente: at Deus eſt cauſa efficiens prima, cui omnis cauſa efficiens creata ut *ſecunda* eſſentialiter ſubordinatur; & idcircò cauſa efficiens creata & ſecunda agere & effectum producere nequit, niſi Deus efficienter cum illa ſimul immediatè concurrat.

Reſpondeo 2. cum aliis, diſtinguendo ant. Deus non concurrit immediatè cum materia & forma, in genere cauſæ materialis vel formalis, concedo; munera enim materialis & formalis cauſæ, Deo repugnant, eo quòd iſtæ cauſæ ſint partes, & Deus pars eſſe nequeat: Deus non concurrit immediatè cum materia & forma in genere cauſæ efficientis, nego; Deus etenim immediatè ut prima cauſa efficiens ſimul cum cauſa efficiente ſecunda efficienter unit materiam cum forma, & formam cum materia; ſicque efficienter præſtat, ut materia, & forma, ſive ut cauſa materialis & cauſa formalis, ſuis in generibus cauſent. Unde conſeq. neganda eſt.

Obji-

Objicies 3. Deus ut ultimus finis immediatè non influit in omnes causarum secundarum actiones: ergo neque ut prima causa efficiens. Conseq. ex eo constat, quòd immediatus Dei ut ultimi finis influxus æquè patere debet ac immediatus Dei ut primæ causæ efficientis influxus. Prob. verò ant. exemplo impiorum in mortali peccato existentium; cùm enim sint aversi à Deo ut ultimo fine, ut communiter docent omnes; Deus ut ultimus finis immediatè in eorũ actiones non influit.

Respondeo negando paritatem. Hoc siquidem inter Deum ut ultimum finem, & Deum ut primam causam efficientem, interest, quòd finis non influit, sive non causat, nisi ab intellectu apprehendatur, & voluntati proponatur; ideòque ut Deus tanquam ultimus finis immediatè in actiones hominum influat, opus est planè, ut intellectus & voluntas hominum benè circa Deum ut ultimum finem se habeant: unde quia intellectus & voluntas impiorum in peccato mortali existentium, pessimè circa Deum ut ultimum finem se habent; Deus ut ultimus finis immediatè in illorum actiones per accidens non influit. At Deus ut prima causa efficiens, immediatè in actiones nostras, & in actiones atque effectus aliarum omnium causarum creatarum influit, independenter prorsùs ab intellectu & voluntate nostra; ideòque nihil impedit, ne Deus ut prima causa efficiens, in omnes actiones nostras, & in actiones atque effectus omnium causarum creatarum, immediatè semper influat.

Objicies 4. si Deus immediatè influeret in omnes causarum secundarum actiones, cùm inter illas quædam sint peccata, Deus immediatè influeret in peccata: atqui Deus immediatè non influit in peccata; alioquin reus esset peccatorum: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si Deus immediatè influeret in omnes causarum secũdarum actio-

nes, cùm inter illas quædam ſint peccata, Deus immediatè influeret in peccata *materialiter* ſumpta, & ut ſunt entitates quædam poſitivæ à Deo participatæ, concedo: Deus immediatè influeret in peccata *formaliter* accepta, id eſt, ut ſunt actiones malæ & defectuoſæ moraliter, nego. Ut autem Deus eſſet peccatorum reus, deberet immediatè in peccata *formaliter* ſumpta influere. Sed de his fusè infrà.

Articulus Quartus.

De Præmotione ſeu prædeterminatione phyſica.

§. I.

Quid ſit Præmotio ſive prædeterminatio phyſica; qui ſint, qui eam tueantur, & à quibus rejiciatur?

DEum concurrere cum cauſis ſecundis ad producendos earum effectus, ferè omnes docent Philoſophi. At an Deus *prævie* influat, celebris eſt difficultas? Influxus autem Dei dicitur hic *prævius*, non prioritate durationis vel temporis, ita ut duratione vel tempore motionem ſive actionem cauſæ ſecundæ antecedat; ſed prioritate naturæ & cauſalitatis, ea ſcilicet prioritate, qua influxus præcedit effectum, quem cauſat: *Eſt igitur influxus prævius Thomiſtarum, ſive phyſica præmotio Thomiſtica, virtus aut qualitas quædam vialis & tranſiens, à Deo impreſſa cauſæ ſecundæ, qua phyſicè atque efficaciter ad agendum, juxta modum ſuæ naturæ, movetur, applicatur, & impellitur.*

Unde quia ex Ariſtotele 4. Metaph. cap. 23, & D. Thoma 3. contra Gent. cap. 149. *Motio moventis eſt prior motione mobilis ratione & cauſalitate.*

litate; motio physica, qua causa prima movet secundam, debet esse prioritate rationis & causalitatis; seu naturæ; prior motione sive actione causæ secundæ; & ita physica causæ secundæ motio, est ipsa physica causæ secundæ præmotio, prout hic usurpatur, quia hæc præmotio non debet præcedere, nisi prioritate naturæ; unde idem est apud Thomistas, Deum *physicè præmovere causas secundas*; & *physicè eas movere atque impellere*.

Ex quo infertur, quo pacto promotio physica à concursu simultaneo, & à motione morali, discriminetur. In hoc quippè differt physica præmotio à concursu simultaneo, quòd Deus per præmotionem physicam agat immediatè in causam secundam, eam ad operandum movendo, applicando, & impellendo; per concursum verò simultaneum Deus immediatè influit, non in causam secundam, sed in ejus effectum, quem simul cum illa producit. In hoc autem discrepat præmotio physica à motione morali, quòd moraliter movens non moveat *efficienter physicè* causam, sed *objectivè* tantùm, alliciendo, suadendo, præcipiendo, deprecando, consulendo, comminando, &c. at Deus physicè præmovens, *efficienter physicè* causas secundas ad agendum movet, applicat, impellit, atque determinat. Hinc præmotio physica alio nomine, *prædeterminatio physica* sæpè nuncupatur.

Quæritur ergo, an Deus non solùm concurrat cum causis secundis necessariis ac liberis ad operandum, sed etiam physicè eas *præmoveat* aut *prædeterminet*? Negant Suarez, Vasquez, Valentia, & alii recentiores communiter. Affirmant verò Thomistæ omnes, cum quibus fœdus fecere præcipuæ orbis Academiæ, Salmanticensis, Lovaniensis, Duacensis, &c. quibus etiam junguntur Salmeronius, Toletus, Bellarminus, Pererius, Azorius, Cosmas

Alamannius, Henriquez, & alii planè innumeri. Cum quibus

Dico: Deus *phyſicè præmovet* ſeu *prædeterminat* cauſas omnes ſecundas ad agendum.

§. II.

Prob. 1. authoritate Scripturæ ſacræ.

PRimum Scripturæ teſtimonium ſumitur ex lib. Eſther c. 13. ubi hæc verba leguntur: *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* Et paulò poſt: *Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati tuæ.* Ex quo duplici teſtimonio ſic poteſt argui: Deus ſecundùm Scripturam, eum habet circa creaturas influxum, cui in ſenſu compoſito reſiſtere non valemus, ſive cum quo reſiſtentiam componere ſeu conjungere nequaquam poſſumus: atqui iſte influxus non eſt alius quàm phyſicè *prævius*: ergo &c. Ma. ex verbis in utroq; teſtimonio Scripturæ relatis patet. Prob. mi. nam In primis non eſt concurſus *ſimultaneus*; quia concurſus Dei *ſimultaneus*, juxta adverſarios, eſt de ſe quoad ſpeciem prorsùs indifferens, ita ut, v. g. neque conſenſum de ſe determinatè petat, neque diſſenſum, ſeu reſiſtentiæ motum; ſed cum alterutro, ad placitum creaturæ, componi queat: influxus ergo Dei, cum quo reſiſtentiam ſeu diſſenſum componere minimè poſſumus, non eſt concurſus *ſimultaneus*. Non eſt etiam motio moralis; clarum enim eſt, me cum motione morali, id eſt, cum allicientia, ſuaſione, præcepto, deprecatione, conſilio, comminatione, &c. reſiſtentiam aut diſſenſum poſſe componere: ſupereſt ergo, ut influxus Dei, cum quo reſiſtentiam componere non valemus, ſit phyſicè prævius, ſeu *præmotio phyſica*; neque etenim influxus Dei circa cauſas ſecundas alius eſſe poteſt, præter influxum *phyſicè prævium*, ſeu *præmotionem phyſicam*, concurſum *ſimultaneum*, & motionem moralem.

Se-

Secundum testimonium colligitur ex Isajæ 10. cap. ubi asserit Deus, se movisse cor aut voluntatem Sennacherib Regis Assyriorum, ut artifex suam securim, & manus virgam, vel baculum movet: verba Dei sunt hæc: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea; aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur; quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est?* Quis autem inficiabitur, securim ab artifice, & virgam aut baculum à manu, non physicè præmoveri, id est, physicè ad agendum non applicari & impelli? Verba verò illa Scripturæ non sic sunt intelligenda, ut creaturæ sint pura Dei instrumenta, id quippe apertè falsum est; sed sic sunt exponenda, ut quemadmodùm artifex & manus hominis motione physica & ab intrinseco efficaci securim, virgam, & baculum, ad operandum movent, applicant, & impellunt; ita & Deus creaturas.

Tertium testimonium desumitur ex Proverb. cap. 21. ubi ista inveniuntur verba: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*: unde sicut agricola aquarum rivulos per agros sine vi derivat, eos vel coercendo, vel physicè impellendo, prout placet; ita Deus habet in manu corda vel voluntates hominum, quas absque ulla vi vel necessitate ipsis imposita, vel cohibere, vel physicè inclinare potest, ut vult.

Denique accedit celebris authoritas D. Pauli ad Philipens. 2. *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate*. Quæ verba in primis intelligi nequeunt de motione morali, cùm ista motio nihil propriè & simpliciter per se operetur, sed duntaxat agens ad operandum invitet. Neque etiam de concursu simultaneo licet ea intelligere; quia Deus per concursum simul-

taneum non operatur *in nobis*, ſed *cum nobis*: ſupereſt ergo, ut intelligantur verba illa de *præmotione phyſica*, qua Deus intùs in voluntate operatur *velle*, voluntatem ad volendum efficaciter movendo, applicando, & determinando.

§. III.

Prob. 2. authoritate Concilii Tridentini.

IN ſacra igitur Synodo Tridentina die 13. Januarii ann. 1547. ſeſſ. 6. can. 4. contra Lutherum & Calvinum eſt definitum, *liberum arbitrium motum & excitatum à Deo poſſe diſſentire, ſi velit*. Definit itaque Tridentinum Concilium, motionem Dei in libero hominum arbitrio (de qua erat controverſia inter Catholicos, & Lutheri atque Calvini ſectatores, an tolleret libertatem) cohærere cum libertate; ita ut liberum arbitrium ea motione à Deo excitatum, poſſit diſſentire, ſi velit: hæc autem motio non eſt concurſus ſimultaneus, neque motio moralis, cùm nulla tunc eſſet controverſia, an concurſus ſimultaneus, vel motio moralis, auferret libertatem? Eſt ergo *motio* ſive *præmotio phyſica*: de qua non mediocris ſemper fuit difficultas, an læderet libertatem.

Reſpondent primò aliqui, Concilium ibi loqui de Dei gratia movente, quoad exiſtentiam, non verò quoad quidditatem; adeò ut definiat quidem, Dei gratiam moventem exiſtere, eſſeque ab omnibus fidelibus admittendam: non doceat tamen, quid ipſa ſit; neque aſſerat, eſſe quidditativè qualitatem libero hominum arbitrio impreſſam, qua phyſicè ad agendum *præmoveatur*, applicetur, & impellatur.

Sed

Sed contra sic argumentor : Concilium ibi agit contra Lutheranos & Calvinistas; ut legenti patebit : Dei gratiam verò moventem existere negarunt quidem Pelagiani, non tamen Lutherani vel Calvinistæ; qui quidem Hæretici circa divinæ gratiæ moventis quidditatem essentiamve solùm erraunt.

Respondent 2. alii, Concilium nomine motionis divinæ intelligere concursum Dei simultaneum. Sed hæc adversariorum responsio verbis Concilii violenta est : nam loquitur sancta Synodus de motione, qua Deus excitat liberum hominis arbitrium; per concursum autem simultaneum Deus non excitat arbitrium, sed cum ipso duntaxat simul concurrit.

Respondent 3. alii, Concilium loqui de motione morali, qua Deus hominem libero arbitrio utentem objectivè ad agendum movet. Sed contra sic argumentor : Concilium ibi sermonem habet de motione illa Dei, de qua erat gravissima difficultas inter Catholicos & hujus temporis hæreticos, an læderet arbitrii libertatem, auferendo potentiam ad dissensum; quæ ut dirimeretur, opus erat speciali Concilii definitione : nulla autem, apud homines sanæ mentis, controversia fuit, aut esse potuit an motio moralis hominem objectivè ad agendum alliciens, ejus officeret libertati.

Respondent 4. alii, Concilium verba facere de Dei motione in communi, abstrahendo ab hoc, quòd physica, vel moralis, ipsa sit. Sed contra sic argumentor : differere de rebus in communi, abstrahendo à particularibus, proprium scholasticorum est, non verò Conciliorum : non ergo Concilium Tridentinum in definitione allata loquitur de Dei motione in communi, abstrahendo ab hoc, quòd physica, vel moralis, ipsa sit.

Respondent tandem alii, Concilium non loqui de motione divina determinatè & in particulari;

sed indeterminatè & quam in communi, qualiscumque tandem sit. Sed contra sic argumentor: Concilium ibi decidit controversiam, quæ erat inter Catholicos, & hujus temporis Hæreticos, circa Dei motionem: circa motionem verò Dei indeterminatè & in communi nulla unquam fuit inter illos quæstio, nullave controversia. Sanctissima Synodus fidei dogma condit, de modo, quo Deus nostrum arbitrium movet excitatve: in omni autem fidei dogmate veritas determinata in particulari à fidelibus credenda proponitur.

§. IV.

Prob. 3. authoritate Catechismi ex Decreto Concilii Tridentini & Beati Pii Quinti Pontif. Max. jussu editi.

CAtechismus ergo ille 1. par. nu. 23. hæc habet: *Non solùm autem Deus universa quæ sunt, providentia sua tuetur atque administrat; verùm etiam, quæ moventur & aliquid agunt, intima virtute ad motum atque ad actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, prævenit tamen; cùm ejus occultissima vis ad singula pertingat, & quemadmodum Sapiens testatur, attingat à fine ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter: quare ab Apostolo dictum est, cùm apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longè est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Virtus verò Dei, causis secundis intima, ipsas ad motum & ad actionem impellens, atque earum efficientiam præveniens, non potest non esse ipsissima Thomistarum *præmotio*, sive *prædeterminatio physica*, cùm revera nomine *præmotionis*, seu *prædeterminationis physicæ*, nihil aliud intelligant Thomistæ.

Ref-

Respondent 1. Adversarii, Catechismum illum non esse tantæ authoritatis, utpotè quem composuerunt ipsi Patres Ordinis Prædicatorum; nempe Leonardus de Marinis Genuensis, Archiepiscopus Lancianensis; Ægidius Fuscararius Bononiensis, Episcopus Mutinensis; Franciscus Forerius Olysiponensis, Regis Lusitaniæ in Concilio Tridentino Theologus, & ejusdem Concilii Secretarius; approbaveritque Beatus Pius V. ex eodem Ordine Pontifex assumptus.

Sed hanc responsionem esse planè temerariam, ex eo colligitur, quòd ex præfatione Delrii è Societate Jesu ad lib. Disquisit. Magic. jussu Summi Pontificis expuncta est. Deinde, falsum est, Catechismum illum fuisse à solis Patribus Ordinis Prædicatorum compositum; nam etiam circa idem opus collaborarunt Cardinalis Seripandus Ordinis Eremitarum D. Augustini, Michael Medina Ordinis FF. Minorum, Petrus Galesinus, Julius Spogianus, & alii plures Theologi celebres; ut refertur Prologo secundo ejusdem Catechismi.

Præterea Catechismus citatus, fuit approbatus non tantùm à B. Pio V. sed etiam à Gregorio XIII. ann. 1583. Approbatus est quoque in Synodo Mediolanensi 1. 2. 3. 4. & 5. in Synodo Beneventana anno 1567. in Synodo Ravennate anno 1568. in Synodo Salisburgensi anno 1569. in Synodo Genuensi anno 1574. in Synodo Rothomagensi anno 1581. in Synodo Burdegalensi anno 1582. in Synodo Turonensi anno 1583. in Synodo Rhemensi eodem anno, in Synodo Aquensi anno 1585. in Synodo Tolosana anno 1590. in Synodo Avenionensi anno 1594. in Synodo Aquilejensi anno 1586. Approbatus denique fuit à Clero totius Galliæ in Conventu Melodunensi anno 1579. Considerent velim Adversarii; num sit parvi pendendum testimonium Catechismi, duorum Summorum Pontificum, & tot Synodorum authoritate firmati? Addi posset, quòd Catechismus

præcepto, & alio ſimili modo, *de ſe* non eſt efficax, cùm poſſimus ipſi reſiſtere vel diſſentire in ſenſu compoſito, componendo cum illa reſiſtentiam vel diſſenſum: ſupereſt ergo, ut illæ vires efficaciſſimæ ſint ipſæ *præmotiones phyſicæ*.

§. VI.

Prob. 5. authoritate D. Thomæ.

ANgelicus Doctor ita perpetuus eſt in noſtra ſententia, ut nefas videatur de illius mente hac in parte dubitare: & ut brevitatis gratia, plura ejus, imò innumera, omittam teſtimonia, tria tantùm, ſed urgentiora, afferenda putavi. Primum ſumitur ex qu. 3. de potentia art. 7. ubi ſic ait: *Tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, inquantùm movet ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem; ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipſum.* Et paulò poſt, hæc iterum ſcribit: *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, inquantùm dat virtutem agendi, inquantùm conſervat eam, & inquantùm applicat actioni, & inquantùm ejus virtute omnis alia virtus agit.* Et tandem ibidem in reſponſione ad 7. ſic fatur: *Id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Quod his iterum exprimit verbis: *Unde ſicut patet, quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione divina.* Hactenùs loquitur D. Thomas.

Docet ergo ſantiſſimus Præceptor, in primis, Deum eſſe cauſam actionis cujuslibet cauſæ ſecundæ, inquantùm dat ei virtutem agendi, in-

quan-

quantùm hanc virtutem conservat, & inquantùm eam applicat actioni; eo simili modo, quo homo est causa incisionis cultelli, ex hoc, quòd acumen cultelli ad incidendum applicat, movendo ipsum. Potestne luculentiùs exprimi, & clarioribus coloribus depingi *physica divinaque præmotio?*

Sed pergit Angelicus Doctor dicendo, Deum producere in causa secunda aliquid intrinsecè in ea receptum, quod habeat *esse incompletum*, id est, *esse transiens & viale*, quo ad actualiter agendum applicatur. Quod explicat exemplo instrumenti artificis, quod non operatur, nisi ab artifice recipiat virtutem aliquam transeuntem & vialem, qua ad operandum applicetur. Sicut ergo perspicuum est, artificem physicè præmovere, sive applicare & impellere instrumentum suum ad operandum, quatenùs in eo efficit virtutem transeuntem & vialem, qua physicè ad operandum movetur, applicatur, & impellitur: sic etiam in sententia D. Thomæ clarum esse debet, Deum physicè causas secundas præmovere, quia Deus (ea in sententia) producit in causis secundis similem virtutem, qua physicè ad agendum moventur, applicantur, & impelluntur.

Hoc D. Thomæ testimonio convictus Suarez disp. 22. Metaph. sect. 2. numero 52. ingenuè fatetur, S. Doctorem *q. citata de potentia*, præmotionem physicam admisisse; *sed*, inquit, *illam deinceps retractavit, dum in Summa Theologica 1. p. q. 105. a. 5. in corpore articuli absolutè non dicit, Deum applicare causas secundas, sicut dixerat q. laudata de potentia; sed quasi applicare causas secundas.*

Sed mirum est, Suarez asserere, D. Thomam eo in loco præmotionem retractasse, in quo diserte eam tradit: hæc itaque sunt ipsa S. Doctoris verba, quæ 1. part. q. 105. art. 5. ita scripta leguntur: *Si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam*

pri-

primum agens movet ſecundum ad agendum; & ſecundùm hoc, omnia agunt in virtute ipſius Dei: & paulò poſt, ſic iterum loquitur: *Conſiderandum eſt, quòd Deus movet res ad operandum, quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* Hæc D. Thomas. Conſtat autem, artificem applicare ſecurim ad ſcindendum, phyſicè eam præmovendo atque impellendo.

Nec obſtat, quòd D. Thomas utatur hac particula, *quaſi*; non enim ea utitur *diminutivè*, ſed *explicativè*, ad explicandum nempè modus, quo Deus cauſas ſecundas & earum formas ac virtutes ad operationem movet; ſicut dum Joan. 1. dicitur: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre*: vox illa *quaſi*, non uſurpatur *diminutivè*, ſed *explicativè*; ad explicandum ſcilicet modum, quo Verbum incarnatum in tempore, à Deo ab æterno procedit, videlicet ad modum Unigeniti à Patre.

Cæterùm ſi D. Thomas in corpore articuli citati abſolutè non dicit, Deum applicare cauſas ſecundas ad agendum: id tamen abſolutè aſſerit in reſponſione ad 3. ubi hæc habet: *Ad tertium dicendum, quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum.* Verior ſanè & ſincerior fuiſſet Suaris reſponſio, ſi dixiſſet cum Collegio Conimbricenſi 2. Phyſic. cap. 7. q. 13. a. 1. D. Thomam non ſolùm *q. citata de potentia*, ſed etiam 1. p. q. 105. art. 5. & aliis in locis *phyſicam præmotionem docuiſſe*.

Dices: ſi ex comparatione à D. Thoma facta, Deus movet omnia agentia ſecunda ad operandum, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum; ſequitur, omnia agentia ſecunda eſſe inſtrumenta: unde quia inſtrumentum omnis libertatis expers eſt, nullum agens ſecundum eſt liberum; quod omninò falſum eſt.

Sed

Sed contra; dum à D. Thoma aliisque Authoribus, agentia secunda cum instrumentis nonnunquam comparantur, comparatio intelligenda est, salva agentium secundorum natura; alioquin non esset comparatio, sed destructio: inter agentia autem secunda, quædam sunt ex sua natura & conditione libera. Unde in allata D. Thomæ collatione vult tantùm S. Doctor, quòd sicuti securis aliaque physica instrumenta physicè à causis principalibus præmoventur, applicantur, & impelluntur ad agendum; ita & agentia secunda à primo, salva tamen agentium secundorum natura & conditione; adeò ut quædam, licèt à Deo physicè præmota, sub judicio tamen indifferenti intellectus, & electione voluntatis, liberè operentur; in quo operandi modo, à puris instrumentis discriminantur, quæ agunt ex impetu naturæ.

Secundum testimonium colligitur ex 1. 2. qu. 10. a. 4. ad 3. ubi hæc verba leguntur: *Ad tertium dicendum, quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moveatur, id est, illud non agat.* Quibus verbis apertè docet, motionem Dei in voluntatem creatam esse ab intrinseco efficacem, ita ut ei resistere in sensu composito nequaquam possit; quod de concursu *simultaneo*, vel de motione morali, dici non potest, sed de sola *præmotione physica*; ut ex dictis & probatis liquet.

Tertium testimonium desumitur ex q. 22. de verit. a. 8. ad 9. *Deus*, inquit, *transfert voluntatem ab uno actu ad alium, eam interiùs immutando, & in illam per modum agentis directè agendo.* Quæ verba intelligi nequeunt de concursu *simultaneo*; quia Deus per concursum *simultaneum* directè non agit in causam secundam, sed in ejus effectum, simul cum ipsa causa secunda concurrendo. Insuper verba illa intelligi non possunt de motione morali, quia movens moraliter causam efficientem ad agendum, immediatè & directè

in eam non agit, ſed duntaxat mediatè, indirectè, & objectivè, nempè per propoſitionem objecti, ut explicari ſolet: ſupereſt ergo, ut verba allata ex S. Doctore de *phyſica præmotione* intelligantur, qua Deus directè & immediatè agit in voluntatem creatam, & in quamcumque aliam cauſam ſecundam, phyſicè eam applicando & impellendo ad actum, vel ab uno actu ad alium transferendo, & ipſam interiùs immutando.

§. VII.

Prob. 6. authoritate Ariſtotelis.

ARiſtoteles lib. 8. Phyſic. cap. 5. textu 33. ad explanandam ſubordinationem cauſarum ſecundarum ad primam, ſic loquitur: *Virumque igitur movere dicimus, primum & ultimum movencium, ſed magis primum; iſtud enim movet ultimum, ſed non hoc primum; & ſine primo quidem ultimum non movebit, illud autem ſine hoc, ut baculus movebit, non movente homine.* Quibus verbis *præmotionem phyſicam* luculenter exprimit. Docet namque, primum motorem movere ſecundum, id eſt, primam cauſam movere ſecundam, eo ſimili modo, quo homo manu movet baculum; hominem verò phyſicè non præmovere, applicare & impellere manu baculum, quis, niſi cæcus aut protervus, inficiabitur?

Urgetur magis: Dum Ariſtoteles aſſerit, primum motorem movere ſecundum, non loquitur de motione morali; ſermonem enim habet de motione, qua primus motor, ſeu prima cauſa, omnes ſecundas movet cauſas; proindèque loquitur de motione omnibus cauſis ſecundis communi: ut autem ſuprà oſtenſum eſt, motio moralis non eſt cauſis omnibus communis, ſed convenit ſolis cauſis cognitione præditis.

Præterea dici non poteſt cum Adverſariis, Ariſto-

stotelem loqui de solo concursu *simultaneo*; alioquin inepto uteretur exemplo, quandoquidem homo manu non tantùm simul cum baculo concurrit, sed etiam physicè ipsum præmovet, applicat, & impellit, ut modò dictum est; congruentiori sanè usus fuisset exemplo, si dixisset, primum motorem movere secundum, sicut ex duobus hominibus eandem navim simul trahentibus, unus alium movet; quo tamen exemplo, aut alio simili, minimè utitur.

§. VIII.

Prob. 7. ratione generali.

HAnc rationem tradit Angelicus Doctor 1. p. q. 105. art. 5. in corpore articuli his verbis: *Si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam primum agens movet secundum ad agendum; & secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei.* Eadem vel similia repetit verba innumeris in locis. Ex quibus

Sic argumentor: sicut omne ens creatum & secundum essentialiter subordinatur, quantùm ad *esse*, enti primo & increato; ita omnis causa efficiens creata & secunda subordinatur essentialiter, quantùm ad operationem, causæ efficienti primæ & increatæ: atqui ut omnis causa efficiens creata & secunda subordinetur essentialiter, quantùm ad operationem, causæ efficienti primæ & increatæ, non sufficit *simultaneus* causæ efficientis primæ & increatæ concursus, vel moralis motio; sed requiritur *physica præmotio*: ergo &c. Maj. certa est & manifesta. Prob. minor; & primò, simultaneus concursus satis non est: nam si, ut una causa efficiens propriè, quantùm ad operationem, subordinaretur alteri, sat esset, ut ad operandum, alterius concursu simultaneo ipsa indigeret; sequeretur, ut dum duo

ho-

homines portant idem pondus, ad quod portandum neuter ſufficeret; unus, circa ponderis portationem, propriè ſubordinaretur alteri; quandoquidem unus ad portandum pondus indigeret alterius concurſu ſimultaneo: eſt autem inauditum, quòd ex duobus hominibus idem pondus portantibus, unus propriè ſuordinetur alteri; ſubordinatio quippe propriè dicta non eſt, niſi inferioris ad ſuperius; ideòque una efficiens cauſa propriè non ſubordinatur alteri, niſi una ſit ſuperior, & inferior altera: neceſsè verò non eſt, ut ex duobus hominibus idem pondus portantibus, unus ſit ſuperior, & alter inferior; ſed poſſunt ambo ex æquo pondus illud portare.

Præterea ut omnis cauſa efficiens creata & ſecunda ſubordinetur eſſentialiter, quātùm ad operationem, cauſæ efficienti primæ & increatæ, non ſufficit moralis motio; id enim quo omnes cauſæ efficientes ſecundæ ſubordinantur eſſentialiter, quantùm ad operationem, cauſæ efficienti primæ, debet eſſe omnibus cauſis ſecundis commune; ut autem ex dictis liquet, moralis motio cauſis ſecundis ratione carentibus non convenit; proindèque iſtæ cauſæ, quantùm ad operationem, eſſentialiter primæ cauſæ non ſubordinarentur; quod prorsùs abſurdum eſt: ſi verò, ut cauſæ efficientes, quantum ad operationem, eſſentialiter ſubordinentur primæ efficienti cauſæ, non ſufficit ſimultaneus concurſus, ſicut nec moralis motio; perſpicuum eſt, ad hoc neceſſariam eſſe *præmotionem phyſicam*.

Res clarior fiet exemplis. Idcò, quando duo homines portant idem pondus, unus propriè non ſubordinatur alteri, quia unus alium phyſicè non præmovet, ſed duntaxat ſimul cum illo ad portandum pondus concurrit: idcircò verò è contra in horologio rota inferior propriè ſubordinatur ſuperiori, quia rota ſuperior non tantùm ſimul cum inferiori concurrit, ſed etiam inferiorem ad actionem phyſicè præmovet, id eſt,

phy-

physicè ad motum applicat & impellit : ergo ut una causa propriè subordinetur alteri, necesse est, ut una physicè aliam ad actionem præmoveat, applicet, & impellat; subindèque ut causæ secundæ propriè subordinentur primæ, est necesse, ut à prima causa ad operationem physicè præmoveantur, applicentur, & impellantur.

§. IX.

Prob. 8. alia ratione generali.

ISTam rationem tradit etiam Angelicus Doctor in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. his verbis: *Non potest vitari, quin voluntas humana esset primum agens, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam.* Idem docet q. 27. de verit. art. 6. & alibi. Ex qua doctrina sic potest argui: primum agens debet præmovere secundum : atqui Deus est primum agens, & omnis causa creata est secundum agens : ergo &c. Min. certa est : sicut enim Deus est primum ens, ita est primum agens, & prima causa. Prob. maj. primum agens debet priùs agere, quàm secundum ; quod etenim primum est, debet esse prius secundo: atqui primum agens non agit priùs quàm secundum, nisi primum agens præmoveat secundum : ergo &c. Prob. min. nam per concursum simultaneum, primum agens non agit priùs, sed simul ; inde enim concursus ille, *simultaneus* nuncupatur : superest igitur, ut primum agens agat priùs per *prævium influxum*, seu per *præmotionem physicam* ; ideòque primum agens non ageret priùs, nisi secundum *physice præmoveret*.

Respondent Adversarii, primum agens agere priùs prioritate dignitatis, ac universalitatis, & subsistendi vel existendi consequentiæ ;

qua-

quatenus primum agens dignius eſt & univerſalius, poteſtque agere ſine ſecundo, non tamen ſecundum ſine primo : at negant primum agens agere priùs prioritate cauſalitatis & influxus, ita ut priuſquam agens ſecundum agat, debeat in ipſum influere, aut in eo cauſare virtutem vel qualitatem aliquam, qua phyſicè ad agendum præmoveatur, applicetur & impellatur.

Sed contra ſic argumentor : ut Deus dicatur ſpecialiter primum agens, id eſt, ut Deus ſpecialiter in genere agentis, ſive in genere cauſæ efficientis, primum obtineat locum, debet agere priùs, ea prioritate, quæ generi agentis, aut cauſæ efficientis, eſt ſpecialis vel propria : atqui prioritas dignitatis, univerſalitatis, & ſubſiſtendi aut exiſtendi conſequentiæ, non eſt generi agentis, vel cauſæ efficientis, propria; quandoquidem Deus, etiam in genere entis, eſt prior prioritate dignitatis, univerſalitatis, & ſubſiſtendi aut exiſtendi conſequentiæ; Deus etenim eſt ens dignius ente ſecundo & creato, ut patet; eſt etiam ens univerſalius, imò univerſaliſſimum, quia eminenter continet totam univerſalitatem entis; poteſtque eſſe vel ſubſiſtere ſine ente ſecundo & creato; non tamen ens ſecundum abſque primo : prioritas verò cauſalitatis effectivæ, ſive influxus effectivi, eſt generi agentis ſeu cauſæ efficientis planè propria; ut evidens eſt : ergo &c.

§. X.

§. X.

Prob. 9. alia etiam ratione generali.

TRaditur hæc ratio à D. Thoma 1. 2. quæst. 79. art. 2. ubi hæc scribit: *Omnis actio causatur ab aliquo, quod est in actu; quia nihil agit, nisi secundùm quod est in actu: omne autem ens in actu reducitur in primum actum, scilicet in Deum, qui est per suam essentiam actus; unde relinquitur, quod Deus est causa omnis actionis, inquantùm actio est.* Ex quibus verbis sic potest argui.

Debet admitti influxus, quo Deus causet actionem causæ secundæ, ut actio est: atqui iste influxus est ipsa *præmotio physica*: ergo &c. Major est in primis D. Thomæ doctrina; & præterea colligitur ex his, quæ *art.* 2. dicta sunt & probata; ostensum enim ibi est, actionem cujuslibet causæ secundæ, ut actio est, esse aliquid positivum, realiter ab ipsa causa secunda, sive ab agente, patiente, & termino, distinctum; unde cùm non sit aliquid increatum (solus quippe Deus est increatus) debet esse aliquid à Deo creatum, sive causatum; proindèque admitti debet influxus, quo Deus causet actionem causæ secundæ, ut actio est. Prob. autem min. influxus ille, quo Deus causat actionem causæ secundæ, ut actio est, non est concursus simultaneus; per concursum quippe simultaneum (ut ipse ab omnibus explicatur) Deus actionem causæ secundæ non causat, sed solùm simul cum illa producit effectum causæ secundæ: præterea concursus ille non est motio moralis; alioquin Deus actiones causarum secundarum, quæ cognitione carent, non causaret, cùm hujusmodi causæ non sint motionis moralis capaces: superest ergo, ut præfatus influxus,

quo Deus cauſat actionem cauſæ ſecundæ, ut actio eſt, ſit ipſa *præmotio phyſica*.

Dices: actio cauſæ ſecundæ cauſatur à Deo & à cauſa ſecunda ſimul ad ipſam concurrentibus: ergo actionem cauſæ ſecundæ cauſat Deus per concurſum ſimultaneum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. Actio cauſæ ſecundæ cauſatur à Deo & à cauſa ſecunda ſimul ad ipſam concurrentibus: ſi actio cauſæ ſecundæ conſideretur, ut eſt ſuo modo aliquis effectus, ſimul à Deo & à cauſa ſecunda productus, concedo: ſi actio cauſæ ſecundæ accipiatur, ut eſt actio, qua ipſa cauſa ſecunda formaliter in actu ſecundo conſtituitur, nego; ſic enim accepta non eſt à Deo ſimul cum cauſa ſecunda concurrente, ſed eſt à Deo phyſicè cauſam ſecundam ad agendum in actu ſecundo præmovente, applicante, & impellente.

§. XI.

Prob. 10. *ratione ſpeciali pro cauſis contingentibus & liberis.*

SUmitur hæc ratio ex D. Thoma 1. p. quæſt. 19. art. 3. ad 5. *Cauſa*, inquit, *quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*. Idem docet 2. Phyſic. Lect. 8. & alibi ſæpè. Ex qua doctrina hoc colligo argumentum.

Per prædeterminationem phyſicam determinatur, quoad ſpeciem actus, cauſa contingens & libera: ergo prædeterminatio phyſica datur. Prob. ant. & explicatur: cauſa contingens & libera, eſt ad ſpeciem actus, v. g. ad aſſenſum potiùs quàm ad diſſenſum, ad amorem potiùs quàm ad odium, *ex ſe* planè indifferens: oportet igitur, ut ab aliquo alio ad ſpeciem actus determinetur: hoc autem aliud, quo cauſa contingens & libera ad ſpeciem actus determinatur, non eſt niſi

nisi *physica prædeterminatio*: nam vel est actio ipsius causæ contingentis liberæ, vel est simultaneus concursus, vel motio moralis, vel tandem *prædeterminatio physica*: atqui non est actio causæ secundæ contingentis & liberæ; non est etiam concursus simultaneus; non est quoque sola motio moralis: ergo superest, ut sit *prædeterminatio physica*.

Prob. mi. per singulas partes. Et in primis causa contingens & libera per actionem suam non determinatur ad speciem actus, quia priùs priorítate saltem naturæ, quàm causa contingens & libera suam eliciat actionem, v. g. assensum potiùs quàm dissensum, amorem potiùs quàm odium, debet esse quoad speciem actus determinata; v. g. determinata esse debet ad assensum potiùs quàm ad dissensum, ad amorem potiùs quàm ad odium; alioquin nulla erit ratio, quare eliciat assensum potiùs quàm dissensum, amorem potiùs quàm odium, &c.

Præterea causa contingens ac libera, per simultaneum concursum non determinatur ad speciem actus; per illud enim causa contingens & libera ad speciem actus non determinatur, quod ad speciem actus est indeterminatum, aut indifferens: atqui, etiam juxta Adversarios, concursus simultaneus est ad speciem actus *de se* indeterminatus aut indifferens; quamobrem docent ipsi Adversarii, hunc concursum à causa secunda ad speciem actus determinari: ergo &c.

Insuper causa contingens ac libera per solam motionem moralem non determinatur sufficiēter ad speciem actus; quia cùm causa secunda contingens & libera sit *ex se* intrinsecè indifferens & indeterminata ad speciem actus, debet intrinsecè ad speciem actus determinari, antequam ponat actum unius speciei, potiùs quàm alterius; per motionem verò moralem nequit intrinsecè determinari, quia motio moralis fit per pro-

poſitionem objecti extrinſeci, quod intrinſecè determinare non poteſt, cùm ſit extrinſecum: ſupereſt ergo, ut cauſa ſecunda contingens ac libera, per prædeterminationem phyſicam ad ſpeciem actus intrinſecè determinetur.

Reſpondent 1. Adverſarii cum Suarez, cauſam ſecundam contingentem & liberam, ſive voluntatem creatam, propter eminentiam ſuæ virtutis, & propter ſuam libertatem, atque perfectum in actus ſuos dominium, eſſe virtualiter ad ſpeciem actus determinatam; ita ut poſſit ſe per virtutem ſuam liberam, & eminenter in actus ſuos dominantem, ad ſpeciem actus determinare, abſque eo, quòd prævièà Deo determinetur.

Sed contra: quamvis voluntas creata per virtutem ſuam liberam, & eminenter in actus ſuos dominantem, poſſit ſe ad ſpeciem actus determinare; non tamen abſque determinatione prævia à Deo profluente: licèt enim voluntas creata virtutem habeat liberam, & eminenter in actus ſuos dominantem, nequit tamen ſe ad ſpeciem actus determinare, abſque ſubordinatione ad primam cauſam liberam; hæc autem ſubordinatio conſtare non poteſt, niſi ipſa voluntas creata prævièà Deo, ſive à cauſa prima libera, determinetur ad ſpeciem actus; quia ut demonſtratum eſt §. 7. ad hoc ut cauſa ſecunda quantùm ad actionem ſuam ſubordinetur primæ cauſæ, non eſt ſatis, ut prima cauſa concurrat cum ſecunda; ſed omninò neceſsè eſt, ut cauſa prima prævièin ſecundam influat, ipſam præmovendo, applicando, & impellendo; unde cùm formalis determinatio voluntatis creatæ ad ſpeciem actus, ſit quædam ejus actio, ut certum eſt; ad hoc ut voluntas creata in ſua determinatione formali ad ſpeciem actus, ſubordinetur primæ cauſæ liberæ, minimè ſufficit, ut prima cauſa libera ſimul concurrat cum voluntate creata; ſed eſt neceſsè, ut cauſa prima libe-

libera prævie in voluntatem creatam influat, ipsam ad formalem determinationem, quoad speciem actus præmovendo, applicando, & impellendo, proindeque & determinando.

Respondent 2. causam secundam contingentem & liberam esse *ex se* ad speciem actus indifferentem: at non indifferentia *passiva*, ita ut indigeat ab alia superiori causa passivè & prævie determinari; sed indifferentia *activa* atque dominii, *qua* potest activè se ad actum hujus vel illius speciei determinare, cum dominio in suum actum. Verùm hæc responsio à præcedenti non differt; unde eodem modo est impugnanda.

Respondent 3. causam secundam contingentem & liberam determinari ab objecto ad speciem actus. Sed hæc responsio jam suprà impugnata est satis: nam causa secunda contingens & libera est *ex se* intrinsecè indifferens & indeterminata ad speciem actus, proindeque debet intrinsecè ad speciem actus determinari, antequam exeat in actum unius speciei potiùs, quàm alterius; ab objecto autem nequit intrinsecè determinari, quia secundùm communem Philosophorum explicandi modum, objectum est quid extrinsecum ei, cujus est objectum.

Respondent 4. Deum motione & determinatione quadam generali movere & determinare voluntatem creatam ad amandum bonum in communi, ex qua motione & determinatione generali, potest voluntas creata, inquiunt, se ipsam ad bonorum particularium volitionem per consilium & deliberationem movere & determinare, absque eo, quòd prævia motione & determinatione à Deo ad illam moveatur ac determinetur.

Sed contra 1. quamvis voluntas creata per motionem & determinationem generalem, sive per inclinationem à Deo ut authore naturæ inditam,

ſit ad volitionem & ad amorem boni in communi propenſa & determinata, adhuc tamen eſt de ſe intrinſecè indifferens & indeterminata ad volitionem vel nolitionem cujuslibet boni particularis; ut quotidiana probat experientia: ergo alia iterum indiget motione & determinatione, qua ad volitionem bonorum particularium, potiùs quàm ad eorum nolitionem, intrinſecè moveatur ac determinetur.

2. Licèt ſuppoſita motione & determinatione generali voluntatis creatæ ad volitionem & ad amorem boni in communi, ipſa voluntas creata ad bonorum particularium volitionem per conſilium & deliberationem ſe moveat ac determinet; non tamen abſque ſubordinatione ad primam cauſam liberam; quæ ſubordinatio ſtare non poteſt, niſi voluntas creata prævièà Deo, ſive à cauſa prima libera, moveatur & determinetur: ut ſuprà probatum eſt.

§. XII.

Satisfit Adverſariorum objectis ex Scripturæ ſacræ & Sanctorum Patrum authoritate deſumptis.

OBjiciunt 1. Adverſarii quaſdam Scripturæ ſacræ authoritates, quæ primo aſpectu videntur noſtræ concluſioni contrariæ. In primis ergo Eccleſiaſtici 15. cap. ſic legitur: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui; adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Joſue 24. hæc etiam verba leguntur: *Optio vobis datur, eligite quod vobis placet.* Quo etiam modo ſæpè aliis in locis loquitur Scriptura. Si enim Deus ab æterno abſolutè decrevit, hominem,

nem, independenter ab ejus consilio & electione, ad hunc actum prævio *physicè* determinare, reipsaque in tempore prædeterminet; quonam modo vera esse possunt allata Scripturæ verba?

Respondeo, Deum ab initio constituisse hominem, & reliquisse illum in manu consilii sui cum subordinatione ad Deum ipsum; hæc verò subordinatio petit, ut licèt homo ex consilio & deliberatione eligat quod ipsi placuerit, non eligat tamen ut supremus dominus, & primum liberum, sed ut secundus dominus, & secundum liberum, ex impulsu Dei ipsum ad consilium, deliberationem, & electionem physicè applicantis & prædeterminantis.

Instant Adversarii, ex sententia Thomistarum inferri, frustrà esse exhortationes, mandata vel præcepta, & comminationes; id enim, inquiunt, solum nobis relinquitur faciendum, ad quod voluntas physicè prædeterminatur. Quis non possit secum id cogitare, & Deum ita compellare: Tu mihi præcipis amorem, tu præmia amanti polliceris, & ad contrarium me determinas? Quomodo mihi datur optio, aut eligendi potestas, si aliunde meæ voluntati prædeterminatio accedat? Eò me impelle, aut predetermina, quò tu me ferri præcipis; cur pœnas subeam, propter electionem, quæ à me non pendet?

Adduntque, frustrà quoque, nec justè in Scripturis Deum de peccatoribus conqueri; Isajæ 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Reipsa namque, si vera sit Thomistarum sententia, est aliquid quod debeat Deus facere vineæ suæ, & non fecit; supposito enim, quòd vellet Deus peccatores ad observanda præcepta obligare, debebat eis præmotionem physicam dare, cùm sine illa præmotione, præcepta observare non possent.

Hæc tamen vana sunt, & facilè solvuntur. Cùm

enim ſoleat Deus præbere omnibus, etiam malis ac peccatoribus, auxilium ſufficiens, quo proximè poſſunt ſupernaturale bonum facere, & mandata vel præcepta etiam ſupernaturalia obſervare, atque malum fugere; meritò fiunt exhortationes, quibus non tantùm boni & juſti, ſed etiam mali ac peccatores, ad bonum ſupernaturale excitentur. Meritò quoque mandata vel præcepta, etiam ſupernaturalia, à Deo fiunt; quia legem obſervare valenti juſtè lex imponitur.

Denique meritò fiunt comminationes, quibus mali ac peccatores à malo, quod vitare poſſunt, deterreantur. Dum verò ajunt Adverſarii, quòd id ſolùm nobis relinquatur faciendum, ad quod voluntas phyſicè prædeterminatur; hoc nego: quantumvis etenim voluntas phyſicè ad amorem prædeterminetur, ſimpliciter tamen poteſt oppoſitum facere, ſeu odium ponere, vel non amare; licèt non poſſit illud cum prædeterminatione ad amorem componere.

Neque poteſt quis juſtè ſecum id cogitare, & Deum ita compellare: Tu mihi præcipis amorem, tu præmia amanti polliceris, & ad contrarium me determinas? Tum quia ad contrarium, id eſt, ad odium Dei, vel proximi, quoad *formale* ſive quoad malitiam moralem, Deus non determinat; ſed dumtaxat ad illud quoad *materiale* ſpectatum, id eſt, ad ipſum, ut eſt actus poſitivus; ut infrà dicetur. Tum etiam, quia ad materiale odii determinando, potentiam proximam ad amorem relinquit, ratione auxilii ſufficientis in voluntate exiſtentis. Tum demum, quia ſi Deus hominem ad materiale odii determinet, hoc eſt in pœnam præcedentium peccatorum; ideòque ex culpa hominis eſt, quòd ad materiale odii à Deo determinetur, & idcircò de hoc conqueri juſtè non poteſt.

Immeritò quoque quis Deum ita compellaret: Quomodò mihi datur optio, aut eligendi poteſtas,

testas, si aliunde meæ voluntati prædeterminatio accedat? Quia cùm prædeterminatio applicet voluntatem ad operandum sub judicio indifferenti, & optionem voluntati proponenti, ipsa prædeterminatio optionem, vel eligendi potestatem, non expellit.

Impudenter etiam peccator Deum sic alloqueretur: Eò me impelle aut prædetermina, quò tu me ferri præcipis: cur pœnas subeam propter electionem, quæ à me non pendet? Quia quòd peccator eò non impellatur, sive non prædeterminetur, quò se ferre debet ex divino præcepto, ex ejus culpa est; falsumque est, quòd electio prava, qua peccator Dei præceptum violat, ab ipso non pendeat; liberè quippe illam ponit, & si vellet, eam non poneret; unde propter ipsam justas subit pœnas.

Quando verò addunt Adversarii, frustrà nec justè in Scripturis Deum de peccatoribus conqueri, Isajæ 5. *Quid est, quòd ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Respondeo id negando: licèt enim vera sit Thomistarum de physica præmotione sententia, non est præterea aliquid, quod debuerit Deus facere vineæ suæ, (id est peccatoribus) & non fecerit; quantumvis enim necessaria sit præmotio physica ad præcepta Dei observanda, eam tamen Deus peccatori indigno & ingrato dare non tenetur, saltem si hanc gratiam ab æterno præparatam, & sæpè in tempore oblatam, per peccata sæpiùs iterata, contempsit. Dici etiam posset, præmotionem physicam requiri quidem, ut actu Dei præcepta observemus; at non ut ea observare possimus: ad hoc namque auxilium sufficiens est satis; hoc autem auxilium etiam peccatoribus largitur Deus.

Urgent Adversarii: ex hac responsione & doctrina manifestè infertur, Angelos & primos parentes in primo peccato suo fuisse excusabiles; neque enim in eis possunt Thomistæ ad priorem culpam confugere, in cujus pœnam Deus illis

præmotionem phyſicam negaverit, cùm ſit ſermo de prima illorum culpa.

Difficilis profectò inſtantia, cui Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 10. non aliter ſatisfacit, quàm ad incomprehenſibilitatem divinæ ſcientiæ confugiendo, his verbis; *Sed poſſet etiam ipſorum* (ſcilicet Angelorum & primorum parentum) *voluntatem in bonum convertere* (videlicet per auxilium ab intrinſeco efficax & præmovens) *quoniam omnipotens eſt; poſſet planè: cur ergo non fecit? Quia noluit; cur noluerit, penes ipſum eſt.*

Reſpondeo tamen cum Joanne à S. Thoma, & aliis pluribus Thomiſtis, Deum denegaſſe Angelis & primis parentibus phyſicam præmotionem ad obſervandum præceptum divinum neceſſariam, in pœnam primi eorum peccati; ſicut enim quamvis actus contritionis & charitatis ſint ſimul cum gratia ſanctificante eodem inſtanti, eam tamen præcedunt prioritate naturæ in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, reddendo ſubjectum ad ipſius receptionem aptum; ita etiam etſi in Angelis & primis parentibus primò peccantibus fuerint ſimul primum eorum peccatum, & phyſicæ præmotionis denegatio; primum tamen illud peccatum phyſicæ præmotionis denegationem antecеſſit prioritate naturæ in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, reddendo Angelos & primos parentes divina præmotione indignos, & ad ejus receptionem ineptos; ita ut juſtè Deus Angelis & primis parentibus primò peccantibus, in pœnam & ob ipſorum indignitatem, præmotionem phyſicam negaverit. *Sed* de hoc ſatis; fuſiùs quippe de eo diſſerere, Theologorum eſt.

Objiciunt 2. adverſarii quaſdam Sanctorum Patrum authoritates, quas putant eſſe concluſioni noſtræ contrarias. In primis ergo D. Hieronymus epiſt. 146. ad Damaſum ait: *Hominem ita eſſe liberum, ut vivat; non ex imperio Dei, ſed ex obſe-*

obsequio suo. Nomine autem *imperii Dei*, præmotio physica venit intelligenda.

Præterea D. Augustinus lib. de prædestin. & gratia cap. 15. & lib. 12. de civit. ca. 6. & alibi, docet, quòd si auxilium Dei aliquando est efficax, & aliquando inefficax, hoc in liberum arbitrium creatum est reducendum, ita ut auxilium Dei dicatur efficax, ex liberi arbitrii creati consensu; dicatur verò inefficax, ex ejusdem arbitrii dissensu: ergo ex mente Augustini auxilium Dei non est ab intrinseco efficax & præmovens; sed est efficax solùm ab extrinseco, videlicet ex consensu liberi arbitrii creati.

De spirit. verò & litt. cap. 3. dicit, quòd *visorum suasionibus agit Deus, ut velimus & credamus, &c. sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est*; quod non esset verum, si voluntas ad consensum potiùs, quàm ad dissensum physicè à Deo prædeterminaretur; unde non ait Augustinus, quòd Deus agat absolutè, præmovendo & impellendo ut velimus; sed quòd agat *suasionibus*. Et 5. de civit. cap. 9. asserit, quòd *sicut Deus est creator omnium naturarum, ita est dator omnium potestatum, non tamen omnium voluntatum, sive omnium volitionum*; quod foret falsum, si Deus voluntatem ad omnem volitionem physicè præmoveret. Et tandem lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. sic ait: *Hoc brevissimè sene, quæcumque causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato si ceditur*: si autem daretur physica præmotio in nobis ad actum peccati, ei resistere non possemus, ac proinde sine peccato ei cederemus, & sine peccato peccaremus; quod planè absurdum est.

Insuper D. Chrysostomus homil. 12. super Epist. ad Hebr. hæc scribit: *Deus non antecedit nostras voluntates, nostrum ne lædatur arbitrium*: si autem Deus physicè præmoveret nostras voluntates, eas antecederet; quod tamen negat Chrysostomus.

Accedit D. Damaſcenus lib. 2. de fide orth. cap. 30. *Illud ſcire intereſt*, inquit, *Deum omnia quidem præſcire, ſed non omnia prædefinire* (ſive prædeterminare;) *præſcit enim ea etiam, quæ in noſtra poteſtate & arbitrio ſunt; at non item ea prædefinit*. Et lib. 1. cur Deus homo cap. 18. docet, omnem ſuppoſitionem antecedentem, quæ ex libertate & electione noſtræ voluntatis non deſcendit, tollere libertatem: ſi verò phyſica daretur præmotio, eſſet quædam ſuppoſitio noſtras voluntates antecedens.

Ad D. Hieronymum, cum diſtinctione reſpondeo, concedendo, hominem liberum non vivere ex Dei imperio neceſſitante, benè tamen ex Dei imperio liberum hominis arbitrium phyſicè ad actum ſecundum applicante & præmovente.

Ad 1. D. Auguſtini teſtimonium, diſtinguo, & concedo, auxilium Dei dici efficax ex conſenſu liberi arbitrii creati, à poſteriori, eo modo, quo cauſa dicitur efficax ex effectu, quem ſua efficacia producit; ex eo quippe, quòd auxilium Dei conſenſum in nobis efficiat, rectè infertur à poſteriori, & velut ab effectu, ipſum eſſe efficax: ſed nego, divinum auxilium poſſe dici efficax ex liberi arbitrii creati conſenſu à priori, adeò ut efficaciam ſuam à conſenſu liberi arbitrii creati mutuetur, & ita ab intrinſeco eam non habeat.

Ad 2. Auguſtini teſtimonium, reſpondeo, quòd dum ait, *viſorum ſuaſionibus agere Deum, ut velimus, &c.* nihil aliud intendit, niſi quòd, cùm Deus efficaciter per auxilium ſuum movet voluntatem ad volendum, ſimul applicet intellectum ad ſuadendum voluntati, per oſtenſionem objecti viſi ſeu cogniti, ut velit; ut ita ſervetur arbitrii libertas. Cæterùm, quòd Deus agat ſive influat in voluntatem, phyſicè eam præmovendo & impellèdo omnipotentiſſima poteſtate, ut velit, docet diſertè Auguſtinus lib. de corrept.

& gratia cap. 14. & alibi sæpè. Unde dum posteà subdit: *Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est*: hoc intelligendum est cum subordinatione essentiali ad Deum, ut ad primam causam liberam; quæ subordinatio stare non potest, nisi Deus, ut prima causa libera, physicè præmoveat, applicet, & impellat voluntatem creatam ad volendum; ut suprà probatum est.

Ad 3. testimonium respondeo, Deum non esse datorem omnium voluntatum, sive omnium volitionum, si quædam ex illis considerentur, prout moraliter sunt malæ: at negandum est, Deum non esse datorem omnium voluntatum, aut volitionum, si spectentur, ut sunt actus positivi, physicè à Deo dependentes, ad quos Deus voluntatem creatam physicè præmovet.

Ad 4. testimonium, distinguo, ex infrà dicendis; & concedo, quòd præmotioni physicæ ad actum peccati resistere non possimus in sensu composito, componendo resistentiam cum physica præmotione ad actum peccati; sed nego, quòd non possimus ei resistere in sensu diviso, id est, quòd non possimus ponere resistentiam, sive nolitionem peccati, divisivè & secundùm se spectatam. Ut autem peccemus, sufficit, quòd in sensu diviso non peccare possimus.

Ad D. Chrysostomum, respondeo cum distinctione, & ultrò concedo, Deum non antecedere nostras voluntates antecedentia necessitante, id est, antecedentia voluntates nostras ad agendum ex naturæ impetu impellente; sic enim nostrum læderetur arbitrium: sed nego, Deum non antecedere nostras voluntates antecedentia libertatem nostram ad actum secundum sub judicio indifferenti physicè applicante; hæc namque antecedentia nullo modo nostrum lædit arbitrium.

Ad 1. D. Damasceni testimonium respondeo cũ eadem distinctione, concedendo, ea, quæ in nostra potestate & arbitrio sunt, à Deo non prædefiniri,

niri, ſive non prædeterminari, prædefinitione ſeu prædeterminatione neceſſitante, benè tamen prædefinitione vel prædeterminatione noſtram libertatem ad actum ſecundum ſub judicio indifferenti phyſicè applicante.

Ad alterum ejuſdem Damaſceni teſtimonium, iterum diſtinguendum, & concedendum, omnem ſuppoſitionem antecedentem, quæ ex libertate & electione noſtræ voluntatis non deſcendit, neque ex prima radice noſtræ libertatis, revera libertatem tollere; at id negandum eſt, ſi illa ſuppoſitio antecedens ex libertate quidem & electione noſtræ voluntatis non deſcendat, oriatur tamen ex prima noſtræ libertatis radice: tametſi autem phyſica præmotio ex libertate & electione voluntatis noſtræ non deſcendit, fluit tamen ex prima noſtræ libertatis radice, videlicet ex efficacia divinæ voluntatis.

Vel aliter diſtinguo, concedendo, omnem ſuppoſitionem antecedentem, quæ ex libertate & electione voluntatis noſtræ non deſcendit, tollere libertatem, ſi voluntatem impellat ad agendum, ex impetu naturæ; at id negando, ſi phyſicè voluntatem applicet ad agendum ſub indifferentia judicii. Phyſica verò præmotio eſt ſuppoſitio antecedens, non primo, ſed ſecundo duntaxat modo.

§. XIII.

Exponuntur plura D. Thomæ teſtimonia.

OBjiciunt 3. adverſarii innumera D. Thomæ teſtimonia, quæ etiam prima fronte videntur ſententiæ noſtræ contraria, ex quibus difficiliora aſſeremus. Primum & apud adverſarios celeberrimum habetur in 2. diſtinct. 39. q. 1. ar. 1. in corpore: *Ipſa*, inquit, *potentia voluntatis, quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura; ſed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum,*

illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.

Et qu. 3. de malo art. 3. ad 5. sic ait: *Voluntas cùm sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; nec oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum.*

Item qu. 3. de potent. art. 7. hæc scribit: *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus.* Et paulò post: *Determinatio actus*, inquit, *relinquitur in potestate rationis & voluntatis.* Idem docet in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3. & distinct. 21. qu. 1. ar. 1. & alibi sæpè. Hinc, inquit quidam recentior, frequenter docet D. Thomas, voluntatem à Deo moveri; sed nusquam à Deo determinari, tradit.

Præterea 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3. sic ait: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum; sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.*

Insuper opusc. 6. qu. 38. docet, hanc propositionem: *Deus non agit in animam, nisi per novum influxum*: falsam esse; & qu. 22. de verit. art. 8. asserit, *Deum interdum movere voluntatem, nihil in eam imprimendo*: hæc autem non assereret D. Thomas, si censeret, Deum agere aut influere in animam, ipsamque movere, physicam prædeterminationem in ipsam imprimendo.

Rursùs 1. p. qu. 103. art. 1. ad 3. inter sagittam emissam, & creaturam operantem, hoc discrimen ponit, quòd *sagitta impulsum suæ naturæ superadditum à sagittante recipit; quod verò creatura operans à Deo accipit, est ipsius natura.* Si autem creatura operans à Deo physicè præmoveretur, reciperet à Deo impulsum suæ naturæ superadditum:

tum : quandoquidem, juxta Thomiſtas, phyſica creaturæ præmotio eſt quidam impulſus illius naturæ ſuperadditus. Deinde q. 5. de verit. art. 3. ad 10. & 3. contra Gent. cap. 66. Rat. 5. ait, *cauſam primam determinari à cauſis ſecundis* : ergo eas non prædeterminat.

Denique, ſi daretur phyſica prædeterminatio, neque eſſet actus primus, neque actus ſecundus: ergo foret actus tertius ; quod apud D. Thomam prorsùs inauditum eſt. Ant. ex eo conſtare videtur, quòd prædeterminatio phyſica, juxta communem Thomiſtarum explicandi modum, realiter ab actu primo, & ab actu ſecundo (id eſt, à virtute agendi, & ab ipſa actione) diſtingueretur : ergo neque eſt actus primus, neque actus ſecundus.

Ad 1. reſpondeo, diſtinguendo hanc ex D. Thoma deſumptam propoſitionem : *Quòd ſententia voluntatis determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinante*, determinatione neceſſitante, id eſt, potentiam voluntatis ad agendum ex impetu naturæ impellente, concedo : *non eſt ab alio determinante*, determinatione libertatem ad actum ſecundum ſub judicio indifferenti applicante, nego.

Quando verò S. Doctor q. citata de malo ait, quòd voluntas creata determinetur ad unum per conſilium rationis, nec oporteat hoc eſſe per aliquod agens extrinſecum, loquitur de determinatione ad malum morale ; ut patet ex objectione, cui ibi reſpondet, quæque eſt hujuſmodi : *Omne quod ſe habet ad utrumlibet, indiget aliquo determinante, ad hoc ut exeat in actum ; ſed liberum arbitrium hominis ad utrumlibet ſe habet ; ergo ad hoc ut exeat in actum peccati, indiget, quòd ab aliquo determinetur ad malum.* Fateor autem, Deum non determinare voluntatem creatam ad malum morale, ſaltem quantùm ad *formale*, ſeu quantùm ad malitiam mo-

moralem; sed voluntatem creatam à se ipsa sola ad malum moralem determinari, per inordinatum rationis consilium.

Et eodem modo ad locum allatum ex secundo Sententiarum responderi potest; nam etiam ibi sermonem habet D. Thomas de determinatione ad malum morale, seu ad peccatum, ut constat ex titulo articuli citati, qui est ejusmodi: *Verum in voluntate possit esse peccatum?*

Quando etiam loco allato ex q. 3. de potentiæ ait, voluntatem creatam habere sui actus dominium; hoc intelligendum venit, non de dominio primo & independenti, sed de dominio secundo, & ad Dei dominium subordinato, atque ab ipso dependenti. Et eodem modo determinatio actus relinquitur in potestate voluntatis creatæ, nimirum cum subordinatione & dependentia à determinatione Dei, tanquam primi determinantis.

Dum autem ait quidam recentior, D. [illegible] mam sæpè quidem docere, voluntatem creatam à Deo moveri; sed minquam [illegible] illam à Deo determinari: omninò falsum est: nam 1. p. qu. 19. ar. 3. ad 5. hoc inter voluntatem divinam, & voluntatem creatam, statuit discrimen, quòd divina voluntas se ipsam determinat absque ulla ab alio determinante dependentia; omnis verò voluntas creata determinatur ab aliquo exteriori principio; quod quidem exterius principium aliud esse non potest, præter Deum. Idem tradit Angelicus Doctor 2. Physic. lect. 8. & 3. contra Gent. cap. 1. & sexcentis aliis in locis.

Ad 2. respondeo, verba D. Thomæ esse sic explananda, ut Deus in primis moveat hominis voluntatem, sicut universalis motor, id est, sicut author naturæ, ad universale ejus objectum, sive ad bonum in communi, motione quadam generali, qua Deus ut author naturæ inclinat res omnes ad bonum naturis earum conve-

veniens; quæ motio eſt mera inclinatio naturæ rerum, ipſis à Deo authore naturæ indita; a quam non ſe movent, non ſe applicant, non determinant; ſed qua ſolùm moventur, applicantur, & determinantur. Et hac generali motione in hominis voluntate poſita, homo percutionem determinat ſe ad volendum hoc vel illud quod verè bonum eſt, vel apparens bonum; non quidem ut primum determinans ab omni alio independens, ſed ut ſecundum determinans ſubordinatum Deo primo determinanti, & ab ipſius determinatione dependens. Præter hanc autem determinationem ſeu motionem omnibus hominibus communem, Deus aliquos ſpecialiter per gratiam phyſicè movet vel præmovet, applicat, & determinat, ad ſupernaturale bonum, quod ſemper verè bonum eſt, & nunquam apparens tantùm, ac reipſa malum. Hic eſt genuinus D. Thomæ ſenſus, qui, ut patet, nobis contrarius non eſt.

Ad alia duo teſtimonia, reſpondeo, D. Thomam duobus illis in locis, ut ibidem ſe explicat, docere duntaxat, Deum non ſemper habitum vel formam permanentem influere aut imprimere in animam, vel in ejus voluntatem, quoties illam movet; ſed interdum aliquid in ea producere per modum ſimplicis motionis tranſeuntis, cujuſmodi eſt phyſica prædeterminatio.

Ad exemplum ſagittæ, reſpondeo D. Thomam ibi hanc conſtituere differentiam inter ſagittam emiſſam, & creaturam operantem, quòd ſagitta emiſſa impulſum ſuæ naturæ ſuperadditum, ipſique contrarium ac violentum, à ſagittante recipit; creatura verò operans licèt à Deo movente accipiat impulſum ſuæ naturæ ſuperadditum, ſcilicet phyſicam præmotionem; iſte tamen impulſus non eſt ejus naturæ contrarius aut violentus, ſed potiùs eſt ipſi connaturalis; quia quod ab authore naturæ (qui Deus eſt) in creatura producitur, ipſi propriè contrarium vel violentum

dici

dici non potest; sed potiùs simpliciter est connaturale, imò nonnunquam *natura* nuncupatur.

Dum autem Angelicus Doctor asserit locis citatis, causam primam determinari à causis secundis; hoc ita intelligendum est, ut prima causa objectivè à causis secundis determinetur; non quidem, ut exponunt adversarii, quia expectat determinationem causarum secundarum ad speciem actus; sed quia se accommodat ad causarum secundarum naturas, adeò ut causas secundas ex sua natura necessarias, physicè præmoveat ad necessariò agendum; causas verò secundas ex sua natura liberas, physicè prædeterminet ad liberè operandum.

Ad ultimum, distinguo ant. si daretur physica prædeterminatio, directè neque esset actus primus, neque actus secundus, concedo: reductive neque esset actus primus, neque actus secundus, nego; cùm enim physica prædeterminatio sit communis actus primi & actus secundi nexus (nectit siquidem prædeterminatio physica actum primum cum actu secundo, applicando actum primum ad actum secundum) reductivè ad utrumque pertinet, nec est actus tertius.

Instant adversarii ex pluribus ejusdem D. Thomæ testimoniis. In primis S. Doctor in cap. 8. Epist. ad Roma lect. 3. docet, *Dei auxilium esse in nobis efficax, quia ei assentimur*: sentit ergo, auxilium Dei in nobis non esse ab intrinseco efficax ac præmovens, sed efficaciam ab extrinseco, videlicet à consensu nostro, mutuari. Præterea 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. & q. 63. art. 7. ad 3. & 1. 2. qu. 106. art. 2. ad 2. asserit, posse nos uti, vel non uti auxilio Dei; aut ipsum sequi, vel non sequi, ut volumus. Et quodlib. 1. ar. 7. ad 2. asseverat, nos posse Dei auxilio resistere. Hæc autem vera non essent, si Dei auxilium foret ab intrinseco efficax ac præmovens. Denique, qu. 22. de verit. art. 6. ait, voluntatem creatam à Deo motam manere ad multa indeterminatam: ergo

Deus

BIBLIOTECA O. F. MONTEFUSCO

veniens; quæ motio eſt mera inclinatio naturalis rerum, ipſis à Deo authore naturæ indita; ad quam non ſe movent, non ſe applicant, non ſe determinant; ſed qua ſolùm moventur, applicantur, & determinantur. Et hac generali motione in hominis voluntate poſita, homo per ratationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod verè bonum eſt, vel apparens bonum; non quidem ut primum determinans ab omni alio independens, ſed ut ſecundum determinans ſubordinatum Deo primo determinanti, & ab ipſius determinatione dependens. Præter hanc autem determinationem ſeu motionem omnibus hominibus communem, Deus aliquos ſpecialiter per gratiam phyſicè movet vel præmovet, applicat, & determinat, ad ſupernaturale bonum, quod ſemper verè bonum eſt, & nunquam apparens tantùm, ac reipſa malum. Hic eſt genuinus D. Thomæ ſenſus, qui, ut patet, nobis contrarius non eſt.

Ad alia duo teſtimonia, reſpondeo, D. Thomam duobus illis in locis, ut ibidem ſe explicat, docere duntaxat, Deum non ſemper habitum vel formam permanentem influere aut imprimere in animam, vel in ejus voluntatem, quoties illam movet; ſed interdum aliquid in ea producere per modum ſimplicis motionis tranſeuntis, cujuſmodi eſt phyſica prædeterminatio.

Ad exemplum ſagittæ, reſpondeo D. Thomam ibi hanc conſtituere differentiam inter ſagittam emiſſam, & creaturam operantem, quòd ſagitta emiſſa impulſum ſuæ naturæ ſuperadditum, ipſi que contrarium ac violentum, à ſagittante recipit creatura verò operans licèt à Deo movente accipiat impulſum ſuæ naturæ ſuperadditum, ſcilicet phyſicam præmotionem; iſte tamen impulſus non eſt ejus naturæ contrarius aut violentus ſed potiùs eſt ipſi connaturalis; quia quod ab authore naturæ (qui Deus eſt) in creatura producitur, ipſi propriè contrarium vel violentum

dici

dici non potest; sed potiùs simpliciter est connaturale, imò nonnunquam *natura* nuncupatur.

Dum autem Angelicus Doctor asserit locis citatis, causam primam determinari à causis secundis; hoc ita intelligendum est, ut prima causa objectivè à causis secundis determinetur; non quidem, ut exponunt adversarii, quia expectat determinationem causarum secundarum ad speciem actus; sed quia se accommodat ad causarum secundarum naturas, adeò ut causas secundas ex sua natura necessarias, physicè præmoveat ad necessariò agendum; causas verò secundas ex sua natura liberas, physicè prædeterminet ad liberè operandum.

Ad ultimum, distinguo ant. si daretur physica prædeterminatio, directè neque esset actus primus, neque actus secundus, concedo: reductivè neque esset actus primus, neque actus secundus, nego; cùm enim physica prædeterminatio sit communis actus primi & actus secundi nexus (nectit siquidem prædeterminatio physica actum primum cum actu secundo, applicando actum primum ad actum secundum) reductivè ad utrumque pertinet, nec est actus tertius.

Instant adversarii ex pluribus ejusdem D. Thomæ testimoniis. In primis S. Doctor in cap. 8. Epist. ad Roma lect. 3. docet, *Dei auxilium esse in nobis efficax, quia ei assentimur*: sentit ergo, auxilium Dei in nobis non esse ab intrinseco efficax ac præmovens, sed efficaciam ab extrinseco, videlicet à consensu nostro, mutuari. Præterea 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. & q. 63. art. 7. ad 3. & 1. 2. qu. 106. art. 2. ad 2. asserit, posse nos uti, vel non uti auxilio Dei; aut ipsum sequi, vel non sequi, ut volumus. Et quodlib. 1. ar. 7. ad 2. asseverat, nos posse Dei auxilio resistere. Hæc autem vera non essent, si Dei auxilium foret ab intrinseco efficax ac præmovens. Denique, qu. 22. de verit. art. 6. ait, voluntatem creatam à Deo motam manere ad multa indeterminatam: ergo

Deus

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av)

Deus movendo voluntatem creatam, eam ne-
prædeterminat.

Ad 1. reſpondeo diſtinguendo; & concedo, Dei auxilium eſſe in nobis efficax, quia ei aſſentimur, ſi particula illa, *quia*, in ſenſu illativo accipiatur, ita ut rectè à poſteriori inferatur, auxilium Dei eſſe in nobis efficax, ex eo, quòd ipſi aſſentiamur: ſed nego, Dei auxilium eſſe efficax in nobis, quia ei aſſentimur, ſi illa particula, *quia*, in ſenſu cauſali uſurpetur, ita ut auxilium Dei in nobis efficaciam ſuam ab aſſenſu noſtræ voluntatis mutuetur.

Ad 2. diſtinguendum eſt duplex auxilium Dei in nobis; unum *ſufficiens*, quod dat nobis potentiam ſufficientem ac proximam ad benè ſupernaturaliter operandum; aliud *efficax*, quo actu benè ſupernaturaliter operamur. Poſſumus ergo uti vel non uti auxilio divino ſufficienti, ut volumus; at non auxilio efficaci; iſtud quippe auxilium, quoad uſum, noſtræ non ſubditur voluntati; ſed potiùs illam quoad uſum ſeu operationem potenter, ſuaviter tamen, ſibi ſubjicit, phyſicè eam movendo, applicando, & impellendo ad operandum, modo ipſi accommodo, nempè ſub judicio indifferenti, & ſervata ad oppoſitum expedita potentia.

Dum verò addit S. Doctor, nos poſſe ſequi vel non ſequi auxilium Dei, ipſique reſiſtere; hoc etiam de auxilio ſufficienti intelligendum venit, non de efficaci; vel ſi de auxilio efficaci intelligatur, diſtinguendum eſt, & concedendum, quòd poſſimus non ſequi auxilium Dei efficax, ipſique reſiſtere in ſenſu diviſo, quatenùs poſſumus ponere oppoſitum diviſivè & ſecundùm ſe conſideratum: ſed negandum eſt, quòd poſſimus non ſequi auxilium Dei efficax, eique reſiſtere in ſenſu compoſito, componendo vel conjungendo oppoſitum cum efficaci auxilio Dei. Et eodem modo exponendum eſt Concilium Tridentinum, dum ſeſſ. 6. cap. 4. & cap. 5. de-

definit, hominem per liberum arbitrium posse dissentire auxilio Dei moventis & excitantis, si velit; posseque illud abjicere, seu ipsum non sequi, illique resistere; quod etiam decernit Concilium Senonense in decreto fidei 15. hæc quippe omnia sunt in sensu diviso intelligenda. Quando denique Doctor Sanctus ait, voluntatem creatam à Deo motam, manere ad multa indeterminatam; *distinguendum* est, & concedendum illam manere *indeterminatam*, per exclusionem determinationis necessitantis; sed negandum est, voluntatem creatam à Deo motam manere indeterminatam, per exclusionem divinæ determinationis, ipsam voluntatem creatam ad hanc operationem sub judicio indifferenti applicantis. *Unde* similiter concedendum est, Deum movendo voluntatem creatam, eam non prædeterminare prædeterminatione necessitante, benè tamen prædeterminatione creatam voluntatem ad illam operationem sub judicio indifferenti applicante.

Urgent adversarii, D. Thomam nusquam usurpasse nomen *physicæ præmotionis*, vel *prædeterminationis*.

Respondeo, D. Thomam explicitè quidem nomen *physicæ præmotionis*, aut *prædeterminationis*, non usurpasse, benè tamen implicitè; quatenùs qu. 3. de potentia suprà allata, usus est nomine *motionis* & *applicationis*, quæ fiat per virtutem vialem & transeuntem, causæ secundæ à prima impressam; quæ motio aut applicatio est ipsa *physica præmotio*, seu *prædeterminatio Thomistica*; cùm nomine *physicæ præmotionis*, aut *prædeterminationis*, nihil aliud intelligant Thomistæ. Et hoc nomen *motionis* & *applicationis*, non tantùm q. citata de potentia, sed etiam aliis sexcentis in locis usurpavit Divus Thomas.

Sicut autem quamvis nomina *Trinitatis*, *Incarnationis*, & *Transubstantiationis*, explicitè in Scriptura

ptura non reperiantur, quia tamen implicitè in ea inveniuntur, rectè nominibus illis utuntur Catholici ad myſteria illa exprimenda : ſic etiam licèt *phyſicæ præmotionis*, vel *prædeterminationis*, nomen nullibi ſit explicitè in operibus D. Thomæ ; attamen quia nomen illud implicitè iiſdem in operibus continetur, non immeritò hoc nomen adhibent Thomiſtæ, ad prævium influxum cauſæ primæ in ſecundas declarandum.

Urgent iterum aliqui, D. Thomam docere quidem, Deum movere cauſas ſecundas motione quadam generali ad bonum in communi ; non tamen motione ſpeciali vel particulari ad bona particularia, & ad ſingulos actus ; quæ ſpecialis aut particularis motio eſt ipſa Thomiſtarum *præmotio*.

Reſpondeo, D. Thomam docere, Deum movere cauſas ſecundas, non ſolùm motione generali ad bonum in communi, verùm etiam motione ſpeciali aut particulari ad bona particularia, & ad ſingulos actus. Sic enim q. citata de potentia art. 7. loquitur Doctor ſanctus : *Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, inquantùm dat virtutem agendi, inquantùm conſervat eam, & inquantùm applicat actioni*. Quibus verbis diſertè tradit, Deum applicare ſeu movere cauſas ſecundas ad quamlibet actionem, proindèque ad ſingulos actus, applicatione & motione ſpeciali.

Idque ibi explicat dublici exemplo. In primis aſſerit, Deum movere cauſas ſecundas ad agendum, ſicut homo movet acumen cultelli ad incidendum ; ſicut igitur eget acumen cultelli, ut ad ſingulas inciſiones ab homine moveatur ; ita pariter indigent cauſæ ſecundæ, ut à Deo ad ſingulos actus moveantur. Præterea, idem exponit exemplo inſtrumenti artificis, quod ad ſingulos actus ab artifice movetur ; ut patet. Quo etiam exemplo utitur ſæpè D. Thomas, variis in locis.

Urgent tandem adverſarii, phyſicam præmotio-

tionem fuisse ab antiquioribus Thomistis reprobatam. Opponunt in primis Capreolum : *Voluntas*, inquit in 2. distinct. 39. q. 1. art. 1. *quantùm est de suanatura, est ad opposita; ipsa tamen, suæ libertatis ratione, se determinat ad id, quod vult; & ita non indiget alio determinante.*

Objiciunt etiam Cajetanum, qui 1. p. qu. 19. art. 8. sic ait : *Cùm dicitur, causam secundam moveri à prima, hoc intelligendum est, non de motione prævia, sed de motione intrinsecè cooperativa propriæ actioni.* Et addit, *sensum esse puerilem, si quis putet, esse aliquam durationem naturæ, in cujus primo instanti causa prima respiciat effectum, & in secundo secunda.*

Objiciunt quoque Conradum, qui 1. 2. qu. 79. art. 1. hæc habet verba : *Non oportet, cùm aliquis vult, antequam velit, prævium esse motionem Dei.* Opponunt denique Dominicum Soto, qui lib. 1. de natura & gratia cap. 15. docere videtur, motionem Dei esse efficacem ex arbitrii nostri assensu; proindèque non esse ab intrinseco efficacem & prædeterminantem.

Respondeo negando, physicam præmotionem fuisse ab antiquioribus Thomistis reprobatam; quin potiùs enim eam semper cum Angelico Præceptore docuere Thomistæ. Nam inter eos, Ferrariensis 3. contra gent. cap. 70. Capreolus in 2. dist. 1. qu. 2. Cajetanus 1. p. qu. 45. ar. 5. & Conradus 1. 2. qu. 109. art. 9. antiquissimi & celeberrimi Thomistæ, docent ex D. Thoma, qu. 3. de potentia ar. 7. Deum esse causam cujuslibet actionis causæ secundæ, inquantùm dat ei virtutem agendi, inquantùm hanc virtutem conservat, & inquantùm eam applicat actioni; eo simili modo, quo homo est causa incisionis cultelli, ex hoc, quòd acumen cultelli ad incidendum applicat, movendo ipsum; quod utique est physicè præmovere, ut ex dictis liquet. Insuper iisdem in locis agnoscunt in causa secunda virtutem aliquam vialem & transeuntem, à Deo illi impressam,

ſam, qua ad agendum applicatur; eo proportionali modo, quo inſtrumentum artificis ad operationem admovetur, per virtutem vialem actu tranſeuntem ab ipſo artifice receptam; hanc verò virtutem vialem ac tranſeuntem eſſe *phyſicam præmotionem*, conſtat ex dictis.

Præterea Dominicus Soto illuſtris Thomiſta, lib. 1. de natura & gratia, cap. 16. ſic ait: *Dum liberè moveor, poſſum in ſenſu diviſo non agere; tametſi in ſenſu compoſito contra ſe invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.* Quæ verba intelligi nequeunt de motione morali, quandoquidem in omnium ſententia, motioni morali ad agendum, reſiſtere poſſumus in ſenſu compoſito, & non agere in eodem ſenſu. Intelligenda etiam non ſunt verba illa de concurſu ſimultaneo, quia loquitur Soto de motione, qua Deus agit erga me; per concurſum autem ſimultaneum Deus non agit erga me, ſed erga effectum, quem mecum producit: ſupereſt igitur, ut verba ex Dominico Soto allata, de *præmotione phyſica* intelligantur. Hos veluti Anteſignanos alii Thomiſtæ omnes ſponte ſequuntur.

Neque urgent in contrarium teſtimonia Capreoli, Cajetani, Conradi, & Dominici Soto, ſuprà relata. Ad 1. enim reſpondeo, hanc eſſe Capreoli mentem, ut voluntas creata, tanquam ſecundum agens liberum, ſecundumque determinans, ſuæ libertatis ratione, ſe ad id, quod vult, determinet, nec indigeat alio determinante ſecundo; at non negat Capreolus, voluntatem creatam indigere Deo ut primo determinante.

Ad Cajetanum, reſpondeo, ipſum rejicere ſolùm motionem Dei prævium prioritate durationis realis, vel naturæ ſeu rationis; at nequaquam rejicit motionem Dei prævium prioritate cauſalitatis, quæ ſit cauſaliter cooperativa actioni intrinſecæ ac propriæ cauſæ ſecundæ; id eſt, quæ intrinſecè in cauſa ſecunda cauſet aut inferat actio-

actionem ei propriam, qua Deo seu pri-
se cooperatur.

Ad Conradum, sive ad hæc ejus verb
oportet, cùm aliquis vult, antequam vel
viam esse motionem Dei: Respondeo, ip
qui de prævia Dei motione speciali,
actus supernaturales necessaria est; non a
prævia Dei motione communi, quæ
communiter à Deo ad omnes causarum se
rum actiones datur; unde Conradi inten
non requiri semper prævium Dei mo
specialem (quæ fit per gratiam) ad qu
que voluntatis actiones; sed tunc solùm
cessariam, quando voluntatis actio super
lis est; sufficere verò ad alias voluntatis a
naturales, sive bonæ sint, sive malæ, p
motionem Dei communem. Quòd aute
interpretatio sit ad mentem Conradi, p
si integrum ejus testimonium afferamus; e
ejusmodi: *Non oportet, cùm aliquis vult*
quam velit, prævium esse motionem Dei, cù
tio est naturalis, aut mala.

Ad Dominicum Soto: Respondeo, ipsu
cere tantùm, motionem Dei esse efficacem
bitrii assensu à posteriori, tanquam ex e
ex quo rectè infertur, ipsam esse efficace
nunquam docuit, motionem Dei esse effi
ex arbitrii assensu à priori; ita ut suam effi
ab arbitrii assensu mutuetur. Vel etiam
test cum eodem Dominico Soto in fin
mentariorum in lib. 4. sent. motionem D
efficacem ex arbitrii assensu, sicut ex
materiali dispositiva, licèt ipse arbitri
sus ex Dei motione ab intrinseco effi
prædeterminante efficienter oriatur: s
gressus venti in aulam est ex apertion
stræ in genere causæ materialis dispo
quamvis ipsa fenestræ apertio à vento in
te efficiatur.

Opponunt rursus, Thomam de Lem

„ Theſibus agitatis; videlicet eam, quam ego
„ Pater Reginaldus poſueram de præſentia reali
„ omnium rerum nobis futurarum in æternitate,
„ alteram de cognitione divina futurorum in de-
„ cretis: & argumentatus eſt præfatus Reve-
„ rendiſſimus contra me, dicens, quòd alterum
„ ex his duobus mediis cognoſcendi futura, ef-
„ ſet ſuperfluum. Si enim Deus cognoſcit omnia
„ nobis futura in reali eorum præſentia in æterni-
„ tate, ſuperfluit decretum efficax, in quo Deus
„ illa eadem cognoſcat: ſi Deus illa cognoſcit in
„ decreto, ſuperfluit illa præſentia realis in æter-
„ nitate.

„ Reſpondi, neutrum eſſe ſuperfluum; imò,
„ unum ſequi ex alio; ex decretis enim ſequitur
„ præſentia realis in æternitate. Replicavit Re-
„ verendiſſimus Generalis: Nunquam S. Tho-
„ mas recurrit ad decreta, ſed ad præſentiam in
„ æternitate: & ſi mihi oſtendas vel unum lo-
„ cum D. Thomæ, in quo recurrat ad decreta;
„ ex nunc pro tunc creo te Magiſtrum Theo-
„ logiæ, contra jura, & conſuetudinem tuæ
„ Provinciæ.

„ Tunc ego P. Reginaldus, qui ex aliis
„ capitibus noveram, quòd P. Reverendiſſi-
„ mus Turcus vellet tentare, utrum ambirem
„ Magiſterium: reſpondi: De Magiſterio,
„ quod offert mihi veſtra Reverendiſſima Pa-
„ ternitas, gratias ago; novit veſtra Reve-
„ rendiſſima Paternitas, nos in noſtra Pro-
„ vincia non acceptare Magiſteria: De locis
„ autem D. Thomæ, veſtra Reverendiſſima Pa-
„ ternitas, alter Thomas, novit illa, nec opus
„ eſt illa citare.

„ Inſuſurrabant ferè omnes: Cita locum, cita
„ locum, & fies Magiſter: Ego tamen perſtiti in
„ mea ſententia. Urgebat Reverendiſſimus Ge-
„ neralis: Noli mihi adulari, ſed oſtende mihi
„ locum D. Thomæ, in quo ipſe dicat, Deum
„ cognoſcere futura in decretis ſuis: oſtende.

Per-

Perstiti nihilominus in mea respon
viderer ambire Magisterium. Post m
& inde, semper de illa, & eadem q
sub finem disputationis, dixit mihi
dissimus Pater Generalis *Turcus*
tuam sententiam.

Explicavi hoc pacto, dicens, quòd
non possint de possibilibus fieri futura
pore, nec præsentes realiter æterni
per aliquam causam; & illa causa, nu
esse alia, quàm Deus liberè agens, &
tiùs, quàm alias, volens esse futuras
pore, & sibi realiter præsentes: ide
sùs est dicere, quòd Deus cognoscat r
liter præsentes æternitati; & dicere,
lis cognoscat in decretis; quia per
fiunt præsentes æternitati.

Quare autem D. Thomas ferè semp
rat ad præsentiam rerum in æternitate
do agit de cognitione, qua Deus cogn
nobis futuras; ratio est: quia vult rec
tionem, cur Deus eas cognoscat scienti
nis: visio enim corporea debet termi
tes præsentes; & ideò D. Thomas
ad præsentiam rerum realem in æte
quando agit de scientia visionis: quan
quando, cùm non agit de scientia v
dicat, Deum cognoscere omnia nob
ra in sua voluntate ut causa, nimirum
minata per decretum; & constat ex
in primo contra Gent. cap. 67. & 68.
sæpè; ubi expressè D. Thomas dici
cognoscere ab æterno actus nostros liber
voluntate, ut causa.

His à me dictis, acclamarunt quidã
tavit locum; fiat Magister. Sed Reve
mus Generalis, annuentibus Archiep
& Protege Aragoniæ, qui aderant, f
putationi imponi præcepit.

Hanc esse veram illius rei narratione

„ Sacroſanctis Euangeliis, juro, & proteſtor co
„ ram Deo, & ſanctis Angelis ejus, in manibu
„ veſtris, ampliſſime & perilluſtris Archidiaco
„ ne, & Vicari Generalis; jubente, & præſen
„ te, R. P. Joanne Franciſco Du Faur Ordini
„ Prædicatorum, Conventus Tholoſani Priore
„ & Sacræ Theologiæ Profeſſore; præſentibu
„ etiam Notario, & teſtibus infraſcriptis.
„ Unde juro, ac proteſtor, ac declaro, ſu
„ eodem juramento, falſum eſſe, quòd Re
„ verendiſſimus Pater Generalis dixerit: *Fatea*
„ *prædeterminationes phyſicas eſſe doctrinam plu*
„ *rium Thomiſtarum, ſed à ſancto Thoma longè*
„ *aberrantium; quibus ſi mihi oſtenderis S.*
„ *Thomam alicubi favere, promitto tibi Ma*
„ *giſterium.*
„ Falſum etiam declaro ſub eodem jura
„ mento, eumdem dixiſſe mihi: *Oſtende mihi*
locum S. Thomæ, in quo phyſicam prædetermi
nationem defenderit; & ego te creabo Magi
ſtrum in Religione, contra conſtitutiones tuæ
„ *Provinciæ.*
„ Falſum ſub eodem juramento declaro, quod
„ alii ſic narrant: *Reverendiſſimus P. M. Tho*
„ *mas Turcus Generalis Ordinis Sancti Domini*
„ *ci, cùm in Capitulo Generali Valentiæ, menſi*
„ *Majo ann. 1647. intereſſet diſputationi, in qua*
„ *Hiſpanus Thomiſta ex Provincia Tholoſana tue*
„ *batur phyſicas prædeterminationes, tamquam à*
„ *S. Thoma edoctas; aſſumpto argumento Ex*
„ *cellentiſſimi Dominici Ludovici Creſpi de Bo*
„ *ria, Epiſcopi Placentini, tunc Præpoſiti Ma*
„ *riveteris, oppugnantis prædeterminationes phy*
„ *ſicas, contendentiſque, non eſſe ſententiam S.*
„ *Thomæ; idem cùm eſſet verſatiſſimus in S. Thoma,*
„ *ſemel & iterum dixit: Oſtende mihi locum, in qua*
„ *S. Thomas phyſicam prædeterminationem docet,*
„ *& creabo te Magiſtrum in tua Religione, contra*
„ *conſtitutiones tuæ Provinciæ; repetendo multo*
„ *ties: Oſtende, oſtende. Quatuor Doctores Theo*

logi

logi universitatis Valentiæ testantur sub juramento, coram Notario, se illa verba audivisse.

Declaro itaque, hanc narrationem, quantùm ad id, quod dicit de prædeterminatione physica, falsam omninò esse; nullo enim modo agebatur de prædeterminatione physica: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Et signatum erat.

F. Antoninus Reginaldus.

NOs Joannes Du Four Presbyter, Jurium Doctor, Canonicus Archidiaconus Ecclesiæ Tholosanæ, nec non Vicarius Generalis dictæ Diœcesis, Sede vacante, testamur, præfatum R. P. Antoninum Reginaldum, quì suprà, hoc juramentum præstitisse in manibus nostris; præsente R. P. Joanne Francisco Du Faur, Priore Conventus Prædicatorum hujus Civitatis; præsentibus etiam Notario, & testibus infrascriptis. In cujus rei fidem hisce sigillo nostro munitis subscripsimus, die 1 Septembris 1674.

Et signatum erat.

DU FOUR, Vicarius Genera

F. Joan. Francis. DU FA
Prior Tholosanus.

Ego RAYMUNDUS DANGLA, Presbyter, & Ecclesiæ Tholosanæ habituatus, præsens.

» Ego JACOBUS BROUSSE,
» Presbyter, & in Eccleſia Tholo-
» ſana habituatus, præſens.
»
» SAUVESTRE, Notarius Apoſtolicus.
»
» *Et impreſſum erat Sigillum in Cera viridi.*

Cæterùm, etſi nullum hujus rei ſingularis majus teſtimonium eſſe poſſit, addi tamen non immeritò poteſt, quid de Divinis Præmotionibus ipſe Turcus ſentiret; idque colligitur ex ſcriptis ipſius, quæ Cremonæ in Conventu ſui Ordinis, in communi Bibliotheca aſſervantur.

Prima concluſio: *Deus non prædeterminat voluntatem hominis ad malum formaliter.*

Secunda concluſio: *Deus prædeterminat voluntatem hominis ad ſubſtantiam actus peccati; ita quòd ſine tali prævio & prædeterminante auxilio efficaci, voluntas non poſſet exire in talem actum. Ab hac veritate*, inquit, *ſola auctoritas Eccleſiæ, cujus cenſuræ ſubmiſi meam doctrinam, & committo me, poterit me removere.*

Tertia concluſio: *Deus auxilio prævenienti prædeterminat noſtram voluntatem ad actus liberos bonos ordinis naturalis, quantum ad rationem particularem ſuorum objectorum.*

Hæc ſatis eſſe arbitror, ut nemo jure dubitare poſſit, defenſam fuiſſe à Generali Thoma Turco, de prædeterminatione divina, ſententiam.

§. XIV.

§. XIV.

Objectiones contra physicæ prædeterminationis necessitatem & quidditatem diluuntur.

Objiciunt 4. physica prædeterminatio inutilis est: ergo non datur. Prob. anteced. sine prædeterminatione physica, causæ secundæ ad agendum determinantur satis: ergo prædeterminatio physica inutilis est. Prob. ant. causæ secundæ necessariè sunt ex sua natura ad speciem actionis determinatæ; v. g. ignis est ad calefaciendum ex sua natura determinatus, & aqua ad refrigerandum determinata: ad exercitium verò actionis sufficienter ab applicantibus determinantur; sic v. g. applicans ignem ligno, ipsum ad calefaciendum lignum in actu exercito determinat satis: causæ autem secundæ liberæ vi suæ libertatis se ipsas ad agendum determinant, nec indigent alio determinante.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. nego iterum ant. ad prob. ejus, quantùm ad causas secundas necessarias, dico, prædeterminationem physicam esse in eis necessariam, ut à causa prima ad exercitium actionis determinentur. Unde dicunt adversarii, causas secundas necessarias ad exercitium actionis sufficienter ab applicantibus determinari; inter applicantia illa debet numerari primum agens (Deus nempè) quod causas secundas necessarias per prædeterminationem physicam ad exercitium actionis applicat; & idcircò, quando una causa secunda aliam causam secundam necessariam ad exercitium actionis admovet (ut contingit, dum homo, verb. grat. ignem ligno applicat) id non præstat sola, sed unà cum primo agente, seu cum prima causa admovente, applicante, & præmovente. Causæ autem secundæ liberæ, ut agentia secunda libera, vi suæ libertatis, se ipsas

quidem ad agendum determinant, nec indigent alio determinante ſecundo; at non ſe determinant ut prima agentia libera, & prima determinantia; ideòque egent Deo ut primo agente libero, primoque determinante, cui in ſui determinatione eſſentialiter ſubordinantur.

Inſtant adverſarii: ut cauſæ ſecundæ liberæ eſſentialiter Deo ut primo moventi & determinanti ſubordinentur, eſt ſatis, ut ab eo virtualiter moveantur ac determinentur; id eſt, ſatis eſt, ut ſe moveant ac determinent, per virtutem aut voluntatem, quam à Deo accepere; nec eſt neceſſe, ut à Deo formaliter aut phyſicè moveantur ac determinentur.

Reſpondeo id negando; nam cauſæ ſecundæ liberæ debent eſſentialiter Deo ſubordinari, non tantùm in actu primo, ſed & in actu ſecundo; voluntas verò tenet ſe ex parte actus primi, non ex parte actus ſecundi; voluntas quippe dat quidem poſſe operari (quod pertinet ad actum primum) at non tribuit operari in actu ſecundo, ſed hoc à ſola operatione actuali præbetur: non ſufficit ergo, ut cauſæ ſecundæ liberæ, quantùm ad voluntatem, Deo ſubordinentur, ab eoque dependeant, quatenùs voluntatem in ſui productione à Deo accepere; ſed præterea eſt neceſſe, ut ipſæ cauſæ ſecundæ liberæ, quantùm ad actualem operationem & electionem, aut determinationem & motionem ſuæ voluntatis, eſſentialiter Deo ſubordinentur quæ ſubordinatio ſtare non poteſt, niſi cauſæ ſecundæ liberæ phyſicè à Deo *prædeterminentur* ſeu *præmoveantur*, ut ſuprà §. 8. demonſtratum eſt.

Urgent: cauſa in ſuo ordine completa non indiget aliquo ſuperaddito, ut operetur: ergo cùm cauſæ ſecundæ liberæ principales ſint *ex ſe* in ordine ſuo completæ, non indigent ſibi ſuperaddita præmotione phyſica, ut operentur.

Reſ-

Respondeo distinguendo ant. causa in suo ordine completa non indiget aliquo superaddito, ut operetur: si sit causa prima, concedo: si sit causa secunda, subdistinguo: non indiget aliquo superaddito, quod ex parte actus primi se teneat, id est, non indiget aliquo superaddito, ut operari possit, concedo: non indiget aliquo superaddito, quod ex parte actus secundi se teneat, secundum, nego. Præmotio autem physica causis secundis superaddita, non est aliquid quod directè ex parte actus primi se teneat, ita ut det posse operari; sed est efficax applicatio causæ secundæ in actu primo completæ ad actum secundum, sive ad actu operandum.

Dices cum adversariis: si causa secunda debet aliquid à Deo recipere, quo agat; sequitur, ut causa secunda muretur, cùm agit; quod enim de novo aliquid recipit, mutatur: atqui causa secunda non mutatur, cùm agit; quandoquidem ex Aristotele: *Agens agendo non mutatur*: ergo &c.

Respondeo, data sequela maj. distinguendo min. atqui causa secunda non mutatur, cùm agit; non mutatur ratione actionis, esto: non mutatur ratione impulsus & applicationis à prima causa, seu à primo agente, profluentis, nego.

Objiciunt 5. & ampliùs instant: per concursum Dei simultaneum causa secunda fit à Deo dependens: ergo ad servandum causæ secundæ à prima dependentiam necessaria non est physica præmotio.

Respondeo distinguendo ant. per concursum Dei simultaneum causa secunda fit à Deo dependens, quantùm ad effectum, concedo; fit à Deo dependens, quantùm ad actionem suam, ut actio est, nego; per concursum quippe Dei simultaneum illud duntaxat fit à Deo dependens, quod per concursum illum causatur; Deus autem

rem concurſu ſimultaneo producit quidem cauſæ ſecundæ effectum, at non ejus actionem, prout actio eſt; ut patet ex dictis ac probatis ſuprà §. X.

Inſtant: cum concurſu Dei ſimultaneo cauſa ſecunda operatur, & ſine illo nequit operari: ergo ſufficit concurſus Dei ſimultaneus ad ſervandam cauſæ ſecundæ ad Deum ſubordinationem, & illius ab ipſo dependentiam, quantùm ad operationem; proindèque ad hoc inutilis eſt phyſica Thomiſtarum præmotio.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. quia ut oſtenſum eſt §. 8. ad hoc ut una cauſa, quantùm ad operationem, alteri propriè ſubordinetur, non eſt ſatis, ut una ſine altera ſimul concurrente operari non poſſit; ſed neceſsè omninò eſt, ut una, tanquam ſuperior, alteram, ſicut inferiorem, phyſicè ad operandum præmoveat, applicet, ac impellat.

Objiciunt 6. non apparet, quid ſit phyſica præmotio: ergo non datur.

Reſpondeo ex D. Thoma q. 3. ar. 7. ad 7. cum Joanne à S. Thoma, & aliis Thomiſtis communiter; *Præmotionem phyſicam eſſe virtutem aut qualitatem aliquam vialem & tranſeuntem, à Deo cauſæ ſecundæ impreſſam, qua ad operandum applicatur; quæque ad ſecundam ſpeciem prædicamenti qualitatis, videlicet ad potentiam, reductivè pertinet; nimirum tamquam efficax potentiæ activæ ad actum ſecundum applicatio.* Unde phyſica præmotio non dat *poſſe*, ſed ſupponit *poſſe*, & ipſum ad actum ſecundum applicat.

Inſtant 1. ſi phyſica præmotio eſt quędam qualitas creata, eſt quædam cauſa ſecunda, ſicque alia indiget præmotione; & ita in infinitum eſt procedendum.

Reſpondeo, præmotionem phyſicam eſſe cauſam ſecundam *ut quo*, quia eſt id quo cauſa ſecunda ad operandum applicatur; at nego, phyſi-

cam

cam præmotionem esse causam secundam *ut quod*; ita ut sit agens secundum & creatum, quod operetur, & quod per præmotionem à se distinctam debeat ad operandum applicari.

Urgent: virtus activa, quæ non est actus purus, aut actus per essentiam, indiget per præmotionem à se distinctam ad operandum applicari: atqui præmotio physica est virtus activa, quæ non est actus purus, neque actus per essentiam; *ut patet*: ergo &c. Maj. est ipsa Thomistarum doctrina: hoc quippe discrimen ponunt Thomistæ inter Dei voluntatem, & voluntatem creatam, quòd Dei voluntas est actus purus, aut actus per essentiam, ideòque se ipsam ad operandum applicat determinatque; at voluntas creata non est actus purus, neque actus per essentiam, *sed potiùs de se* est potentialis, & idcircò postulat ab alio à se distincto ad operandum applicari ac determinari.

Respondeo distinguendo maj. virtus activa, quæ non est actus purus, aut actus per essentiam; neque id quo actus purus, aut actus per essentiam, alia à se distincta ad operandum applicat; indiget per præmotionem à se distinctam ad operandum applicari, concedo; & hanc ob causam voluntas creata indiget per præmotionem à se distinctam ad operandum applicari: virtus activa, quæ non est actus purus, aut actus per essentiam; est tamen id, quo actus purus, aut actus per essentiam, alia à se distincta ad operandum applicat; indiget per præmotionem à se distinctam ad operandum applicari, nego: sicut enim id, quo Sol alia à se distincta illustrat, nempè lumen, non eget per aliud à se distinctum illustrari; sic etiam id, quo actus purus (sive Deus) alia à se distincta ad operandum applicat (nimirum physica præmotio) non indiget per aliud à se distinctum ad operandum applicari.

Instant 2. voluntas hominis solo nutu & imperio applicat omnes alias ejus potentias ad exercitium

citium ſuarum operationum, abſque eo, quòd ullam eis imprimat qualitatem : ergo pariter Deus ſolo nutu & imperio applicat cauſas omnes ſecundas ad exercitium ſuarum actionum, abſque eo, quòd ullam in ipſas influat qualitatem.

Reſpondeo 1. negando paritatem; quòd enim voluntas hominis ſolo nutu & imperio applicet omnes alias ejus potentias ad exercitium ſuarum operationum, abſque eo, quòd ullam eis imprimat qualitatem per modum impulſus, oritur ex ſympatia naturali, quæ eſt inter hominis voluntatem, & omnes alias ejus potentias, eo quòd in eadem hominis anima radicentur : eſt autem apertè falſum, quòd Deus & cauſa ſecunda in aliquo tertio radicentur.

Reſpondeo 2. cum Joanne à S. Thoma, & aliis ex Thomiſtis, negando ant. nam, ut docet D. Thomas 1. p. q. 82. a. 4. voluntas hominis applicat & movet alias ejus potentias ad exercitium operationum ſuarum, ſicut impellens movet impulſum; impellens autem imprimit impulſo qualitatem, qua movetur, impellitur, & applicatur.

Inſtant 3. ſi Deus imprimeret cauſis ſecundis qualitatem, qua ad ſuos effectus applicarentur producendos, Deus immediatè non produceret cauſarum ſecundarum effectus, ſed mediatè tantùm, mediante nimirum illa qualitate : atqui Deus producit immediatè cauſarum ſecundarum effectus, ut communiter docent Philoſophi : ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. Deus immediatè non produceret *applicativè* cauſarum ſecundarum effectus, ſed mediatè tantùm, mediante nimirum præfata qualitate, concedo; eo quippe modo Deus producit *applicativè* cauſarum ſecundarum effectus, quo eas ad ſuos effectus producendos applicat; quod immediatè per ſe ipſum non præſtat, ſed mediante illa qualitate : Deus immediatè non produceret *cooperativè* cauſarum ſecun-

secundarum effectus, nego; Deus etenim immediatè per se ipsum cooperatur causis secundis suos effectus producentibus.

§. XV.

Solvuntur objectiones contra concordiam physicæ præmotionis cum libertate creata.

OBjiciunt 7. si Deus causas secundas liberas physicè præmoveret, libertatem earum læderet: atqui Deus non lædit causarum secundarum liberarum libertatem: ergo &c. Prob. ma. posita præmotione physica in causa secunda libera, *ipsa* necessariò ageret: ergo ejus libertas læderetur. Conseq. patet; necessitas quippe obest *libertati*. Prob. autem ant. ex D. Thoma pluribus in locis. In primis enim 1. p. qu. 82. a. 2. ad 2. ait: *Tunc mobile necessariò moveri, quando moventi omninò subditur*; si verò causæ secundæ liberæ physicè à Deo præmoverentur, Deo præmoventi physicè omninò subderentur; igitur necessariò moverentur, sive necessariò operarentur.

Deinde docet D. Thomas q. 22. de verit. art. 6. in corpore, tunc causam necessariò operari, quando est *immutabiliter ad unum determinata*: si autem causæ secundæ liberæ physicè à Deo præmoverentur, fierent ad unum, v. g. ad amore tantùm, quàm ad odium, *immutabiliter* determinatæ; igitur necessariò operarentur. Præterea asserit Doctor Sanctus qu. 6. de malo art. unico, id non esse liberum, sed necessarium, *quod voluntas vitare non potest*: atqui si voluntas physicè ad amorem præmoveatur, *amorem vitare non potest*: ergo &c.

Denique S. Præceptor 1. p. q. 83. a. 1. ad 5. docet, dispositiones in voluntate nostra existentes libertatem ejus non auferre, *quia ipsius subjacent arbitrio, & rationis judicio*: atqui physica præmotio non subjacet nostræ voluntatis arbitrio,

&

& rationis judicio; ſed potiùs è contra noſtræ voluntatis arbitrium, & rationis noſtræ judicium, phyſicæ præmotioni ſubduntur: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. Ad cujus prob. nego ant. intellectum de neceſſitate abſoluta & ſimpliciter dicta. Ad 1. prob. diſtinguo, & concedo, tunc mobile neceſſariò moveri, quando moventi omninò ſubditur, retinendo ſolam ſpontaneitatem ad motum, quo pacto aqua ſubditur homini eam fundenti: ſed nego, tunc mobile neceſſariò moveri, quando moventi omninò ſubditur, propter ſummam ejus virtutem & efficaciam, retinendo indifferentiam judicii, & potentiam ad oppoſitum. Et hoc modo cauſa ſecunda libera omninò ſubditur Deo phyſicè præmoventi.

Ad 2. prob. diſtinguo ſimiliter, & concedo, tunc cauſam neceſſariò operari, quando eſt *immutabiliter* ad unum determinata per modum naturæ, id eſt, cum excluſione indifferentiæ judicii, & potentiæ ad oppoſitum; qua ratione bruta, Cœli, lapides, & hujuſmodi agentia naturalia, *immutabiliter* determinantur ad unum: at nego, tunc cauſam neceſſariò operari, quando eſt *immutabiliter* ad unum determinata per modum liberi, id eſt, cum indifferentia judicii, & potentia ad oppoſitum. Dum verò cauſa ſecunda libera phyſicè à Deo præmovetur, fit quidem ad unum, v. g. ad amorem potiùs, quàm ad odium, *immutabiliter* determinata per modum liberi; non tamen per modum naturæ, quia quamvis Deus, propter ſummam & infinitam efficaciam ſuæ voluntatis atque omnipotentiæ, quę deficere non poſſunt, moveat, applicet, ac determinet *immutabiliter* cauſam ſecundam liberam ad operandum; attamen quia movet, applicat, ac determinat cauſam ſecundam liberam ad agendum vel operandum juxta conditionem naturæ ejus, inde eſt, ut illam moveat, applicet, ac determinet ad operandum ſub indifferentia judi-

cii,

cii, & cum potentia ad oppositum; quia causa libera ex conditione suæ naturæ potit agere sub judicio indifferenti, & cum potentia ad oppositum.

Ad 3. prob. distinguo ma. & concedo, id non esse liberum, sed necessarium, quod voluntas vitare non potest, nec in sensu composito, nec in sensu diviso; licèt autem voluntas physicè ad amorem præmota nequeat in sensu composito amorem vitare, quia nequit *non amorem* vel odium *cum physica præmotione* ad amorem componere; potest tamen in sensu diviso ipsa voluntas physicè ad amorem præmota amorem vitare, quatenus potest ponere *non amorem*, vel odium divisivè seu secundùm se consideratum.

Ad ultimam prob. data vel concessa ma. distinguo min. atqui physica præmotio *originativè* sumpta, sive ex parte suæ originis, non subjacet nostræ voluntatis arbitrio, & rationis judicio, concedo; revera namque origo physicæ præmotionis, nempè Deus præmotor, voluntatis creatæ arbitrio, vel rationis nostræ judicio, minimè subditur: atqui physica præmotio *terminativè* accepta, sive ex parte sui termini usurpata, non subjacet nostræ voluntatis arbitrio, & rationis judicio, nego; reipsa enim terminus physicæ præmotionis in causa secunda libera, scilicet actio libera, ad quam movet, applicat, & impellit, nostræ voluntatis arbitrio, & rationis judicio, verè proprièque subditur. Et hoc sufficit, ut physica præmotio non auferat nostræ voluntatis libertatem.

Instant 1. Adversarii: illud lædit libertatem causæ, quod ponitur in causa independenter ab ea, & ab ejus electione, habetque connexionem *ineluctabilem* seu *invincibilem* cum actione: atqui physica præmotio ponitur in voluntate creata independenter ab ipsa, & ab ejus electione, habetque connexionem *ineluctabilem* sive *invincibilem* cum actione, ut docent Thomistæ: ergo &c.

Ref-

Reſpondeo diſtinguendo ma. illud lædit libertatem cauſæ, quod ponitur in cauſa independenter ab ea, & ab ejus electione, habetque connexionem *ineluctabilem* ſeu *invincibilem* cum actione: ſi illud ſit cauſæ contrarium vel violentum, concedo: ſi non ſit cauſæ contrarium nec violentum, ſed moveat eam juxta connaturalem ejus agendi modum, nego. Quamvis verò phyſica præmotio ponatur in voluntate creata independenter ab eâ, & ab ejus electione, habeatque connexionem *ineluctabilem* ſeu *invincibilem* cum actione; non eſt tamen creatæ voluntati contraria vel violenta, ſed potiùs illam movet, applicat, & impellit, juxta connaturalem ejus agendi modum, nimirum ſub indifferentia judicii, & cum potentia ad oppoſitum. Ideòque phyſica præmotio non modò libertatem creatæ voluntatis non lædit, ſed præterea invictè præſtat, ut creata voluntas liberè operetur, utpotè ſub indifferentia judicii, & cum potentia ad oppoſitum.

Urgent: quod creata voluntas nec in ſe ponit, nec à ſe auferre poteſt, ejus libertati obeſt: atqui voluntas creata nec in ſe ponit phyſicam præmotionem, nec eam à ſe auferre poteſt, juxta Thomiſtas: ergo &c. Ma. probant Adverſarii exemplo vinculorum, quibus aliquis conſtrictus eſt; idcircò enim vincula obſunt illius hominis libertati, quia nec ea poſuit, nec ea ipſe à ſe auferre poteſt.

Reſpondeo ſimiliter diſtinguendo maj. quod creata voluntas nec in ſe ponit, nec à ſe auferre poteſt, ejus libertati obeſt: ſi illud ſit voluntati contrarium vel violentum, ſicut contraria & violenta ſunt vincula homini ipſis conſtricto, concedo: ſi illud non ſit voluntati contrarium neque violentum, ſed potiùs eam perficiat modo ipſi connaturali, nego. Præmotio autem phyſica non eſt aliquod vinculum voluntati noſtræ contrarium aut violentum, quo ipſa conſtringa-

gatur, ut putant Adverſarii; ſed potiùs eſt quædam ejus perfectio, qua de potentia ad actum reducitur, & ad agendum modo *ipſi* connaturali, videlicet ſub indifferentia *judicii*, & cum potentia ad oppoſitum, movetur, applicatur, & determinatur.

Urgent iterum: qui vinculis eſt conſtrictus, in ſenſu diviſo ambulare poteſt, ſi nimirum vincula ab eo *dividantur* ſive auferantur; & tamen ad *ambulandum* non eſt liber: ergo pariter quamvis phyſicè ad amorem præmotus poſſit odiſſe in ſenſu diviſo, ut dictitant Thomiſtæ; propterea tamen ad odium ponendum liber non eſt.

Reſpondeo negando paritatem. Diſparitas eſt, quòd ſenſus *diviſus*, in quo homo vinculis conſtrictus ambulare poteſt, dividit ſive aufert vincula ab ipſo, ita ut expeditè nequeat ambulare, niſi vincula ab eo dividantur ſeu auferantur: at divilus ſenſus, in quo homo phyſicè ad amorem præmotus odiſſe poteſt, ab ipſo phyſicam præmotionem non aufert vel dividit, ſed dividit duntaxat odium, vel *non amorem*, ſeu negationem vel privationem amoris à phyſica præmotione ad amorem; unde homo phyſicè ad amorem præmotus, eſt ad odium, vel *non amorem*, propriè liber, proprièque atque expeditè odium, vel *non amorem*, ponere poteſt; licèt neutrum cum phyſica præmotione ad amorem componere ſive conjungere queat.

Dices cum Adverſariis: phyſica voluntatis creatæ præmotio non eſt ipſi libera: ergo ejus libertatem lædit. Conſeq. videtur evidens. Prob. ant. *illud* tantùm eſt voluntati creatæ liberum, quod *illius* ſubditur poteſtati: atqui phyſica voluntatis creatæ præmotio, ejus non ſubditur poteſtati; ſed potiùs hanc poteſtatem ſibi potenter ſubjicit: ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo ant. phyſica voluntatis creatæ præmotio non eſt ipſi libera *entitativè*, concedo; entitas enim phyſicæ præmotionis

nis

nis non eſt creatæ libertatis effectus, neque voluntatis creatæ ſubditur poteſtati: phyſica voluntatis creatæ præmotio non eſt ipſi libera *cauſaliter*, nego; cauſat quippe phyſica præmotio exercitium creatæ libertatis, quod creatæ voluntatis poteſtati planè ſubjicitur.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ant. diſtinctione ſuperiùs data: phyſica voluntatis creatæ præmotio non eſt ipſi libera *originativè*, concedo; reverà namque phyſicæ præmotionis origo, voluntati creatæ libertati & poteſtati non ſubditur: phyſica voluntatis creatæ præmotio non eſt ipſi libera *terminativè*, nego; terminus etenim phyſicæ præmotionis creatæ voluntatis, ſcilicet actio libera, ad quam applicat creatam voluntatem, libertati & poteſtati creatæ voluntatis verè propriéque ſubjicitur.

Dices rurſus: quod eſt liberum, debet eſſe voluntarium, ut evidens eſt: atqui præmotio phyſica non eſt voluntaria, reſpectu voluntatis creatæ: ergo &c. Prob. min. quod eſt voluntarium, debet eſſe actus voluntatis, vel ſequi actum voluntatis: atqui præmotio phyſica nec eſt actus voluntatis creatæ, nec ſequitur actum creatæ voluntatis, ſed potiùs omnem voluntatis creatæ actum antecedit: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui præmotio phyſica non eſt *formaliter* voluntaria reſpectu voluntatis creatæ, concedo; reipſa namque phyſica præmotio, neque eſt *formaliter* actus creatæ voluntatis, neque *formaliter* ejus actum ſequitur: atqui præmotio phyſica non eſt *eminenter* voluntaria reſpectu voluntatis creatæ, nego; ſequitur enim phyſica præmotio actum divinæ voluntatis, in qua voluntas creata *eminenter* continetur.

Urgebis: juxta hanc ſolutionem & doctrinam, beatificus amor liber eſt; ſequitur namque liberum divinæ voluntatis actum: hoc autem in Schola D. Thomæ inauditum eſt.

Reſ-

Respondeo negando, ex solutione & doctrina
ossitra inferri posse, amorem beatificum clie pro-
rioè liberum; quia, ut aliquid dicatur propriè li-
errum, respectu voluntatis creatæ, non est sa-
is:, *ut quovis modo* sequatur liberum divinæ vo-
umtatis actum; sed requiritur insuper, ut vel
causet atque inferat in creatura judicium indiffe-
rens, sub quo creata voluntas operetur; vel à
voluntate creata fiat sub indifferenti judicio. Un-
dæ *quia* præmotio physica sic sequitur liberum di-
vinæ voluntatis actum, ut causet atque inferat
in creatura judicium indifferens, (quod nempè
unum extremum finitum ita creatæ proponit vo-
luntati, ut dum ejus bonitatem exponit, etiam
ejus finitatem, atque carentiam bonitatis, quæ
est *in altero* extremo, simul ostendat; ex quo
oritur, ut hoc judicio unum extremum, v. gr.
coonsensus, cum indifferentia & optione voluntati proponatur) sub quo creata voluntas operatur,
ipsa præmotio physica libera est *causaliter*, respectu voluntatis creatæ, ut suprà explanatum est:
aut amor beatificus neq; infert in homine beato ju-
dicium indifferens, sub quo agat voluntas homi-
nis beati, neque ab eadem voluntate fluit sub in-
differéti judicio, sed sub judicio omninò ad unum
determinato, quod nimirum proponit voluntati
Deum ut summum & infinitum bonum clarè vi-
sum, sine optione, & consequenter necessariò,
amandum.

Instant. 2. quod tollit indifferentiam creatæ
voluntatis, ejus aufert libertatem; libertas nam-
que in indifferentia consistit: atqui physica præ-
motio seu prædeterminatio tollit indifferentiam
creatæ voluntatis; eam siquidem ad unum deter-
minat, v. gr. ad amorem: ergo &c. Urgent ma-
gis: ut creata voluntas sit libera, debet se ipsam
determinare: atqui si voluntas creata physicè
à Deo prædeterminetur, se ipsam non determi-
nat; sed supponitur jam à Deo determinata: er-
go &c.

Res-

Reſpondeo diſtinguendo ma. Quod tollit *indifferentiam actualem* creatæ voluntatis, ejus aufert libertatem, concedo; revera namque libertas poſita eſt in *indifferentia actuali*, qua voluntas ita unum exercet actum, ut ipſum poſſit ſuſpendere, vel ponere oppoſitum: quod tollit *indifferentiam potentialem & ſuſpenſivam* creatæ voluntatis, ejus aufert libertatem, nego; nam conſiſtit enim libertas in *indifferentia potentiali & ſuſpenſiva*, quæ eſt omnis actus privatio, ſive ab omni actu ſuſpenſio. Quamvis verò phyſica prædeterminatio tollat *indifferentiam potentialem & ſuſpenſivam* creatæ voluntatis, quatenus creatam voluntatem de privatione omnis actus ſive de ſuſpenſione ab omni actu, ad hunc actum determinatè reducit; non tollit tamen illius *indifferentiam actualem*: unde non determinat illam ad unum per modum naturæ, tollendo nimirum potentiam ad oppoſitum; ſed eam determinat ad unum per modum liberi, relinquendo ſcilicet in ea potentiam ad oppoſitum, ſub judicii indifferentia.

Ad id quod additur; reſpondeo diſtinguendo maj. ut creata voluntas ſit libera, debet ſe ipſam determinare, in proprio ordine, nimirum in ordine cauſæ ſecundæ, concedo; ut creata voluntas ſit libera, debet ſe ipſam determinare in ordine cauſæ primæ, nego: unde quia voluntas creata phyſicè à Deo prædeterminata, ſuppenitur jam à Deo determinata in ordine cauſæ primæ, non debet ampliùs determinari in ordine cauſæ primæ; debet tamen ulteriùs ſe ipſam in ordine cauſæ ſecundæ determinare, eligendo quod placuerit, & exeundo in actum ſub *judicio* indifferenti & libero.

Urgent: in homine phyſicè à Deo prædeterminato non remanet judicium indifferens: ergo ille homo liberè non agit. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant. illud judicium non eſt indifferens, quod eſt ad unum determinatum: atqui judicium ho-

hominis à Deo ad amorem physicè prædeterminati, est ad unum determinatum; quandoquidem dictat voluntati, unum determinatè esse ponendum, nempè amorem: ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. in homine physicè à Deo prædeterminato non remanet judicium indifferens, *indifferentia potentiali*, concedo; judicium enim hominis physicè à Deo prædeterminati reducit objectivè voluntatem ejus de privatione omnis actus ad determinatum actum, v. g. ad amorem: in homine physicè à Deo prædeterminato non remanet judicium indifferens, *indifferentia actuali*, nego; tunc enim dumtaxat judicium intellectus non est indifferēs *indifferentia actuali*, quando ad unum est simpliciter determinatum, quando nempè proponit sine optione objectum voluntati, & ut ipsam ad sui amorem determinatè, vel ad odium determinatè, necessitans; quo modo se habet beatorum judicium, quod dictat ipsis, Deum clarè visum esse amandum. Quando verò intellectus judicium dictat quidem voluntati, unum determinatè esse ponendum, v. g. objectum esse amandum, cum optione tamen; tunc illud judicium est quidem secundùm quid ad unum determinatum, sive determinatum ad unum per modum liberi; non est tamen simpliciter ad unum determinatum, sive determinatum ad unum per modum naturæ; sed est indifferens *indifferentia actuali*, quia ita dictat voluntati, hunc actum determinatum esse ponendum, ut tamen in ea relinquat potentiam ad illum non ponendum, vel ad ponendum oppositum. Et hoc secundo modo se habet judicium *hominis* physicè à Deo ad amorem, v. g. prædeterminati; unde mirum non est, si homo ille amando, liberè agat.

Urgent iterum: ut homo sit propriè liber, omninò requiritur, ut in eo sit non tantùm indifferentia extrinseca & objectiva judicii, sed etiam formalis & intrinseca voluntatis, quæ in potentia

tia ad oppoſitum, poſita eſt : atqui licèt prædeterminatio phyſica primam indifferentiam relinquat in homine, non tamen alteram : ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. repugnat quippe, ut homo agat cum indifferentia objectiva judicii, & ita cum optione ; & non ſit in voluntate indifferentia formalis & intrinſeca, & ve expedita ad oppoſitum potentia, atque plena libertas.

Inſtant 3. ut voluntatis creatæ libertas non lædatur, opus eſt, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit agere, & non agere ; cauſa quippe libera definitur : *Quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, agere poteſt, & non agere* : atque ſi creata voluntas phyſicè à Deo præmoveatur, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, non poterit non agere : ergo &c. Prob. min. ſi voluntas creata phyſicè à Deo ad agendum præmoveri debeat, phyſica præmotio erit unum ex prærequiſitis ad agendum, ut patet ; poſita verò in voluntate creata phyſica præmotione, qua ad agendum impellatur, ipſa creata voluntas non poteſt non agere, quia phyſica præmotio ad agendum data, inquiunt Adverſarii, neceſſariò actionem trahit.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ut voluntatis creatæ libertas non lædatur, opus eſt, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit agere, & non agere in ſenſu diviſo, concedo : opus eſt, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit agere & non agere in ſenſu compoſito, nego. (Saltem ſi ſermo ſit de prærequiſitis ad agendum, ſola naturæ, ſeu cauſalitatis *prioritate* actionem creatæ voluntatis præcedentibus, & eodem inſtanti ſimul cum illa exiſtẽtibus, qualis eſt phyſica præmotio.) Et cum hac diſtinctione exponenda eſt & intelligenda cauſæ liberę definitio. Quamvis autem, poſita in voluntate creata præmotione phyſica, ipſa creata voluntas non poſſit

in

in sensu composito non agere, (quia cùm præmotio physica ad agendum impellens, & actio ipsa, sint simul eodem instanti, non datur tempus cum physica præmotione componi; aliquando tamen componeretur cum actione; quod pugnat) potest tamen in sensu diviso non agere, considerando scilicet non actionem divisim & seorsim cundùm se. Dum autem ajunt adversarii, physicam præmotionem necessariò actionem voluntatem determinare, sive voluntatem ad agendum determinare, id negandum est; neque enim physica præmotio voluntatem ad agendum determinat, sed sub judicio indifferenti liberum manet.

Dices cum adversariis: physica voluntatis creatæ præmotio ad amorem, juxta Thomistas, est ab amore inseparabilis, & ab intrinseco atque essentialiter, proindeque necessariò cum illo connectitur: ergo voluntatem creatam determinat, trahitque ad amorem.

Respondeo concessio ant. negando cons. quantumvis etenim physica voluntatis præmotio ad amorem, sit ab amore inseparabilis, & ab intrinseco atque essentialiter & necessariò cum illo connectatur, illum tamen non infert modo voluntati necessario, sed potiùs modo ipsi libero, animirum sub judicio indifferenti, & cum optione. Unde posita in voluntate physica ad amorem præmotione, est quidem necesse, ut voluntas amet; at ut amet liberè, utpotè indifferenti sub judicio, & cum optione; ideòque ad amandum minimè trahitur, sive non necessitatur.

Urgent 1. ut creata voluntas liberè agat, requiritur, ut cum omnibus ad agendum prærequisitis possit actionem, vel *non actionem*, componere: ergo quia hoc est, posse agere, vel non agere, in sensu composito; ut voluntas creata liberè agat, requiritur, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis, agere possit, vel non agere, in sensu composito. Prob. ant. dū dicitur, positis omnibus ad agendū prærequisitis, voluntatē crea-

creatam liberè agere, & poſſe agere, vel non agere, hæc potentia eſt dominativa, qua voluntati optio actionis, vel *non actionis*, datur; proindèque poteſt, prout libet, actionem, vel *non actionem*, cum prærequiſitis ad agendum componere: alioquin ſi cum his prærequiſitis actionem componat, nequeat verò *non actionem* cum illis componere, actionem cum hujuſmodi prærequiſitis, non liberè & ex dominio, ſed ex neceſſitate, componit.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ut creata voluntas liberè agat, requiritur, ut cum omnibus ad agendum prærequiſitis poſſit actionem, vel *non actionem*, componere: cum omnibus ad agendum prærequiſitis, prioritate durationis actionem creatæ voluntatis præcedentibus, (cujuſmodi ſunt habitus in ipſa voluntate creata exiſtentes) concedo: cum omnibus ad agendum prærequiſitis, ſola prioritate naturæ ſeu cauſalitatis actionem voluntatis antecedentibus, & eodem inſtanti ſimul cum illa exiſtentibus, (qualis eſt phyſica præmotio,) nego; aliàs *non actio* cum actione ſimul eodem inſtanti componeretur; quod abſurdum eſt. Et eadem diſtinctio applicanda eſt conſequenti. Ad prob. ant. reſpondeo ex diſtinctione data, quòd cùm dicitur, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, prioritate durationis actionem voluntatis præcedentibus, voluntatem creatam poſſe agere, vel non agere; hæc potentia eſt dominativa dominio potentiali, & ab actione ſuſpenſo; unde hac potentia, actionis vel *non actionis* optio potẽtialis & ab actione ſuſpenſa, datur creatæ voluntati; proindèque creata voluntas tunc poteſt, prout libet, *actionem*, vel *non actionem*, cum illis prærequiſitis componere. At cùm dicitur, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, ſola prioritate naturæ ſeu cauſalitatis actionem voluntatis antecedentibus, creatam voluntatem liberè agere, & poſſe agere, vel non agere; hæc potentia eſt dominativa dominio

minio actuali, sive dominio cum actione conjuncto; unde hac potentia, voluntati quidem optio actionis, vel *non actionis*, datur; at optio actualis, sive optio juncta cum actione libera voluntatis; ideòque tunc creata voluntas liberè quidem actionem ponit, sed tamen cum prærequisitis illis *non actionem* componere nequit: alioquin *non actionem* cum actione ipsa componeret; *quod repugnat*.

Neque sequitur, ut voluntas creata tunc actionem cum *hujusmodi* prærequisitis ex necessitate componat; ut enim actionem suam cum illis prærequisitis liberè & ex dominio actuali componat, sat est, ut absolutè possit actionem suam ponere, considerando *non positionem* actionis, seu *non actionem*, divisivè aut secundùm se.

Urgent 2. voluntas creata, positis ad agendum prærequisitis, sola naturæ prioritate actionem præcedentibus, potest absolutè non agere: ergo potest cum prærequisitis illis *non actionem* componere; quid enim est, voluntatem creatam, positis ad agendum prærequisitis, sola naturæ prioritate actionem præcedentibus, posse absolutè non agere, nisi ipsam posse absolutè non *actionem* cum prærequisitis illis componere?

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Voluntatem quippe creatam, positis ad agendum prærequisitis, sola prioritate naturæ actionem præcedentibus, posse absolutè non agere, non est ipsam posse *non actionem* cum prærequisitis illis componere; sed est voluntatem creatam posse absolutè actionem non ponere, considerando *non positionem actionis*, seu *non actionem*, absolutè seu divisivè, vel secundùm se.

Urgent 3. dum dicunt Philosophi, voluntatem creatam, positis ad agendum prærequisitis sola prioritate naturæ actionem antecedentibus posse agere, vel non agere; utrumque ex æquo usurpant, & creatam voluntatem utrumque ex æquo posse putant: ergo sicut tunc potest creata volun-

voluntas agere in ſenſu compoſito, ita & non agere in ſenſu compoſito; componendo nimirum *non actionem* cum illis ad agendum prærequiſitis.

Reſpondeo diſtinguendo ant. dum dicunt Philoſophi, voluntatem, poſitis ad agendum prærequiſitis ſola prioritate naturæ actionem antecedentibus, poſſe agere, vel non agere, utrumque ex æquo uſurpant, & creatam voluntatem utrumque ex æquo poſſe putant, quantùm ad ſubſtantiam, concedo; ſicut etenim tunc voluntas creata verè ac propriè agere poteſt, ita & non agere: utrumque ex æquo uſurpant, & creatam voluntatem utrumque ex æquo poſſe putant, quantùm ad modum; ita ut quemadmodum tunc voluntas creata agere poteſt modo compoſitivo, actionem ſuam cum illis prærequiſitis componendo; ſic etiam poſſit modo compoſitivo non agere, componendo vel conjungendo non actionem cum illis ad agendum prærequiſitis, nego ant. & conſeq.

Urgent. 4. voluntas creata debet illud poſſe, ad quod ipſa tenetur: *Ad impoſſibile enim nemo tenetur*: atqui creata voluntas aliquando tenetur componere *non actionem* cum omnibus ad agendum prærequiſitis: ergo debet illud poſſe. Prob. min. quando etenim peccat creata voluntas, tenetur componere *non peccatum* cum omnibus ad peccandum prærequiſitis; quod ſic probo: componere *non peccatum* cum omnibus ad peccandum prærequiſitis, non eſt aliud, quàm facere, ut eodem inſtanti, quo ſunt illa prærequiſita, ſit etiam *non peccatum*, ſive non ſit peccatum: atqui tenetur facere creata voluntas, ut eodem inſtanti, quo ſunt omnia ad peccandum prærequiſita, non ſit peccatum; alioquin ponendo peccatum eodem inſtanti, non peccaret: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. de prærequiſitis ad agendum ſola prioritate naturæ actio-

actionem præcedentibus, & eadē duratione simul cum ipsa existentibus. Ad prob. mi. nego, quòd dum peccat creata voluntas, teneatur componere *non peccatum* cum omnibus ad peccandum prærequisitis sola prioritate naturæ peccatum antecedentibus: ad cujus prob. distinguo ma. componere *non peccatum* cum omnibus ad peccandum prærequisitis, non est aliud, quàm facere, ut eodem instanti *formaliter*, quo sunt illa prærequisita, sit etiam *non peccatum*, sive non sit peccatum, concedo: non est aliud, quàm facere, ut eodem instanti *materialiter*, quo sunt illa prærequisita, sit etiam *non peccatum*, sive non sit peccatum, nego ma. Quamvis verò teneatur facere creata voluntas, ut eodem instanti *materialiter sumpto*, (id est, eodem instanti secundùm se spectato, & prout ex se abstrahit à prærequisitis ad peccandum) quo sunt omnia ad peccandum prærequisita, non sit peccatum; non teneturtamen facerè ipsa creata voluntas, ut sit *non peccatum* illo instanti, si instans illud accipiatur *formaliter* aut reduplicativè, prout in eo sunt omnia ad peccandum prærequisita, etiam illa quæ sunt peccato sola prioritate naturæ priora, & simul cum illo existentia; nam alioquin teneretur componere *non peccatum* cum peccato; quod impossibile est. Unde non peccat voluntas creata, ex eo, quòd in præfato instanti *formaliter* accepto, *non peccatum* seu negationem peccati non ponat; sed ex eo, quòd non abstineat à peccato, à quo absolutè & simpliciter abstinere potest.

Instanc 4. necessitas antecedens lædit libertatem: atqui physica voluntatis creatę pręmotio necessitatem antecedentem imponit: ergo &c. Ma. est communis Philosophorum doctrina. Prob. min. necessitas antecedens ex D. Anselmo lib. 2. cur Deus homo c. 18. & lib. de concordia prædestinationis cum libero arbitrio cap. 10. ea dicitur, quæ causa est, ut sit res: atqui hanc neces-

(rtatæ voluntatis libertas eminenter & æquivalenter comprehenditur. Et hoc sufficit, ut creatæ voluntatis libertas à præmotione physica non lædatur.

Urgent 3. ea necessitas antecedens nocet libertati, cujus causa impediri non potest à voluntate, nec vinci: atqui causa necessitatis impositæ voluntati creatæ à physica præmotione, nimirum ipsa præmotio physica, impediri non potest à voluntate creata, nec vinci, juxta Thomistas: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ea necessitas antecedens nocet libertati, cujus causa impediri non potest à voluntate, nec vinci: si causa sit voluntati contraria vel violenta, concedo: si non sit voluntati contraria neque violenta, sed moveat ipsam juxta connaturalem ejus agendi modum, nego. Quamvis verò physica præmotio impediri non possit à voluntate creata, nec vinci; attamen non est creatæ voluntati contraria vel violenta, sed potiùs eam movet, juxta connaturalem ejus agendi modum, videlicet illam movet ad agendum sub indifferentia judicii. Unde, ut suprà diximus, physica præmotio non modò creatæ voluntatis libertati non nocet, sed etiam *inimpedibiliter* & *invictè* præstat, ut voluntas creata liberè operetur, utpotè sub indifferentia judicii.

Dices cum adversariis: si Deus vellet voluntati creatæ necessitatem imponere, id præstare non posset per aliquid fortius atque potentius, quàm per physicam præmotionem à voluntate creata *Independentem*, *inimpedibilem* & *invincibilem*: ergo, si Deus reipsa creatam voluntatem physicè præmoveat, ei revera necessitatem imponit.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo, si Deus reipsa creatam voluntatem physicè præmoveat ad operãdum sub judicio simplici-

pliciter ad unum determinatum
physicè præmovet voluntatem
tivum amorem) ei reverà necessitatem imp
concedo: ergo, si Deus reipsa creatam volunta-
tem physicè præmoveat ad operandum sub judi-
cio indifferenti, ei reverà necessitatem imponit,
nego; repugnat namque, ut voluntas sub judi-
cio indifferenti operetur, & tamen ex necessita-
te operetur.

Instans 5. quod tollit potentiam ad oppositum, lædit libertatem; quandoquidem potentia ad oppositum, ad plenam completamque libertatem desideratur: atqui physica præmotio, v.g. ad amorem, tollit potentiam ad oppositum, scilicet ad *non amorem*, vel ad odium: ergo &c. Prob. min. physicè ad amorem præmotus nullam habet potentiam ad id, quod implicat: atqui implicat physicè ad amorem præmotum non amare, aut odium ponere: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo ma. physicè ad amorem præmotus nullam habet potentiam ad id, quod simpliciter implicat, concedo: nullam habet potentiam ad id, quod simpliciter est possibile, & secundùm quid solùm, atque in uno sensu duntaxat, implicat, nego: licèt autem secundùm quid & in sensu composito implicet, physicè ad amorem præmotum non amare, aut odium ponere; id tamen simpliciter & absolutè atque in sensu diviso est possibile, ita ut physicè ad amorem præmotus verè possit non amare, vel odium ponere, si *non amor*, vel odium, simpliciter, absolutè, divisivè, & secundùm se consideretur. Non habet tamen physicè ad amorem præmotus potentiam consequentem & futuritionis ad non amandum, vel ad odium ponendum, id est, non habet potentiam, quæ sit aliquando actum consecutura, sive quæ sit aliquando ad actualem *non amorem*, vel ad actuale odium, reducenda, stante ac remanente physica ad amorem præmotione.

creata phyſica ad amorem præmotio, ſupponitur quoque amor, qui eſt eodem inſtanti, quo eſt phyſica ad ipſum præmotio; per accidens ergo ſequeretur tunc impoſſibile, nempe amorem & odium eſſe actu ſimul in eadem voluntate creata.

Urgent 3. ſi voluntas creata phyſicè ad amorem à Deo præmota, poſſet non amare, divinam præmotionem irritam facere poſſet: atqui creata voluntas nequit divinam præmotionem irritam facere, juxta Thomiſtas: ergo &c. Prob. maj. ſi voluntas creata phyſicè ad amorem à Deo præmota, actu non amaret, præmotionem divinam actu irritam faceret, ut evidens eſt: ergo, ſi poſſet non amare, divinam præmotionem irritam facere poſſet; ut enim habet commune axioma: *Quod facit actus actu, hoc facit potentia poſſibiliter*: id eſt, quod actu facit actus, hoc potentia facere poteſt: proindèque, ſi voluntas creata phyſicè ad amorem à Deo præmota, præmotionem divinam actu irritam faceret, ex eo quòd actu non amaret; ſequitur clarè, quòd ſi poſſet non amare, divinam præmotionem irritam facere poſſet.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi voluntas creata phyſicè ad amorem à Deo præmota, poſſet in ſenſu compoſito non amare, divinam præmotionem irritam facere poſſet, concedo: ſi poſſet in ſenſu diviſo duntaxat non amare, divinam præmotionem irritam facere poſſet, nego; ſicut enim ut divina ad amorem præmotio actu irrita fiat, opus eſt, ut *non amor*, vel negatio aut privatio amoris, cum ipſa præmotione divina componatur; ſic etiam, ut poſſit irrita fieri, eſt neceſſè, ut *non amor* poſſit cum ipſa componi; ac proindè ut creata voluntas phyſicè ad amorem à Deo præmota, divinam præmotionem irritam facere poſſet, opus foret, ut poſſet *non amorem* cum præmotione divina componere; proindèque eſſet neceſſè, ut poſſet in ſenſu compoſito non amare: quamvis autem voluntas creata phyſicè

cè ad amorem à Deo præmota possit in sensu diviso non amare, nequit tamen non amare in sensu composito. Ad prob. maj. concesso ant. (quod sensum compositum efficit) distinguo consequens distinctione data: ergo, si posset in sensu composito non amare, divinam præmotionem irritam facere posset, concedo: ergo, si posset in sensu diviso non amare, divinam præmotionem irritam facere posset, nego. Ad axioma Philosophorum, *respondeo*, istud axioma esse de potentia in sensu composito accepta intelligendum.

Urgent 4. physica voluntatis creatæ ad amorem præmotio est impedimentum ad odium; quandoquidem odium cum præmotione illa stare non potest: ergo creata voluntas physice ad amorem præmota, non habet expeditam ad odium potentiam.

Respondeo distinguendo ant. physica voluntatis creatæ ad amorem præmotio est improprie impedimentum ad odium, quatenus ratione amoris liberi, cum quo [illegible] connectitur, cum odio pugnat, & cum illo stare non potest, concedo: physica voluntatis creatæ ad amorem præmotio est proprie impedimentum ad odium, ita ut creata voluntas per illam proprie ligetur & impediatur, ne operetur modo [illegible] ad libero, & cum expedita ad amorem tum ad odium potentia, nego.

Instant 6. tunc voluntas creata non habet expeditam ad operandum potentiam, quando caret aliquo ad operandum requisito: atqui creata voluntas physice ad amorem à Deo præmota, caret aliquo ad odium ponendum requisito, nimirum caret physica præmotione ad odium: ergo &c. Unde, inquiunt Adversarii, voluntas creata physice ad amorem à Deo præmota, non est magis ad odium ponendum expedita, quàm expeditus sit pictor sine penicillo ad pingendum.

Respondeo distinguendo maj. tunc voluntas

crea-

creata non habet expeditam ad oper
tentiam, quando caret aliquo ad oper
quiſito: ſi illud per modum potentiæ r
concedo: ſi illud requiratur duntaxat a
applicationis proximæ potentiæ, quam
tate ſupponat, nego. Phyſica autem p
requiritur quidem in voluntate creata ad
dum, v. g. ad odium ponendum; at n
modum potentiæ, ſed ſolùm ad modum
cis, at efficacis, applicationis potentiæ
mæ, quam in creata voluntate ſupponit.
ta ergo voluntas carens phyſica præmotion
bet proximam ad operandum, v. g. ad od
ponendum, potentiam, ac proinde & expedit
habet potentiã. Ad exemplũ Pictoris & penicil
negatur paritas; penicillus quippe non eſt ſimple
Pictoris ad pingendum applicatio, ſed eſt inſtru
mentum ſe tenens ex parte potentiæ in Pictore.

Urgent 1. quod præcedit actum ſecundum, ſeu actionem, prioritate naturæ vel cauſalita
tis, ſe habet ad modum potentiæ; ut patet in virtute Solis, qua radium emittit; hæc enim virtus ſola prioritate naturæ aut cauſalitatis ra
dium antecedit, & tamen virtutem illam ſe ha
bere ad modum potentiæ, evidens eſt: atqui præmotio phyſica, etiam juxta Thomiſtas, præ
cedit actum ſecundum, aut actionem, prioritate naturæ vel cauſalitatis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quod præcedit actum ſecundum ſeu actionem, prioritate naturæ vel cauſalitatis, ſe habet ad modum potentiæ: ſi præcedat ut virtus eliciens aut producens, quo pacto Solis virtus emittens radium, radium ipſum antecedit, concedo: ſi præcedat tantùm ut applicatio virtutis elicientis aut producentis, qua ratione duntaxat præmotio phyſica actum ſecundum antecedit, nego.

Urgent 2. quod habet modum radicis, habet modum potentiæ: atqui phyſica præmotio habet modum radicis; nam juxta Thomiſtas, præmo-

tio

tio physica est libertatis actualis, seu liberæ operationis, radix: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod *formaliter* habet modum radicis, habet modum potentiæ, concedo: quod *applicative* solùm habet modum radicis, habet modum potentiæ, subdistinguo: habet *applicative* modum potentiæ, concedo: habet *formaliter* modum potentiæ, nego: physica autem præmotio non habet *formaliter* radicis seu potentiæ modum, ita ut sit *formaliter* radix sive potentia; sed habet radicis vel potentiæ modum *applicative* tantum, quatenus applicat radicem seu potentiam liberam ad libertatem actualem, sive ad liberam operationem.

Urgent 3. quidquid ad ordinem operativum pertinet, vel est operativa potentia, vel operatio ipsa: atqui juxta Thomistas, præmotio physica ad ordinem operativum pertinet; & tamen non est operatio, juxta communem Thomisticam doctrinam: ergo est operativa potentia.

[illegible]

cujus prob. conceſſa maj. diſtinguo min. atqui præmotio phyſica non conſtituit *formaliter* voluntatem actu operantem, concedo; hoc enim reipſa eſt proprium operationis munus: atqui præmotio phyſica non conſtituit *applicativè* voluntatem actu operantem, nego; revera namque phyſica præmotio voluntatem ad actu operandum applicat, quod eſt *applicativè* illam conſtituere actu operantem.

Urgent 5. phyſica præmotio non ſupponit in voluntate creata operativam potentiam: ergo tribuit illam, & conſequenter ſe habet ad modum potentiæ. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant. ſi præmotio phyſica ſupponeret in voluntate creata operativã potentiam, poſſet creata voluntas ante receptam præmotionem phyſicam operari; ut patet: atqui voluntas creata ante receptã præmotionem phyſicam operari non poteſt: ergo &c. Prob. min. voluntas creata nequit operari, niſi ſit Deo ſubordinata: atqui creata voluntas ante receptam pręmotionem phyſicam non eſt Deo ſubordinata, ſed per phyſicã pręmotionẽ Deo ſubordinata conſtituitur, juxta Thomiſtarũ ſententiam: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo maj. ſi pręmotio phyſica ſupponeret in voluntate creata operativam potentiam, poſſet in actu primo creata voluntas ante receptam præmotionem phyſicam operari, concedo; per operativam quippè potentiam conſtituitur actus primus: poſſet in actu ſecundo creata voluntas, ante receptã præmotionem phyſicam, operari, id eſt, ipſa voluntas creata, ante receptam pręmotionem phyſicam, aliquando actu operaretur, nego. *Dum verò* docent Thomiſtæ, voluntatem creatam conſtitui Deo ſubordinatam per præmotionem phyſicam; hoc de ſubordinatione in actu ſecundo intelligendum eſt, non autẽ de ſubordinatione in actu primo; voluntas etenim creata non fit per præmotionem phyſicam in actu primo ſubordinata Deo; ſed per hoc, quòd acceperit à Deo operativas vi-

res,

res, quæ nunquam ad actum secundum, sive ad actualem operationem, reducuntur, nisi Deo prævie influente, & simul concurrente.

Instant 7. ut homo sit liber, debet esse suorum actuum dominus: atqui, si homo physicè à Deo præmoveretur, non esset suorum actuum dominus: ergo &c. Ma. aperta est. Prob. mi. non sumus domini eorum, quæ ab alterius voluntate pendent: atqui, si homo physicè à Deo præmoveretur, ejus actus ab alterius voluntate penderent, scilicet à voluntate divina physicè præmovente seu prædeterminante: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando mi. ad cujus prob. distinguo ma. non sumus domini eorum, quæ ab alterius voluntate pendent: si illa voluntas altera sit particularis, concedo; quam ob rationem unus homo non est dominus bonorum alterius: si illa voluntas altera sit prima & universalissima, (qualis est divina voluntas) nego: sicut enim causa prima & universalissima non tollit causarum secundarum influxum, sed perficit; sic etiam prima & universalissima voluntas physicè præmovens aut prædeterminans, dominium voluntatum secundarum & particularium (quales sunt humanæ voluntates) non aufert, sed confert, & de potentia ad actum reducit. Non est tamen tribuendum homini dominium primum & ab omni alio independens, sed dominium duntaxat secundum & essentialiter à divinæ seu primæ & universalissimæ voluntatis dominio dependens.

Urgent 1. ut homo sit suorum actuum dominus, debet se ad agendum determinare, prout libet: atqui, si homo physicè à Deo prædeterminetur, non se determinat ad agendum, prout libet, sed prout Deo placet: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando mi. nam dum Deus physicè hominem prædeterminat, Deo placet, ut homo agat, prout libet, id est, sub indifferentia judicii, & cum optione.

Urgent 2. ut homo physicè à Deo præmotus esset

eſſet ſui actus verè dominus, deberet eſſe præmotionis phyſicæ dominus: atqui homo phyſicè à Deo præmotus, non eſt phyſicæ præmotionis dominus: ergo &c. Mi. videtur aperta; etenim juxta Thomiſtas, phyſica præmotio non ſubditur homini, ſed potiùs ſibi hominem potenter ſubjicit. Prob. autem ma. præmotio phyſica, & actus hominis phyſicè à Deo præmoti, infallibiliter conjunguntur: ergo, ſi homo phyſicè à Deo præmotus, eſt dominus unius, eſt dominus & alterius. Præterea, homo phyſicè à Deo præmotus nequit eſſe dominus ſui actus, niſi ſit *etiam* dominus ejus, ex quo ſequitur actus ille: atqui actus hominis phyſicè à Deo præmoti, ex phyſica præmotione ſequitur: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. ſi ſermo ſit de præmotione phyſica *entitativè* conſiderata. Ut enim homo phyſicè à Deo præmotus ſit ſui actus verè dominus, eſt ſatis, ut ſub indifferentia judicii, & cum optione, in actum exeat; ita autem ſe habet homo phyſicè à Deo præmotus, quamvis phyſicæ præmotionis *entitativè* ſumptæ non ſit dominus, neque eam ſubdat ſibi, ſed potiùs potenter ipſi ſubjiciatur; quia tametſi phyſica præmotio ſibi potenter hominem ſubjiciat, illum tamen ſub indifferentia judicii, & cum optione, ad agendum movet, ut ſuprà ſæpè dictum eſt.

Ad 1. prob. ma. conceſſo ant. nego conſeq. licèt enim præmotio phyſica, & actus hominis phyſicè à Deo præmoti, infallibiliter conjungantur; ipſa tamē phyſica præmotio eſt influxus cauſæ primæ, quæ nullius cauſæ ſecundæ dominio ſubditur.

Ad 2. prob. ejuſdem ma. diſtinguo maj. *homo phyſicè à Deo præmotus nequit eſſe dominus ſui actus, niſi ſit etiam dominus ejus, ex quo ſequitur ille actus*: ſi illud non ſit influxus cauſæ primæ, ſed aliquid ex parte ipſius hominis ſe tenens, concedo: ſi ſit influxus cauſæ primæ, ut eſt præmotio phyſica, ex qua actus hominis phyſicè à Deo præmoti ſequitur, nego.

Ut-

Urgent 3. ut homo sit sui actus verè dominus, debet posse illum ponere, quando non est, & posse illum revocare, quando est: atqui id non potest, si physicè à Deo prædeterminetur ad agendum: ergo &c. Maj. constat: prob. min. ut homo possit actum suum ponere, quando non est, & ipsum revocare, quando est; necesse est, ut habeat in sua potestate omnia ad ponendum vel revocandum actum suum requisita: atqui si homo physicè à Deo ad agendum prædeterminetur, in sua potestate non habet omnia ad ponendum vel revocandum actum suum requisita; non enim habet in potestate sua physicam prædeterminationem, quæ, ut ex dictis patet, sub hominis dominio non est, quamque homo sibi dare, vel advocare, prout vult, non potest; ipsa siquidem à solo Deo ad placitum confertur; & tamen prædeterminatio physica, secundùm nos, est unum ex requisitis, ut homo actum suum ponat: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. distinguo maj. ut homo possit actum suum ponere, quando non est, & ipsum revocare, quando est; necessè est, ut habeat in sua potestate omnia ad ponendum vel revocandum actum suum requisita: omnia ex parte sui requisita, concedo: omnia requisita ex parte causæ primæ homini non subditæ, nego maj. Physica autem prædeterminatio requiritur quidem in homine, ut ipse homo actum suum ponat; at non requiritur ex parte hominis, ita ut ex ipso homine nasci debeat; sed requiritur ex parte primæ causæ, ex qua sola oritur: unde non est necesse, ut ipsa prædeterminatio physica sit in se *entitativè* sumpta sub hominis potestate, & sub ejus dominio; sed est satis, ut à prima causa homini conferatur, quando ei necessaria est, & nunquam illi, nisi ex ejus culpa, denegetur.

Articulus Quintus.

Quonam modo actus peccati ſit à Deo?

§. I.

Difficultas explanatur, & quæ ſit verior ſententia declaratur.

DUo in peccato commiſſionis, *id eſt*, in actu moraliter malo, diſtinguunt Philoſophi ſimul & Theologi, *materiale* nimirum, & *formale*. Materiale peccati commiſſionis eſt actus realis & poſitivus à voluntate elicitus vel imperatus. Formale verò eſt malitia moralis, quæ ineſt actui reali & poſitivo à voluntate elicito vel imperato, ex eo, quòd eſt regulis morum, ſive legi juſtæ, contrarius; quæque peccatum commiſſionis in ratione mali moralis formaliter conſtituit; proprium enim formæ eſt, *ineſſe* materiæ, & totum *formaliter* conſtituere.

Prima ſententia docet, non ſolùm *materiale*, verùm etiam *formale*, peccati commiſſionis, à Deo ortum habere, ita ut Deus utriuſque author verè dicatur. Hanc ſententiam tradit Lutherus in aſſertionibus, aſſert. 36. Lutherum ſecutus eſt Calvinus lib. 2. inſtitu. cap. 4. & aliis pluribus in locis. Quem errorem proſcribit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 6. cujus verba ſuo loco infrà afferemus. Meritòque error ille damnatur; etenim ut bellè *Fulgentius* ait: *Deus non eſt author illius, cujus eſt ultor*; Deum autem eſſe ultorem peccati quantùm ad formale aut malitiam ſumpti, clarum eſt. Præterea, qui eſt author peccati adæquatè accepti, id eſt, quantùm ad materiale & formale ſpectati, verè ac propriè peccat, ut

patet:

patet : atqui Deus verè propriéque peccare non potest ; hoc quippe infinita Dei sanctitate indignum est : ergo &c.

Secunda sententia asserit, Deum non concurrere positivè, sed permissivè tantùm, ad *materiale* peccati. Ita docuere olim quidam antiqui Theologi, apud D. Thomam in 2. distinc. 37. q. 2. art. 2. Hos posteà secuti sunt Durandus & Aureolus, qui immediatum atque *positivum* concursum ad actiones causarum secundarum Deo denegarunt. Istam sententiam esse propinquissimam duplici errori asseverat Angelicus Doctor loco citato sentent. De eadem sententia B. Albertus Magnus in 2. dist. 35. a. 7. sic fatur : *Hæc opinio, quæ obtinuerat apud plures Antiquorum, ferè cessit ab aula, & à multis Modernorum reputatur hæretica.*

Ratione etiam eadem sententia refellitur : omne siquidem ens participatum debet esse *positivè* à Deo, sive debet ab eo *positivè* participari & oriri, tanquam ab ente per essentiam; ut liquet : atqui materiale peccati commissionis, id est, actus realis & positivus, v. g. gravis percussionis injustæ, vel homicidii, est aliquod ens participatum : ergo &c. Mi. declaratur, & in primis, actus realis & positivus est aliquod ens; non enim est nihil, ut constat. Est verò ens participatum; apud Philosophos namque, omne ens, vel est *per essentiam*, vel *per participationem*; cùm igitur perspicuum sit, materiale peccati, sive actum realem & positivum, cui inest malitia moralis, non esse ens per essentiam; hoc namque proprium est Dei, superest, ut sit ens per participationem, seu ens participatum.

Tertia sententia fatetur quidem, Deum simultaneo concursu ad *materiale* peccati positivè concurrere ; at negat, voluntatem creatam ad illud physicè à Deo præmoveri. Hanc sententiam tuentur Moli-

Molina, Suarez, Leſſius, & alii recent communiter.

Quarta denique ſententia affirmat, D non tantùm ſimultaneo concurſu ad mate peccati *poſitivè* concurrere, ſed etiam ipſum ſicè voluntatem creatam ad illud præmovere Thomiſtæ, quibus adhærens.

Dico: Deus, ut prima & univerſaliſſima ſa, phyſicè voluntatem creatam ad *materiale* cati præmovet, & ſimultaneè cum ipſâ ad il *poſitivè* concurrit.

Prob. 1. ex Auguſtino, qui lib. de gratia & bero arbitrio cap. 21. ait, *Deum operari in cor bus hominum, ad inclinandas eorum voluntat quocumque voluerit; ſive ad bona, pro ſua miſe cordia; ſive ad mala, pro meritis eorum; judic ſtique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto ſemper autem juſto.* Et ibidem cap. 2. loquens d peccato Semei, hæc habet: *Deus voluntatem ejus malam in hoc peccatum inclinavit.* Loqui tur autem Auguſtinus duobus illis in loci de inclinatione humanarum voluntatum ort ex omnipotentiſſima ipſarum voluntatum hu manarum inclinandarum poteſtate, quam ex planat & probat lib. de corrept. & gratia cap. 14. inclinatio verò illa eſt ipſa præmotio aut præ determinatio phyſica, ut oſtendimus ſuprà *articulo præcedenti* §. *V.* Deus ergo, ex mente Auguſtini, præmovet aut prædeterminat phyſicè voluntates humanas ad malum & peccatum, non quantùm ad formale, ut patet; igitur quantùm ad materiale. Unde lib. 5. contra Julianum cap. 3. ait, *Homines à Deo ad peccata compelli.* Quod de peccatis materialiter ſumptis intelligendum eſt.

Prob. 2. ex D. Thoma; & in primis Deum ſimultaneè cum voluntate creata ad materiale peccati concurrere, docet diſertè ſanctiſſimus Præceptor loco citato ſentent. & 1. 2. q. 79. a. 2. nec non q. 3. de malo a. 2. & ſexcentis aliis

in

in locis. Creatam verò voluntatem physicè ad idem materiale à Deo præmoveri, docet quoque S. Thomas iisdem in locis : nam in loco allato ex 2. sent. ait, *Vitari non posse, quin voluntas creata esset primum agens, si ejus actio* (quæ nempè est id, quod in peccato materiale est ; de hac quippe actione loquitur ibi S. Doctor, ut legenti constabit) *in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam.* Quibus in verbis physicam præmotionem contineri vel designari ostensum est *artic. præced. §. IX.*

Insuper q. citata de malo dicit, *Deum ut primum motorem esse causam actionis peccati,* (quæ à Philosophis & Theologis, materiale peccati nuncupatur,) *sicut corpus cæleste est principium omnium motuum inferiorum corporum* : quemadmodum igitur corpus cœleste non tantùm simultaneè cum corporibus inferioribus ad ipsorum motus concurrit, sed etiam proprio motu, aut influentiis ex isto motu ortis, inferiora corpora ad suos motus physicè impellit ac præmovet : sic etiam Deus, ut primus motor, debet non solùm simultaneè ad actionem peccati (quæ est quidam creatæ voluntatis motus) concurrere, verùm etiam voluntatem creatam physicè ad actionem illam impellere aut præmovere. Denique 1. 2. q. 79. relata 2. 2. docet, *Deum esse causam actionis peccati, inquantum actio est* : influxus autem, quo Deus causat actionem causæ secundæ, inquantum actio est, est ipsa præmotio physica; ut probatum est *artic. præced. §. X.*

Prob. 3. ratione fundamentali : voluntas creata indiget concursu Dei simultaneo, & physica præmotione divina ad illum actum ponendum, in quo essentialiter subordinatur Deo : atqui creata voluntas in materiali peccati, sive in actu reali & positivo peccati commissionis, essentialiter subordinatur Deo : ergo &c. Mi. ultrò concedunt Recentiores : & meritò, quia manifesta est :

omne

omne ſiquidem ens participatum, eſſentialiter ſubordinatur enti per eſſentiam, (quod Deus eſt) & eſſentialiter ab eo dependet, ut ex ipſis terminis patet: actus verò realis & poſitivus peccati commiſſionis eſt ens participatum; ut conſtat ex dictis. Ma. autem, de qua, tota eſt controverſia, ſic prob. nequit cauſa ſecunda in operando eſſentialiter ſubordinari cauſæ primæ, ſive eſſentialiter ab ea dependere, niſi egeat, ut cauſa prima ſimultaneè ad operationem concurrat; (ut probatum eſt ſuprà articulo 3. prob. 3.) & niſi indigeat, ut à cauſa prima phyſicè ad operationem *præmoveatur*, (ut demonſtratum eſt *artic. immediatè præcedenti §. VIII.*) ergo voluntas creata indiget concurſu ſimultaneo cauſæ primæ, ſive Dei, & phyſica præmotione divina, ad illam operationem ponendam, in qua eſſentialiter ſubordinatur primæ cauſæ, ſive Deo.

§. II.

Satisfit Adverſariorum objectis ex authoritate petitis.

OBjiciunt 1. definitionem Concilii Tridentini ſeſſ. 6. can. 6. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit proprium opus ejus, non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* Inde ſic arguunt Adverſarii: Relatis in verbis, error Lutheri & Calvini proſcribitur; Lutherus verò & Calvinus minimè docebant, Deum eſſe authorem *formalis* peccati, ſed ſolum materiale Deo ut authori tribuebant, formale verò peccati in ſolam voluntatem humanam reducebant; ſic namque Calvinus loquitur lib. 2. inſtitu. cap. 4. *Excæcatio impiorum*, inquit,

& quæ-

& quæcumque inde sequuntur flagitia, opera Sathanæ nuncupantur; quorum tamen causa extra voluntatem humanam quærenda non est, ex qua radix mali surgit &c. Similia habet verba multis aliis in locis: ergo quia sententia Thomistarum Deum facit authotem *materialis* peccati, à Concilio Tridentino simul cum errore Lutheri & Calvini damnatur.

Respondeo 1. argumentum nimis probare; nam etiam Adversariorum doctrina Deum reddit authorem *materialis* peccati; quandoquidem Deus, juxta eam doctrinam, simul cum voluntate humana peccante, ad materiale peccati simultaneè concurrit.

Respondent Adversarii negando paritatem: nam ex Thomistarum sententia, voluntatem humanam ad materiale peccati Deus determinat; unde quasi primus malum aut peccatum incipit: at concursus simultaneus (quem nos, inquiunt, in Deo ad materiale peccati ponimus) à voluntate humana quoad speciem determinatur. Addunt, Deum concurrere ad materiale peccati, quasi invitum, & coactum, ac veluti tractum ab humana voluntate peccante, ne scilicet desit muneri causæ primæ, & lædat jura libertatis humanæ; secundùm illud Isajæ 33. *Servire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

Sed contra: esto concursus Dei simultaneus à voluntate humana peccante quoad speciem determinetur, ipsaque prima malum aut peccatum incipiat; semper tamen verum est in Adversariorum sententia, Deum, cùm videt humanam voluntatem in malum aut peccatum labi, lapsum ejus sequi, & suo concursu simultaneo eam adjuvare, & veluti ab illa trahi in societatem flagitii; quod absurdum est, & impium videtur.

Deinde, quamvis juxta Adversariorum doctrinam, Deus ad speciem actus à peccante creatura determinetur, non tamen ad individuum peccati;

ſed potiùs Deus creaturam ad individuum pecca-
ti, ſive ad hoc peccatum in individuo conſidera-
tum, ipſe determinat: ergo ex Adverſario-
rum doctrina, Deus eſt author hujus pecca-
ti in individuo conſiderati, verbi gratia huj-
homicidii, hujus furti, & hujuſmodi; quia juxta aliam Adverſariorum doctrinam, Deus eſt author illius actus, ad quem creaturam determinat.

Neque verum eſt, quod docent Adverſarii nempè totam malitiam peccati ad ſolam ſpeciem pertinere, nullo verò modo ad individuum; agnoſcunt enim omnes Theologi & Caſuiſtæ duplicem malitiam in peccato; unam quæ a circunſtantiis mutantibus ſpeciem proficiſcitur qualis eſt malitia furti, ex eo, quòd in loco ſacro commiſſum eſt, eſtque malitia ſacrilegii; aliam, quæ à circumſtantiis intra eandem ſpeciem aggravantibus oritur, qualis eſt malitia furti centum nummorum, ſi cum alio furto decem nummorum conferatur: hæc autem malitia ad ſpeciem non attinet, ſed ad individuum; nequè etenim furtum habet ex ſua ſpecie, quòd ſit centum nummorum; ſed id habet, ut eſt hoc furtum in individuo, quo centum nummi injuſtè ablati fuere.

Quia ergo ex Adverſariorum doctrina, Deus determinat creaturam ad peccatum in individuo, Deus eſt verè peccati author: quoniam juxta eam doctrinam, Deus determinat creaturam ad peccatum, ut malum eſt; quandoquidem ut eſt in individuo, malum eſt.

Ad id, quod addunt Adverſarii, Deum etiam phyſicè voluntatem humanam ad materiale peccati præmovere, quaſi invitum, & coactum ac veluti objectivè tractum à conditione naturali voluntatis humanæ; ne videlicet deſit munere cauſæ primæ, & lædat jura libertatis humanæ, videt quippe Deus, humanam voluntatem eſſe ſua naturali conditione moraliter defectibi-

lem,

lem, sive peccabilem, neque ipsam ut causam secundam ex sua conditione naturali moraliter defectibilem atque peccabilem, aliquando agere posse, nisi eam ad materiale mali moralis seu peccati physicè præmoveat, & formale sive malitiam moralem in illius actione permittat; hinc Deus objectivè trahitur seu movetur ad physicè præmovendam interdum voluntatem humanam ad materiale mali moralis sive peccati, & ad permittendam in illius actione morali malitiam, ne desit muneri causæ primæ, & lædat jura libertatis humanæ, quæ præmotione illa indiget, ut defectibiliter agat peccando, & malè moraliter operando. In quo sensu exponenda sunt illa Isaiæ verba: *Servire me fecisti in iniquitatibus (seu peccatis) tuis*: vel ad litteram sunt intelligenda de Christo, qui formam servi in incarnatione suscipiens, *cum iniquis reputatus est, & ipse multorum iniquitates tulit*; ut ait idem Propheta cap. 53.

Respondeo 2. negando, Lutherum & Calvinum nusquam docuisse, Deum esse authorem *formalis*, seu malitiæ moralis peccati. In primis enim Lutherus in assertionibus, asserit. 36. sic fatur: *Quomodo potest se homo ad bonum præparare, cùm neque in potestate ejus sit, vias suas malas facere; nam & mala opera in impiis operatur Deus?* Et paulò post: *Quis*, inquit, *audet negare, se etiam in malis operibus sæpè coactum aliud facere, quàm cogitaverit?* Et alio in loco sic ait: *Si præscivit Deus, Iudam forè proditorem, necessariò Iudas fiebat proditor; nec erat in manu Iudæ, aut ullius creaturæ, aliter facere.*

Luthero consentit Calvinus lib. 3. institut. cap. 23. num. 9. ubi hæc habet: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas.* Idem quoque docet Zuinglius sermon. de Pro-

videntia cap. 5. ubi hæc ſcribit: *Coactus eſt homo ad peccandum*. Et Beza in ſumma Chriſtianiſmi pag. 188. ait: *Omnia ita neceſſariò ex Dei immutabili decreto evenire, ut ſecundùm illud, Iudas neceſſariò Chriſtum prodiderit, Herodes & Pilatus neceſſariò Chriſtum condemnaverint*.

Ex quibus conſtat, Lutherum, Calvinum, & eorum Sectatores, docere, Deum cogere vel neceſſitare homines aut eorum voluntates ad peccatum. Si autem Deus cogit vel neceſſitat homines ad peccatum, quomodò non ſunt excuſabiles peccatores, quomodo totum peccatum, id eſt, quoad materiale & formale, non eſt Deo tribuendum?

Sed clariùs ſe explicat Calvinus lib. 3. inſtitut. cap. 33. num. 3. ubi loquens de peccato adæquatè ſumpto, id eſt, quoad materiale & formale accepto, ait: *Deum eſſe authorem criminis, ſe centies confiteri*. Et lib. 1. cap. 18. num. 3. poſtquam attulit diſtinctionem Theologorum docentium, materiale peccati poſitivè à Deo effici, formale verò aut malitiam moralem eſſe à Deo permiſſivè tantùm; irridens ſubdit: *Iam ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti Cenſores* (ſic Theologos appellat) *volunt otioſo tantùm ejus permiſſu contingere*. Sentit ergo Calvinus, formale peccati eſſe à Deo, ut ab authore poſitivè influente, non autem permiſſivè ſolùm ſe habente. Innumera alia extabant Calvini teſtimonia ex libris Inſtitutionum ejus deprompta, in quibus clariſſimè aſſerebat, Deum poſitivè ac propriè eſſe authorem peccati quantùm ad formale aut malitiam accepti; ſed ea in poſterioribus editionibus à Calviniſtis eraſa ſunt.

Unde ſi Lutherus, Calvinus, & alii Sectarii, quibuſdam in locis dicere videantur, Deum non eſſe authorem *formalis* peccati, contradictoria loquuntur. Nec mirum, eſt quippe varium, incertum, ac verſatile hæreticorum ingenium; eſtque

cessitque mos eorum, animi sui sensa verbis obtenebrare, ut incautos decipiant; sicut advertit S. Hieronymus epist. ad Pammachium, his verbis: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & Adversariorum confessionem teneant; ut aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat*, &c.

Et sanè Lutherum, Calvinum, & eorum sequaces, censuisse, peccatum esse positivè à Deo, non *solùm quoad materiale*, verùm etiam quoad *formale*, apertissimè colligitur ex Tridentini Concilii definitione suprà allata. Ibi namque damnatur doctrina quæ asserebat, Deum æquè operari mala, ac bona; unde quemadmodùm Deus operatur bonum, non modò quoad materiale *seu entitatem* actus, sed etiam quoad formale *seu* bonitatem moralem actus; sic pariter, juxta doctrinam illam, debet Deus operari malum, non tantùm quoad materiale aut entitatem realem & positivam actus, sed etiam quoad formale *vel* malitiam moralem actus: in illa autem Tridentini Concilii definitione damnari doctrinam Lutheri, Calvini, & aliorum Sectariorum, negat nemo; & legenti citatum Canonem apertè constat.

Duo igitur hìc notanda sunt, doctrinam Thomisticam inter & Lutheranam atque Calvinisticam, insignia discrimina. *Primum* est, Lutherum, Calvinum, & eorum discipulos, sæpè verbis claris affirmare suis in libris, Deum cogere vel necessitare homines ad peccandum, simpliciterque esse authorem peccati; quod nullibi apud Thomistarum libros inveniri potest. *Secundum* discrimen est, eosdem Sectatores frequenter etiam asserere, Dei motionem propriè ac simpliciter homines ad agendum necessitare, & indifferentiæ libertatem planè destruere; sic enim loquitur Calvinus in cap. 6. Joannis: *Pronuntiat Christus, efficacem esse Spiritus Sancti gratiam* (idest, motionem internam) *qua trahuntur, ut ne-*

neceſſariò credant; his prorsùs evertitur tota libertas arbitrii poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ. Idem repetit innumeris in locis. Cum Calvino concinit Lutherus aſſertione 36. ſuprà citata & alibi ſæpè. At Thomiſtæ perpetuò & ubique clamant, motionem Dei nequaquam in voluntate creata perimere indifferentiæ libertatem ſed illæſam ſervare, perficere, & ad actum rotundum applicare.

Objiciunt 2. ſi Deus in tempore creaturam phyſicè prædeterminaret ad malum, id prædeſtinaſſet ſeu decreviſſet ab æterno; ut patet: atqui hoc dici non poteſt; à ſecundo quippe Concilio Arauſicano canon. 25. & à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. canon. 17. nec non à D. Proſpero in reſponſion. ad objectiones Vincentianas, & à D. Auguſtino in libro de articulis ſibi falsò impoſitis a. 10. ii damnantur, *qui dixerint, aliquem creaturam eſſe à Deo ad malum prædeſtinatam*: ergo &c.

Reſpondeo negando ſuppoſitum argumenti; ſupponit ſiquidem argumentum, Thomiſtas docere, Deum phyſicè creaturam prædeterminare ad malum; quod ex Thomiſtis nullus dixit. Deus igitur, nec in tempore prædeterminat, nec prædeſtinavit ab æterno creaturas intellectuales ad malum; hoc quippe dicere, impium eſt; benè tamen ad materiale mali vel peccati, quod eſt bonum bonitate phyſica & tranſcendentali.

Objiciunt 3. ſi Deus phyſicè hominem ad materiale peccati præmoveret, eum tentaret & implanaret: atqui Deus *hominem non tentat* Jacobi 1. *nec implanat*, Eccleſiaſt. 15. ergo &c. Prob. maj. tentare hominem, eſt eum ad peccatum inclinare; hominem verò implanare, eſt ipſum ſeducere: atqui ſi Deus phyſicè hominem ad materiale peccati præmoveret, eum ad peccatum inclinaret, ut patet; & præterea ipſum ſeduceret, præmovendo illum ad id

à quo

à quo sciret malitiam esse inseparabilem : ergo &c.

Respondeo negando maj. quamvis enim, si Deus sciens materiale peccati esse à formali aut à malitia morali inseparabile, moraliter homines ad materiale peccati præmoveret & inclinaret suadendo, eos tentaret, & implanàret aut seduceret; (quo pacto Diabolus tentat homines, eosque implanat vel seducit) nullo tamen modo tentat homines, vel eos implanat, ex eò, quòd, ut causa prima ac universalissima, & universalissimus provisor, physicè illos ad materiale peccati præmovet ac inclinat; tribuere siquidem causis secundis ac particularibus ex sua conditione naturali defectibilibus ea, quæ sunt ex parte causæ primæ ac universalissimæ, & universalissimi provisoris, necessaria ad defectibiliter agendum, non est opus tentantis vel implanantis, sed est munus primæ ac universalissimæ causæ sapientissimæ, & universalissimi provisoris vigilantissimi, qui numquam deest in necessariis.

Instant: tentatur homo à concupiscentia sua, (ut dicitur Jacobi 1.) tentatur etiam sæpè à cibis, potibus, pecuniis, & aliis hujusmodi creaturis, omni cognitione carentibus, quæ malum suadere nequeunt, ut patet: ergo ut aliquid hominem tentet, opus non est, ut homini suadeat malum.

Respondeo distinguendo: concedo namque, concupiscentiam, cibos, potus, pecunias, & ejusmodi, *formaliter* quidem homini malum suadere non posse; suadere quippe *formaliter*, id est, ratiocinando & discurrendo, solius intelligentis opus est: at nego, concupiscentiam, cibos, potus, pecunias, & ejusmodi, homini malum *objectivè & occasionaliter* suadere non posse; concupiscentia enim cibi, potus, pecuniæ, & similia, objectivè sensus illiciunt; sensus verò illecti & vehementer moti obscurant intellectum,

ctum, eumque velut ligant; ſic autem ex occaſione ſenſuum ab objectis illectorum obſcuratus & ligatus intellectus, in errorem practicum cadit, practicèque ſuadet voluntati malum ſub velamine utilis vel delectabilis boni, & tandem tentata voluntas malo conſentit & peccat.

Dices cum Adverſariis: Deus, juxta Thomiſtas, præmovet ac determinat Dæmones ad actus, quibus tentant homines, & eis ſuadent malum: ergo Deus reipſa tentat homines, & eis malum ſuadet.

Reſpondeo 1. argumentum in Adverſarios retorquendo: non ſolùm enim qui movet ac determinat unum ad tentandum alium, & ipſi ſuadendum malum, tentare, & malum ſuadere cenſetur; verùm etiam qui cum illo concurrit, illique cooperatur: Deus verò, juxta Adverſarios, concurrit cum Dæmonibus ad actus, quibus tentant homines, eiſque ſuadent malum, ipſiſque Dæmonibus tentantibus & malum ſuadentibus per ſimultaneum concurſum cooperatur: igitur ex Adverſariorum ſententia, Deus revera tentat homines, & eis malum ſuadet.

Deinde, juxta aliam Adverſariorum doctrinam, Deus determinat Dæmonem ad hanc in individuo tentationem: ergo Deus author eſt hujus in individuo tentationis, (ut enim docent ipſi Adverſarii, Deus eſt author illius, ad quod creaturam determinat) & conſequenter Deus hic & nunc in individuo tentat.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ant. Deus, juxta Thomiſtas, præmovet ac determinat Dæmones ad actus, quibus tentant homines, & eis ſuadent malum: ſi actus illi materialiter conſiderentur, prout ſunt actus reales & poſitivi, & entia quædam à Deo participata, concedo: ſi actus illi formaliter accipiantur, prout ſunt tentationes malum ſuadentes, & ad malum inducentes, nego ant. & conſeq.

Obji-

Objiciunt 4. sicut Deus physicè præmovendo voluntatem nostram ad actus bonos, dicitur *trahere nos ad se*, Joan. 6. & *facere ut faciamus bonum*, Ezechielis 36. & *operari in nobis velle ac perficere bonum*, ad Philipp. 2. ita si Deus nostram voluntatem physicè ad actus malos premoveret, rectè diceretur, trahere nos ad actus malos, facere ut actus malos faceremus, & operari in nobis velle ac perficere malum: hæc autem absurda esse quis non videt?

Respondeo negando paritatem; Deus siquidem physicè præmovendo voluntatem nostram ad actus bonos, absolutè trahit nos ad se, absolutè facit ut faciamus bonum, & absolutè operatur in nobis velle ac perficere bonum: at Deus *nostram* voluntatem physicè ad actus malos præmovendo, solùm cum addito trahit nos ad actus malos, nempè materialiter sumptos; similiter cum addito dumtaxat facit, ut actus malos faciamus, videlicet quoad materiale spectatos; denique cum addito tantùm operatur in nobis velle ac perficere seu exequi malum, scilicet materialiter usurpatum. Quæ absurda non sunt, sed recta veraque.

Objiciunt 5. D. Augstinus lib. 2. de lib. arbitr. cap. 10. negat: *Motum aversionis à Deo ut ultimo fine, proficisci ab ipso Deo, sive ab eo causari*: ergo actus mali (qualis est ille aversionis motus) à Deo non causantur, proindèque Deus ad eos non præmovet. Et in lib. de articulis sibi falsò impositis, a. 10. hæc scribit: *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis, credit authorem*. Similia habet verba de spir. & litt. cap. 3. Et D. Prosper Augustini discipulus in Respons. ad object. Vincent. sic fatur: *Sicut Deus non indidit malo Angelo illam voluntatem, qua in veritate non stetit; ita nec hominibus illum affectum, quo Diabolum imitarentur, inseruit*. Et in respons. ad 11. Gallorum object. *Nullus*, inquit,

Catholicorum dixit, aut dicit, quòd Deus homines piè & rectè viventes, per potentiam in peccata compellat. Et in reſponſione ad 12. object. negat, quòd Deus ad peccata impellat. Si autem Deus voluntates creatas ad actus malos phyſicè præmoveret, foret cujuſque malæ voluntatis, & malæ actionis author; indidiſſet etiam malo Angelo illam voluntatem, qua in veritate non ſtetit; infereret quoque hominibus illum effectum malum, quo Diabolum imitantur; & tamdem ad peccata compelleret, ſive impelleret, ac moveret.

Reſpondeo ad 1. Auguſtini teſtimonium, S. Doctorem loqui de motu averſionis à Deo, quoad formale aut malitiam moralem ſumpto, non autem de ipſo quoad materiale vel entitatem realem & poſitivam actus ſpectato. Ad alia teſtimonia D. Auguſtini & D. Proſperi reſpondeo ſimili modo, ipſos habere ſermonem de mala voluntate, de mala actione, de malo affectu, & de peccatis quoad formale, non verò quoad materiale acceptis.

Objiciunt 6. quidam Recentiores D. Thomam 1. 2. q. 8. a. 1. hæc habere verba: *Cùm peccatum, actus quidam ſit; qui eſt directè cauſa actus, eſt directè cauſa peccati; & illud eſt directè cauſa actus, quod principium illius actus movet ad agendum.* Ex quibus verbis hoc colligunt argumentum: qui eſt directè cauſa actus peccati, eſt directè cauſa peccati: atqui ſi Deus phyſicè præmoveat creatam voluntatem ad actum peccati, eſt directè cauſa actus peccati; ut patet: ergo eſt directè cauſa peccati. Addunt, D. Thomam ibidem docere, ideò voluntatem hominis eſſe directè cauſam peccati, quia ſe ipſam interiùs movet & inclinat ad actum peccati: atqui juxta Thomiſtas, Deus interiùs movet & inclinat voluntatem hominis ad actum peccati: ergo &c.

Reſpondeo 1. verba illa, & doctrinam ab Adver-

versariis additam, in D. Thoma art. citato non reperiri; ter enim legi articulum illum integrum, sed vel præfata verba, vel additam doctrinam minimè inveni.

Respondeo 2. actum peccati duobus modis considerari posse: uno modo formaliter aut reduplicativè, prout fundat malitiam vel deformitatem moralem peccati, ex eo, quòd contra legem fiat; alio modo materialiter aut specificativè, prout nempè est præcisè actus realis & positivus, & ens quoddam à Deo participatum: ea proportionali ratione, qua albedo unius parietis, qui est alteri similis, duobus accipī potest mòdis; primo modo formaliter vel reduplicativè, prout fundat similitudinis relationem; alio modo materialiter & specificativè, prout præcisè est qualitas quædam in speciali prædicamento collocata.

Qui igitur est directè causa actus peccati formaliter sumpti, est directè causa peccati, seu malitiæ aut deformitatis moralis peccati; sicut qui directè causat albedinem formaliter acceptam, prout fundat similitudinis relationem, directè causat relationem ipsam: atqui est directè causa actus peccati materialiter dumtaxat usurpati, non est propterea directè causa peccati; sicut qui directè causat albedinem materialiter aut secundùm se sumptam, non idcircò directè causat similitudinis relationem. Deus autem ut physicus præmotor, non est causa actus peccati formaliter accepti, sed duntaxat materialiter sumpti.

Hinc in forma facilè solvitur formatum ex verbis D. Thomæ (esto non sint verba D. Thomæ) Adversariorum argumentum. Ad id, quod addunt Adversarii; cum eadem distinctione respondeo, ideò voluntatem hominis esse directè causam peccati, quia se ipsam interiùs movet & inclinat ad actum peccati formaliter spectatum, non verò materialiter præcisè usurpatum: Deus

autem interiùs quidem movet & inclinat voluntatem hominis ad actum peccati materialiter acceptum, at non formaliter conſiderantum.

§. III.

Objectiones ex ratione depromptæ diluuntur.

OBjiciùnt 7. materiale peccati, eſt actio libera, quæ eſt peccatum: atqui Deus phyſicè non præmovet hominem ad actionem liberam quæ eſt peccatum; alioquin author eſſet peccati: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui Deus phyſicè non præmovet hominem ad actionem liberam, quæ eſt peccatum: ſi actio illa conſideretur formaliter, prout morali malitia inficitur, concedo; ſic enim Deus author eſſet peccati: ſi actio illa materialiter accipiatur, prout præcisè eſt actus realis ac poſitivus, & ens quoddam à Deo participatum, nego; ſic enim Deus non eſt propriè author peccati, ſed entis participati, quod eſt in actione libera, quæ eſt peccatum; omne autem ens participatum debet eſſe, ſicut ab authore, ab ente per eſſentiam, quod Deus eſt.

Inſtant 1. homo dum peccat, non vult formale ſeu malitiam peccati; nam ex axiomate Dionyſii 4. de divinis nomin. *nemo intendens in malum operatur;* & tamen eſt propriè author peccati, quia eſt cauſa actionis liberæ, quæ eſt peccatum: ergo quia Deus phyſicè hominem ad materiale peccati præmovendo, eſt cauſa actionis liberæ, quæ eſt peccatum, eſt propriè author peccati, tametſi non vult formale aut malitiam moralem peccati.

Reſpondeo diſtinguendo ant. homo dum peccat, non vult explicitè formale ſeu malitiam peccati, concedo; nemo enim explicitè intendens

in

in malum operatur : homo dum peccat, non vult implicitè formale seu malitiam peccati, nego; eo enim ipso, quòd homo peccans scit, aut saltem cum fundamento dubitat, actionem liberam peccati esse à lege prohibitam, & ita moraliter deficientem & malam; dum voluntariè illam ponit, defectum aut malitiam moralem implicitè velle censetur; unde mirum non est, si sit propriè author peccati : cùm autem Deus ut causa prima & universalissima physicè præmovet hominem ad materiale peccati, sive ad actionem liberam, quæ est peccatum, nec explicitè, nec implicitè vult malitiam moralem peccati; ideòque non est propriè peccati author.

Urgent 1. qui est causa actionis, cui malitia moralis est intrinseca, & à qua inseparabilis est ipsa malitia, causa sit moralis malitiæ necessè est : atqui dum Deus physicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, est causa actionis, cui malitia moralis est intrinseca, & à qua inseparabilis est ipsa malitia, nempè est causa actionis odii Dei : ergo &c.

Urgent magis : qui sciens & volens impellit alium ad actionem, cum qua necessariò connexa est moralis malitia, est moralis malitiæ causa : atqui dum Deus physicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, ad actionem blasphemiæ, & ad similes actiones, sciens & volens impellit hominem ad actiones, cum quibus necessariò connexa est moralis malitia : ergo &c. Et sanè, inquiunt, quonam modo potuit Deus physicè præmovere, & physicè impellere Judam ad Christi proditionem, & non esse malitiæ hujus proditionis causa?

Respondeo 1. distinguendo maj. qui est causa actionis, cui malitia moralis est intrinseca, & à qua inseparabilis est ipsa malitia, causa sit moralis malitiæ necessè est : si sit causa particularis & deficiens illius actionis, concedo: si sit causa uni-

univerſalis purè efficiens, nego; quando enim ejuſdem effectus intrinſecè & inſeparabiliter defectivi duæ ſunt ſufficientes cauſæ, una univerſalis & particularis altera; tota effectus entitas quidem efficienter ab utraque cauſa; at defectus qui eſt in effectu, in ſolam cauſam particularem deficientem eſt reducendus; hoc patet in claudicatione (quo exemplo uritur S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 2.) quæ eſt intrinſecè & inſeparabiliter defectiva, & cujus duæ ſunt efficientes cauſæ univerſalis una, ſcilicet anima, quæ eſt univerſalis omnium motuum vitalium cauſa; particularis & deficiens altera, nimirum tibia curva: tota itaque entitas & vitalitas claudicationis eſt efficienter & ab anima, & à tibia curva; at claudicationis defectus in ſolam tibiam curvam eſt revocandus: dum autem Deus phyſicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, vel blaſphemiæ vel hujuſmodi, Deus eſt cauſa univerſalis & purè efficiens illius actionis, homo verò peccans eſt cauſa particularis & deficiens ejuſdem actionis; unde tota entitas ejuſmodi actionis efficienter eſt à Deo & ab homine præmoto, defectus verò moralis ſoli homini deficienti & peccanti eſt tribuendus.

Reſpondeo 2. majoris claritatis gratia, dat. maj. diſtinguendo min. atqui dum Deus phyſicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, eſt cauſa actionis, cui (ut eſt ab homine deficiente & peccante) malitia moralis eſt intrinſeca, & à qua inſeparabilis eſt ipſa malitia, concedo: eſt cauſa actionis, cui (ut eſt à Deo purè efficiente) moralis malitia eſt intrinſeca, & à qua inſeparabilis eſt ipſa malitia, nego; actiones quippe odii Dei, blaſphemiæ, proditionis, & hujuſmodi, ut oriuntur à Deo efficienter agente, ſunt intrinſecè & inſeparabiliter actus reales ac poſitivi, & entia quædam à Deo participata duntaxat.

Ad id quod additur, quo ampliùs urgent adverſarii; etiam dupliciter reſpondeo. Primò enim

distinguo maj. qui sciens & volens impellit alium ad actionem, cum qua necessariò connexa est moralis malitia, est moralis malitiæ causa : si impellat ut causa particularis deficiens, concedo : si impellat solùm ut causa universalis purè efficiens, nego; nam anima rationalis sciens & volens movet ac impellit tibiam curvam ad claudicationis motum, cum quo necessariò connexus est claudicationis defectus; & tamen rationalis anima hujus defectus non est causa, quia non impellit tibiam curvam ut causa particularis deficiens, sed ut causa universalis purè efficiens : dum autem Deus physicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, ad actionem blasphemiæ, & ad similes actiones, sciens quidem & volens impellit hominem ad actiones, cum quibus necessariò connexa est moralis malitia ; at non impellit ut causa particularis deficiens, sed ut causa universalis purè efficiens.

Respondeo 2. sic distinguendo maj. qui sciens & volens impellit alium ad actionem, cum qua necessariò connexa est moralis malitia, est moralis malitiæ causa : si impellat ad eam actionem deficienter moraliter exercendam, concedo : si solùm impellat ad illam actionem efficienter eliciendam, nego; nam moralis malitia non connectitur necessariò cum actione, prout efficienter elicitur, sed prout deficienter exercetur : & ut in eodem exemplo maneamus, anima rationalis sciens & volens impellit tibiam curvam ad claudicationis motum, nec tamen est defectus claudicationis causa, quia non impellit tibiam curvam ad motum claudicationis deficienter exercendum, sed tantùm efficienter eliciendum : dum autem Deus physicè hominem præmovet ad actionem odii Dei, ad actionem blasphemiæ, & ad similes actiones, sciens & volens impellit quidem hominem ad actiones, cum quibus necessariò connexa est moralis malitia; at non impellit hominem ad illas actiones

nes deficienter exercendas, ſed efficienter eliciendas.

Ad aliud quod additur, reſpondeo 1. argumentum in adverſarios retorquendo : nam quonam modo, juxta adverſarios, potuit Deus phyſicè concurrere cum Juda, vel phyſice cooperari Judæ, ad Chriſti proditionem, & non eſſe malitiæ hujus proditionis cauſa? non ſolùm enim qui præmovet aut impellit ad malum, cauſa eſt mali; verùm etiam qui concurrit ad malum, ipſique cooperatur.

Reſpondeo 2. potuiſſe Deum phyſicè præmovere, & phyſicè impellere Judam ad Chriſti proditionem, abſque eo, quòd fuerit malitiæ hujus proditionis cauſa : tum quia Deus phyſicè non præmovit aut impulit Judam ad Chriſti proditionem, ut cauſa particularis deficiens, ſed ut cauſa univerſalis purè efficiens : tum etiam quia Deus non præmovit nec impulit Judam ad proditionem illam deficienter ponendam, ut erat moraliter deficiens & mala; ſed Deus phyſicè præmovit & impulit Judam ad illam proditionem efficiendam, ſive efficienter producendam, ut erat actus phyſicus ac realis, & ens quoddam a Deo participatum.

Urgent 3. qui alium impellit ad blaſphemiæ actum cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumſtantiis exercendum, eſt ſimpliciter peccati blaſphemiæ, aut ejus moralis malitiæ cauſa; quandoquidem actus blaſphemiæ cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumſtantiis ſuis elicitus, moraliter malus eſt : atqui dum Deus phyſicè præmovet hominem ad blaſphemiæ actum, impellit hominem ad hunc actum cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumſtantiis ſuis exercendum : ergo &c.

Reſpondeo cum duplici diſtinctione data. In pri-

porimis enim sic distinguo maj. qui alium impellit ad blasphemiæ actum cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circūstantiis exercendū, est simpliciter peccati blasphemiæ, aut ejus moralis malitiæ causa: si alium impellat ut causa particularis deficiens, concedo: si alium impellat duntaxat ut causa universalis purè efficiens, nego; quantumvisetenim actus blasphemiæ cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus suis circumstantiis elicitus, sit moraliter malus; attamen ut moraliter malus non est tribuendus causæ universali purè efficienter agenti, sed tantùm causæ particulari deficienti: Deus verò dum physicè præmovet aut impellit hominem ad blasphemiæ actum, cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus suis circumstantiis exercendum, non præmovet aut impellit hominem, ut causa particularis deficiens, sed ut causa universalis purè efficiens.

Respondeo 2. alia cum distinctione: sic igitur distinguo maj. qui alium impellit ad blasphemiæ actum cū advertentia rationis, cū plena libertate, in particulari, & cum omnibus circūstantiis exercendū, est simpliciter peccati blasphemię, aut ejus moralis malitiæ, causa: si aliū impellat ad blasphemiæ actū deficienter exercendū, concedo: si alium tantùm impellat ad blasphemiæ actum efficienter exercendū, nego. Actus itaq; blasphemiæ cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumstantiis, duobus modis ab homine exercetur, videlicet efficienter, & deficienter; efficienter quidem, quia est entitas aliqua, quæ efficitur; deficienter verò, quia homo tunc deficit seu peccat contra legem, actum illum prohibentem. Neque actus blasphemiæ moraliter malus est, quia est efficienter ab homine cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumstantiis; sed quia est ab homine deficienter & contra le-

legem operante. Deus autem phyſica præmotione impellit quidem hominem ad actum blaſphemiæ cum advertentia rationis, cum plena libertate, in particulari, & cum omnibus circumſtantiis efficienter eliciendum; at non ad ipſum deficienter exercendum.

Urgent 4. Deus, juxta Thomiſtas, phyſicè præmovet ac impellit hominem ad blaſphemiæ actum ſuo modo exercendum: ergo cùm modus, quo homo exercet blaſphemiæ actum, ſit moraliter malus, Deus phyſicè præmovet ac impellit hominem ad blaſphemiæ actum modo moraliter malo exercendum; proindèque Deus eſt cauſa actus blaſphemiæ ut eſt moraliter malus, & ita eſt ſimpliciter ac propriè cauſa & author peccati.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Deus, juxta Thomiſtas, phyſicè præmovet ac impellit hominem ad blaſphemiæ actum ſuo modo effectivo exercendum, concedo; phyſicè præmovet ac impellit hominem ad blaſphemiæ actum ſuo modo defectivo exercendum, nego. Quamvis verò modus, quo homo exercet blaſphemiæ actum, ſit moraliter malus, ſi ſermo ſit de modo defectivo; non tamen ſi de modo effectivo loquamur.

Inſtant 2. ſi Deus moraliter præmoveret hominem ad actum peccati, eſſet propriè author peccati; ut fatentur omnes: ergo à fortiori eſt propriè author peccati, ſi ad actum peccati phyſicè hominem præmoveat; quia phyſica præmotio longè fortior eſt & efficacior præmotione morali.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. & & paritatem: quantumvis enim phyſica præmotio longè ſit fortior & efficacior præmotione morali; dum tamen ea utitur Deus, phyſicè hominem præmovendo ad actum peccati, propriè hominem non tentat; ſed duntaxat ut cauſa prima ac univerſaliſſima atque ſapientiſſima, & ut proviſor univerſaliſſimus ac vigilantiſſimus, tribuit cau-

causæ secundæ ac particulari ex sua naturali conditione defectibili, ea quæ, ex parte sui, sunt necessaria, ut defectibiliter agat: at si Deus moraliter hominem præmoveret ad actum peccati, præcipiendo, vel suadendo, hominem propriè tentaret; ut constat: tentator autem est propriè author & causa peccati.

Dices cum adversariis: si Petrus manum Pauli ad actum homicidii physicè præmoveret ac impelleret, esset propriè homicidii causa: ergo similiter si Deus hominem ad actum peccati physicè præmoveret ac impelleret, esset propriè peccati causa.

Respondeo negando paritatem; nam dum Petrus manum Pauli ad actum homicidii physicè præmovet ac impellit, agit contra legem aut præceptum Dei id in Decalogo prohibentis; unde mirum non est, si Petrus tunc malè agat, & sit homicidii causa: at dum Deus hominem ad actum peccati physicè præmovet ac impellit, nullo prorsùs modo agit contra legem, quin potiùs agit juxta legem generalem naturæ, quæ exigit, ut Deus tanquam prima & universalissima causa, ac provisor universalissimus, tribuat causis secundis, sivè benè, sivè malè operantibus, omnem influxum, ex parte sui, ipsis ad operandum necessarium, qualis est physica præmotio; unde quando Deus hominem ad actum peccati physicè præmovet ac impellit, neque malè agit, neque est propriè peccati causa.

Urgent: nequit Deus voluntatem creatam ad actum peccati physicè præmovere, nisi creatam voluntatem etiam moraliter præmoveat ad actum peccati: ergo quia præmotor moralis ad actum peccati, est propriè causa peccati, nequit Deus voluntatem creatam ad actum peccati physicè præmovere, nisi sit propriè causa peccati. Prob. ant. cùm creata voluntas sit potentia cæca, ut communiter dicitur, non potest in aliquod objectum, vel in aliquem actum ferri, nisi

priùs

priùs ab intellectu objecti vel actus bonitas ſeu convenientia ipſi voluntati repræſentetur, & conſequenter niſi priùs moraliter moveatur & excitetur : ergo nequit Deus creatam voluntatem ad actum peccati phyſicè præmovere, niſi voluntatem creatam priùs medio intellectu moraliter moveat & excitet ad actum peccati.

Reſpondeo diſtinguendo ant. nequit Deus voluntatem creatam ad actum peccati phyſicè præmovere, niſi creatam voluntatem moraliter impropriè etiam præmoveat ad actum peccati, per ſimplicem repræſentationem & oſtenſionem bonitatis & convenientiæ phyſicæ actus peccati, medio intellectu, concedo : nequit Deus voluntatem creatam ad actum peccati phyſicè præmovere, niſi creatam voluntatem moraliter propriè etiam præmoveat ad actum peccati, præcipiendo, ſuadendo, &c. nego; ſolus autem præmotor moralis propriè dictus ad actum peccati, eſt propriè cauſa peccati.

Dices cum adverſariis : Si Deus phyſicè hominem ad actum peccati præmovendo non eſt propriè cauſa peccati, non eſſet etiam propriè cauſa peccati, quamvis hominem propriè moraliter ad actum peccati præmoveret : atqui hoc ſecundum dici non poteſt : ergo neque primum. Prob. maj. ideò, juxta Thomiſtas, Deus phyſicè hominem ad actum peccati præmovendo, non eſt propriè cauſa peccati, quia phyſica præmotio ad actum peccati, non tollit libertatem, qua homo poteſt non peccare : atqui quamvis Deus hominem propriè moraliter ad actum peccati præmoveret, præmotio illa moralis non tolleret libertatem hominis, qua poteſt non peccare; *ut* patet : ergo &c.

Reſpondeo negando maj. ad cujus prob. diſtinguo maj. ideò, juxta Thomiſtas, Deus phyſicè hominem ad actum peccati præmovendo, non eſt propriè cauſa peccati, quia phyſica præmotio ad actum peccati non tollit libertatem,

qua

qua homo potest non peccare : si illa particula, *ideò*, significet inadæquatam rationem, ob quam Deus *physicè* hominem ad actum peccati præmovens, non est propriè causa peccati, concedo : si particula illa, *ideò*, exprimat totam & adæquatam rationem, ob quam Deus *physicè* hominem ad actum peccati præmovens, non est propriè causa peccati, nego; non tantùm enim Deus *physicè* hominem ad actum peccati præmovens, non est propriè causa peccati, quia non tollit libertatem, qua homo potest non peccare; sed etiam quia physicè hominem ad actum peccati præmovendo, propriè eum non tentat, sed duntaxat influxum physicum ad agendum necessarium subministrat : quamvis autem Deus hominem propriè moraliter ad actum peccati præmovendo, ejus libertatem non auferret, ipsum tamen ad peccandum tentaret; ut ex dictis patet: & idcirtò esset propriè causa peccati.

Instant 3. qui hominem ad peccandum, vel non peccandum, pendulum & ancipitem determinat ad peccandum, est propriè causa peccati : atqui juxta Thomistas, hominem quandoque ad peccandum, vel non peccandum, pendulum & & ancipitem præmovet ac prædeterminat Deus ad peccandum : ergo &c.

Respondeo 1. argumentum in adversarios retorquendo : etenim juxta ipsos, hominem nonnunquam ad hoc, vel illud peccatum, v. g. ad cædem Petri, vel ad cædem Pauli, pendulum & & ancipitem determinat Deus ad hoc peccatum in individuo consideratum; v. g. ad cædem Petri, potiùs quàm ad cædem Pauli : ergo ex adversariis, Deus est propriè causa hujus peccati in individuo spectati, v. g. cædis Petri.

Respondeo 2. data maj. negando min. determinare enim hominem ad peccandum, est ipsum ad materiale & formale peccati determinare; nusquā verò docuere Thomistæ, Deum determinare vel prædeterminare hominem ad formale peccati.

cati. Deus igitur interdum hominem ad peccandum, vel non peccandum, pendulum aut ancipitem præmovet quidem aut prædeterminat ad materiale peccati; at ſolus homo per ſe ipſum, aut per liberum arbitrium ſuum, ſe ad formale determinat; unde Deus eſt quidem propriè materialis, aut entitatis peccati cauſa; at formale peccati ſoli homini, vel libero ejus arbitrio deficienti, ut cauſæ tribuendum eſt.

Urgent; ſi Deus hominem ad materiale peccati phyſici non præmoveret, ipſe homo ſe ad formale peccati non determinaret: ergo quòd homo ſe ad formale peccati determinet, Deus eſt cauſa.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. dum enim Deus phyſicè hominem ad materiale peccati præmovet, præviam quidem conditionem ponit, ut homo ſe ad formale determinet; quòd tamen homo reipſa ſe determinet ad formale, Deus non eſt cauſa: quemadmodum cùm anima tibiam curvam ad ambulandum applicat, conditionem quidem prærequiſitam, ut ipſa tibia curva claudicet, ponit; quòd tamen tibia curva revera claudicet, anima non eſt cauſa; ſed tibia claudicat, quia curva eſt: ſicut homo ad materiale peccati phyſicè à Deo præmotus & applicatus determinat ſe ad formale, quoniam defectibilis eſt, & vult defectibiliter agere.

Inſtant 4. nequit Deus homini habitum malum infundere; alioquin eſſet cauſa mali: ergo nequit pariter Deus in hominem ad actum malum phyſicam præmotionem immittere; alioquin foret etiam cauſa peccati.

Reſpondeo negando paritatem; *habitus nam*que moraliter malus inclinat hominem, non tantùm ad materiale, ſed etiam ad formale peccati, ſicut & utriuſque eſt radix; & idcircò ſi Deus homini habitum moraliter malum infunderet, verè eſſet cauſa peccati ſeu mali adæquatè ſumpti, id eſt, quoad materiale & formale accepti:

pti : at physica præmotio ad actum malum, est inclinatio & applicatio ad solum materiale peccati seu mali; ideòque quando Deus in hominem ad actum malum physicam præmotionem immittit, est quidem causa mali materialiter sumpti; at non est causa mali formaliter usurpati.

Objiciunt 8. ex Concilio Trid. sess. 6. de justific. can. 10. & ex D. Thoma 1. p. qu. 19. art. 9. ad 3. & multis aliis in locis : Deus non causat actum malum positivè, sed solùm permissivè : atqui si Deus physicè hominem ad actum malum prædeterminaret, positivè actum illum causaret; quandoquidem prædeterminatio physica est influxus positivus : ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. ex Concilio Trident. &c. Deus non causat actum malum positivè, sed solùm permissivè : si actus malus spectetur quantùm ad formale, aut malitiam moralem, concedo : si consideretur quantùm ad materiale, vel entitatem realem & positivam, nego; actus enim *mali ita* sumpti positivè causantur à Deo *physicè* præmovente seu prædeterminante, & simul concurrente.

Instant. 1. qui positivè causat materiale peccati, positivè causat & formale : atqui Deus physica præmotione positivè causat materiale peccati, juxta Thomistas : ergo causat & formale positivè. Prob. maj. qui positivè causat unum, ex quo aliud necessariò resultat, utrumque positivè causare censetur; sic qui positivè causat essentiam, positivè causat proprietates; qui positivè abscindit caput alicujus, positivè causat ejus mortem; qui positivè alicui oculos effodit, positivè in eo cæcitatem causat; qui positivè applicat ignem stupæ, positivè causat ipsius combustionem; qui positivè removet columnam, à qua sustentatur lapis; vel qui positivè subtrahit salem, quo carnes conservantur; positivè causat casum lapidis, & eversionem domus, vel corruptionem carnium;

nium; quia in his omnibus unum neceſſariò ſultat ex altero: atqui formale peccati neceſſa ex materiali reſultat; quandoquidem materi= peccati ſine formali eſſe non poteſt: ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo maj. qui poſiti cauſat materiale peccati, poſitivè cauſat & fo male: ſi ille qui poſitivè cauſat materiale pecc ti, ſit cauſa particularis deficiens, ut eſt ho= peccans, concedo: ſi ſit cauſa univerſalis pu= efficiens, ut eſt Deus phyſicè præmovens, nego Ad prob. maj. diſtinguo ſimiliter maj. qui poſi= vè cauſat unum, ex quo aliud neceſſariò reſultat utrumque poſitivè cauſare cenſetur: ſi ille ſit cau= ſa particularis defectibilis, concedo: ſi ille E cauſa univerſalis purè efficiens, ſubdiſtinguo: id quod reſultat non ſit aliquis defectus, conce do: ſi id quod reſultat ſit aliquis defectus, nego Hoc patet exemplo allato animæ phyſicè move tis & impellétis tibiam curvam ad ambulandum etenim in tibia curva ambulante defectus claud cationis neceſſariò reſultat ex motu ambulati= nis, & tamen anima hunc defectum poſitivè no cauſat, ſed iſte defectus à ſola tibia curva poſiti vè cauſatur; eo quòd anima movens & impellen tibiam curvam ad ambulandum, ſe habet ut cau ſa univerſalis purè efficiens, tibia verò curva= cauſa particularis deficiens; & generaliter lo quendo, defectus neceſſariò ex effectu emanans, non in cauſam univerſalem purè efficientem, ſed in particularem cauſam deficientem eſt poſitivè reducendus. Quantumvis autem formale peccati neceſſariò ex materiali reſultet, Deus tamen phyſica præmotione ſua poſitivè non cauſat materiale peccati, ut cauſa particularis deficiens, ſed ſicut cauſa univerſalis purè efficiens.

Ex qua doctrina, patet reſponſio ad exempla allata. Ad primum ergo exemplum, nego paritatem; nam proprietates non reſultant ex eſſentia, ſicut ejus defectus, ſed velut ipſius complementa: at formale peccati, ſeu malitia moralis, reſul-

resultat ex *materiali* peccati, tamquam moralis defectus. *Ad alia exempla*, nego etiam paritatem: nam *homo, qui positivè vel* abscindit caput *alicujus, vel alicui oculos effodit*, vel applicat ignem stupæ, *vel* removet *columnam*, à qua sustentatur *lapis, vel subtrahit salem*, quo carnes conservantur, est *particularis* causa defectibilis: unde mirum non est, *si defectus*, qui inde resultant, *illi ut* causæ *positivæ* tribuantur.

Et sanè argumentum facilè posset *in* adversarios torqueri. Non solùm enim qui per influxum prævium, sed etiam qui per concursum simultaneum, aliquid positivè causat, causare positivè censetur, quod ex effectu necessariò resultat: *sic qui* simul cum alio positivè causat *essentiam*, positivè causat proprietates; qui simul cum alio positivè abscindit caput alicujus, positivè causat ejus mortem; qui simul cum alio positivè alicui oculos effodit, positivè in eo cæcitatem causat; qui simul cum alio positivè applicat *ignem* stupæ, positivè causat *ipsius* combustionem; qui simul cum alio positivè removet columnam, à qua sustentatur lapis; vel qui simul cum alio positivè subtrahit salem, quo carnes conservantur; positivè causat casum lapidis, & eversionem domus, vel corruptionem carnium: ergo quia secundùm adversarios, Deus simul cum peccatore positivè causat materiale peccati, positivè causat & formale, quod ex materiali necessariò resultat.

Respondeo 2. distinguendo maj. qui positivè causat materiale peccati, positivè causat & formale: si formale peccati contineatur intra sphæram seu latitudinem positivæ activitatis & causalitatis ejus, qui positivè causat materiale, concedo: si non contineatur, nego. Quantumvis verò formale seu malitia moralis peccati necessariò resultet ex materiali, intra sphæram tamen positivæ activitatis & causalitatis Dei minimè compre-

henditur; quia ſphæra ſeu latitudo poſitivæ actívitatis & cauſalitatis Dei, ea tantùm complectitur, quæ in Deum tamquam in ultimum finem poſſunt ordinari, malitia verò moralis peccati nequit in Deum velut in ultimum finem, ſive veluti in ſummnm bonum, ordinari: ut patet. Unde formale peccati non ſequitur phyſicam præmotionem, qua Deus poſitivè cauſat materiale, ſequela phyſica, ſeu ſequela cauſalitatis, ſed dumtaxat ſequela logica ſive illationis. Ad exempla allata, patet reſponſio; nihil enim impedit, ne proprietates contineantur intra ſphæram poſitivæ activitatis & cauſalitatis ejus, qui poſitivè cauſat eſſentiam; ne mors ſit ſaltem ſecundariò intra ſphæram poſitivæ activitatis & cauſalitatis ejus, qui caput alicujus abſcindit: & ita de aliis.

Inſtant. 2. ſi Deus præmotione phyſica poſitivè cauſat materiale peccati, non poteſt propriè dici, Deum permittere formale peccati: ergo debet poſitivè illud cauſare: Conſeq. videtur clara. Prob. ant. Deum aliquid permittere, eſt illud non impedire, cùm poſſit: ſi autem Deus præmotione phyſica poſitivè cauſat materiale peccati, poſito & cauſato materiali peccati, Deus impedire non poteſt, ne reſultet formale; quandoquidem formale peccati neceſſariò reſultat ex materiali, ut ex dictis conſtat.

Reſpondeo negando ant. ut enim Deus aliquid propriè permittat, eſt ſatis, ut abſolutè poſſit illud impedire, & tamen non impediat; quamvis verò poſito & cauſato materiali peccati, Deus, ea ſuppoſitione facta, impedire non poſſit, ni ſit formale peccati; abſolutè tamen, abſtrahendo ab illa ſuppoſitione, & conſiderando formale peccati ſecundùm ſe; id poteſt impedire.

Inſtant. 4. ſi dum homo peccatum facit, Deus poſitivè cauſet materiale, formale autem poſitivè non cauſet, ſed permittat tantùm; opus eſt, ut poſtquam homo una actione poſuit materiale, re-

restet eliciendæ ab homine alia actio, quæ ponat formale, & quam Deus positivæ non causet: atqui hoc inauditum est: ergo &c.

Respondeo negando maj. nam, ut Deus positivè causet materiale peccati, formale verò positivè non causet, sed solùm permittat, sufficit planè, ut materiale peccati intra sphæram positivæ activitatis & causalitatis Dei contineatur, non autem formale: & ut istud absolutè possit *impedire, non impediat tamen.*

Instant. 4. Deus, juxta Thomistas, dicitur permittere formale peccati, quatenùs denegat homini auxilium ab intrinseco efficax, necessarium ad formale peccati vitandum: atqui nequit Deus negare homini auxilium ab intrinseco *efficax, necessarium* ad formale peccati vitandum *nisi eo ipso* sit propriè formalis peccati causa: ergo &c. Prob. min. si Deus conferret homini illi auxilium ab intrinseco efficax, necessarium ad formale peccati vitandum, Deus per hujus auxilii collationem esset propriè causa, quòd homo vitaret formale peccati: ergo si Deus auxilium illud deneget homini, est propriè causa, quòd homo non vitet formale peccati: juxta illud axioma: *Si affirmatio* (id est, collatio) *est causa affirmationis, negatio est causa negationis.*

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. concesso ant. nego conseq. & ad allatum axioma, dico, illud quidem esse verum in ordine physico, & in causis naturalibus seu necessariis; non esse tamen verum in ordine morali, & in causis liberis ac moraliter operantibus; nisi quando negans, affirmare seu conferre potest & tenetur: sic verb. grat. si adversa tempestate navis in alto jactetur, sit verò aliquis, cui non est commissa gubernatio navis, qui absit ob conficienda negotia sua, qui tamen si adesset, navem à naufragio liberaret; non ei imputatur ut causæ, si navis naufragium patia-

tur, quia navem gubernare non tenebatur: Deus autem homini efficax auxilium gratiæ conferre non tenetur: ſi enim ad illud conferendum teneretur, id eſt, ſi illud auxilium ex debito homini conferret, jam gratia non eſſet.

Objiciunt 9. ſi Deus phyſicè homines ad actus malos præmoveret, licitum eſſet hominibus, imò laudabile, velle actus malos: atqui hoc manifeſtè abſurdum eſt: ergo &c. Prob. maj. licitum eſt hominibus, imò laudabile, velle id omne, quod Deus vult eos velle; quia Deus non vult niſi id, quod licitum eſt, & laudabile: atqui ſi Deus phyſicè homines, aut eorum voluntates, ad actus malos præmoveret, vellet Deus homines velle actus malos, ut patet; ergo &c.

Reſpondeo negando maj. ad cujus prob. diſtinguo maj. licitum eſt hominibus, imò laudabile, velle id omne, quod Deus voluntate præcepti vel conſilii vult eos velle, concedo: licitum eſt hominibus, imò laudabile, velle id omne: quod Deus voluntate cauſæ primæ ac univerſaliſſimæ, & univerſaliſſimi proviſoris, vult eos velle, nego: ſicut enim licitum eſt juſto Judici, imò laudabile, velle mortem Petri homicidæ vel latronis, quia hoc exigit commune bonum, cui providus Judex debet ex officio conſulere; & nihilominus Paulo filio Petri licitum non eſt, nec laudabile, velle mortem ſui patris, quia id prohibet filialis amor: ſic etiam licitum eſt Deo ut primæ ac univerſaliſſimæ cauſæ, & proviſori univerſaliſſimo, interdum velle, homines velle actus malos materialiter ſumptos; id eſt, ipſi licitum eſt voluntate ſua efficaci homines aut eorum voluntates ad actus malos materialiter acceptos phyſicè præmovere; quoniam expoſcit commune bonum univerſi, ut Deus quandoque præbeat cauſis ſecundis defectibilibus (quales ſunt homines) ea omnia quæ ex parte cauſæ primæ ac univerſaliſſimæ, & univerſaliſſimi proviſoris, ſunt eis neceſſaria, ut juxta con-

conditionem suæ naturæ, malè seu defectibiliter aggant inter illa verò est physica voluntatum humanarum ad actus malos materialiter spectatos præmotio, ut ex dictis constat; non est tamen licitum hominibus, vel in ipsis laudabile; velle actus malos etiam materialiter usurpatos; quia propter hominum defectibilitatem, & materialis cum formali in actibus malis conjunctionem, periculum foret, ne dum vellent materiale, implicitè vellent & formale.

Objiciunt 10. si Deus physicè hominem ad actum malum præmoveret, homo peccando peccaret, & non peccando etiam peccaret: atqui hoc planè absurdum est: ergo &c. Prob. maj. & in primis homo peccando peccaret, ut *evidens est*. Peccaret verò non peccando, quia non peccando, non se accomodaret Dei voluntati; vellet enim Deus tunc, ut homo actum malum eliceret, & tamen ipse eum non exerceret.

Respondeo negando 2. p. maj. ad cujus prob. *dico*, tunc tantùm hominem peccare, quando se non accommodat Dei voluntati, quæ ei innotescat per præceptum; quantumvis verò Deus velit, hominem nonnumquam ponere actum malum materialiter sumptum; hæc tamen Dei voluntas numquam homini per præceptum innotescit.

Objiciunt 11. si Deus physicè hominem ad actum malum præmoveret, actum illum vellet & nollet, amaret & odio haberet: atqui hoc apertè repugnat: ergo &c. Prob. maj. & in primis Deus actum illum vellet & amaret, quia ad eum physicè hominem præmoveret; eumdem verò actum Deus nollet & odio haberet, quia illum prohiberet & puniret.

Respondeo distinguendo maj. si Deus physicè hominem ad actum malum præmoveret, actum illum sub diversa ratione vellet & nollet, amaret & odio haberet, id est, hujusmodi actum, ut

ut bonum phyſica & tranſcendentali bonitate, vellet & amaret Deus; nollet verò & odio haberet eumdem actum ut moraliter malum, concedo: actum illum ſub eadem ratione vellet & nollet, amaret & odio haberet, nego. Ad Prob. maj. cum eadem diſtinctione eſt reſpondendum.

Objiciunt 12. ſi Deus phyſicè hominem ad actum homicidii præmoveret, æterno poſtea ſupplicio eum actum puniret, ad quem hominem præmoviſſet; quod videtur aſperum, durum, & divinæ æquitati repugnans.

Reſpondeo cum diſtinctione: verum enim eſt Deum æterno punire ſupplicio actum homicidii, ad quem hominem phyſicè præmovit; at non ſub ea ratione, ſub qua Deus ipſe hominem ad illum præmovit, nempè prout eſt hyſica & tranſcendentali bonitate bonus; ſed ſub alia prorsùs ratione, ſub qua ſolus homo ſe ipſum ad illum movit & determinavit, nimirum prout eſt moraliter & graviter malus. Et in hoc nihil eſt aſperum, nihil durum, nihil divinæ æquitati repugnans.

Inſtant: ſi quis rem furto ſublatam mitteret in peram alicujus, & poſteà illum tamquam de furto convictum morti adjudicaret, injuſtus foret: ergo pariter injuſtus eſſet Deus, ſi eum actum æterno ſupplicio puniret, ad quem hominem præmoviſſet.

Reſpondeo negando paritatem: ſi quis etenim rem furto ſublatam mitteret in peram alicujus & poſteà illum, tamquam de furto convictum, morti adjudicaret, innocentem plecteret, proindeque foret injuſtus: at dum Deus aliquem homicidam æterno punit ſupplicio propter actum homicidii formaliter ſumptum, id eſt, ut moraliter & graviter malum, ad quem materialiter acceptum ipſe Deus hominem phyſicè præmoverat; non innocentem, ſed nocentem aut reum debitis afficit pœnis; ideòque nullo prorsùs modo injuſtus eſt Deus.

Ur-

Urgent: ut homo physicè ad materiale homicidii à Deo præmotus, esset reus, dum ponit formale, deberet posse vitare istud formale: atqui non apparet, quonam modo homo physicè ad materiale homicidii à Deo præmotus possit vitare formale; neque enim, inquiunt *adversarii*, ad hoc est satis gratia sufficiens, cùm ista gratia sit physica præmotione ad materiale homicidii data *longè* debilior: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. reveranamque homo ad materiale homicidii physicè à Deo præmotus potest, beneficio gratiæ sufficientis, formale seu malitiam moralem homicidii vitare, sicut & materiale non ponere, si velit. Nec obstat, quòd gratia sufficiens sit physica promotione ad materiale homicidii data debilior: licèt enim debilior sit, quia non est efficax, sicut physica præmotio; verè tamen tribuit proximam potentiam ad vitandum malum quoad formale, & faciendum bonum supernaturale; hæc quippe proxima potentia, est formalis gratiæ sufficientis effectu; ut docent Theologi in tractatu de gratia.

Articulus Sextus.

An debeat instrumentum à principali causa moveri?

§. I.

Sententiæ referuntur, veraque sententia eligitur.

CAusa efficiens, ut diximus suprà, duplex est; principalis una, instrumentalis altera. Causa principalis, si sit univoca, ejusdem perfectionis effundit effectum; si verò ipsa sit æquivoca, producit effectum, quem perfectione vincit. Causa autem instrumentalis, ea dicitur,

quæ ad productionem effectus ſe nobilioris à principali cauſa elevatur; hujuſmodi ſunt Sacramenta, quibus in anima producitur gratia.

Circa cauſam inſtrumentalem, quæ uno vocabulo, *inſtrumentum* nominatur, quærunt primò Philoſophi; an debeat *inſtrumentum* à principali cauſa moveri, id eſt, an debeat recipere à principali cauſa virtutem aliquam, per modum motionis tranſeuntis (quæ *motio virtuoſa* ſolet appellari) qua intrinſecè elevetur, & fiat potens ad effectum ipſius cauſæ principalis producendum.

Affirmant Thomiſtæ, negant verò Suarez, & alii plures recentiores, docentes, inſtrumentum elevari ſatis per ſimultaneum cauſæ principalis concurſum; tum maximè quia, inquit Suarez, datur in unoquoque inſtrumento naturaliter ipſi congenita obedientialis quædam potentia partialis & incompleta: proximè aut immediatè activa atque productiva effectus principalis agentis, quę per ſimultaneum ipſius agentis aut cauſæ principalis concurſum completur. Pro Thomiſtarum ſententia.

Dico: debet inſtrumentum à principali cauſa moveri, ſive recipere debet à principali cauſa virtutem aliquam, per modum motionis tranſeuntis, qua intrinſecè elevetur & fiat potens ad effectum ipſius cauſæ principalis producendum.

Prob. 1. ex D. Thoma. Et primò quidem q. 27. de verit. ar. 4. circa medium ſic fatur: *Hæc eſt ratio inſtrumenti, in quantùm eſt inſtrumentum, ut moveat* (id eſt, operetur) *motum* ſcilicet ab agente principali. (Et contra Gent. cap. 21. ratione 4. hæc habet: *Inſtrumentum numquam adhibetur ad cauſandum aliquid, niſi per viam motus; eſt enim ratio inſtrumenti, quòd ſit movens* (ſive operans) *motum*. Et 3. p. qu. 62. art. 4. hæc rurſus ſcribit: *Inſtrumentum non operatur, niſi inquantùm eſt motum à principali a-*

gen-

sente. Eodem loquitur modo innumeris in locis.

Prob. 2. ratione fundamentali: Præcipua instrumenti differentia, qua ab agente principali discriminatur, in eo est posita, quòd indigeat recipere à principali causa virtutem aliquam, qua intrinsecè elevetur, & fiat potens ad ipsius principalis causæ effectum producendum; indigere namque simultaneo alterius causæ concursu, etiam *principali* causæ potest convenire: ut patet *in* causis principalibus secundis, quæ simultaneo Dei egent concursu: ergo debet instrumentum, saltem per modum motionis transeuntis, recipere à causa principali virtutem aliquam, qua intrinsecè elevetur, &c.

Dices cum adversariis, instrumentum in eo *differre à* principali agente, quòd indigeat simultaneo alterius causæ concursu naturali suæ virtuti non debito. Sed contra. nam etiam principalis causa eget nonnumquam simultaneo alterius causæ concursu suæ naturali virtuti non debito: ut *patet in* voluntate humana, quæ ad actum contritionis eliciendum indiget simultaneo Dei concursu, qui est naturali ejus virtuti minimè debitus; cum iste concursus sit actualis quædam gratia (quæ à Theologis *gratia conficientiæ nuncupatur*) quæ secundùm fidem nulli virtuti naturali debetur.

Prob. 3. alia ratione fundamentali: Instrumentum est *de se* & ab intrinseco ad effectum principalis causæ producendum impotens; causa quippe quæ *de se* ad producendum effectum est potens, *principalis causa* vocatur: ergo debet instrumentum recipere à principali causa virtutem aliquam, qua intrinsecè elevetur & fiat potens ad effectum causæ principalis producendum; alioquin intrinsecè impotens semper remanebit.

Respondent adversarii, instrumentum fieri intrinsecè potens ad producendum causæ principalis effectum, per solum simultaneum ipsius causæ principalis concursum.

Sed contra: quando una cauſa efficiens ſimultanè cum alia concurrit, per ſimultaneum concurſum ſuum nihil in ea intrinſecè ponit, ſed ſolùm extrinſecè ipſi cooperatur; ut patet in duobus equis ſimul ad eumdem currum trahendum concurrentibus: neque enim unus ex eis aliquid in alio intrinſecè efficit, ſed dumtaxat unus extrinſecè cooperatur alteri: ergo ſi inſtrumentum eſt *de ſe* ab intrinſeco impotens ad effectus cauſæ principalis productionem, fieri nequit intrinſecè ad hoc potens per ſolum ſimultaneum cauſæ principalis concurſum.

Dices cum adverſariis; ex duobus equis eumdem currum trahentibus quilibet ſeorſum ſumptus, eſt ad trahendum currum impotens; fit verò potens per ſolum ſimultaneum alterius equi concurſum: ergo ſimili modo fit potens inſtrumentum ad cauſæ principalis effectum producendum.

Sed contra: etenim quòd unus equus ſeorſim ſumptus ſit interdum ad tractionem currus impotens, non oritur ex eo, quòd currus tractio ſit altioris ordinis, ad quem equus indigeat intrinſecè elevari, ſed ex ſolo exceſſu veluti intenſivo tractionis id provenit; ideòque ad tractionem illam eliciendam, ſive ad currum trahendum, ſatis eſt, ut intrinſecæ amborum equorum virtutes jungantur, & ſimul concurrant, quamvis unus equus intrinſecè in alium nullam virtutem immittat: at inſtrumentum eſt *de ſe* ad productionem effectus cauſæ principalis impotens, ex eo, quòd iſta productio eſt celſioris ordinis, ad quem eget inſtrumentum intrinſecè elevari; quod per extrinſecum cauſæ *principalis* concurſum ſimultaneum fieri nequit, ſed dumtaxat per intrinſecam virtutis à principali cauſa inſuſæ receptionem.

Reſpondent alii cum Suarez, eſſe in unoquoque inſtrumento naturaliter ipſi congenitam obedientialem quamdam potentiam, partialem & incom-

completam, proximè aut immediatè activam, atque productivam effectus causæ principalis, quæ per simultaneum ipsius causæ principalis concursum completur: ideòque opus non est, inquiunt adversarii, ut instrumentum intrinsecè recipiat superadditam sibi virtutem à principali causa.

Sed contra 1. ex hac responsione infertur, causam principalem, & causam instrumentalem (seu instrumentum) seorsum sumptas, esse dumtaxat incompletas & partiales causas, ex quibus junctis resultet una totalis & completa causa effectus quem simul concurrentes producunt; hoc autem apertè repugnat D. Thomæ 3. contra Gent. cap. 70. ubi hæc habet verba: *Idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus*: si verò principale agens, & instrumentum, essent solùm causæ partiales & incompletæ, unam totalem & completam causam componentes, instrumento non attribueretur *effectus* totus, sicut nec agenti principali; sed *partim* uni, & partim alteri.

Contra 2. non potest esse in causa potentia aliqua activa naturaliter ei congenita, sive emanans ab ejus natura, etiam partialis & incompleta, nisi ad effectum illius naturæ proportionatum: ut ex ipsis terminis patet: alioquin potentia illa non esset naturaliter congenita, sive naturalis, sed supernaturalis, vel saltem præternaturalis: ergo cùm effectus causæ principalis sit naturæ instrumenti minimè proportionatus, sed potiùs improportionatus & excedens; ut constat; non potest esse in instrumento naturaliter ipsi congenita obedientialis potentia, etiam partialis & incompleta, proximè aut immediatè activa atque productiva effectus causæ principalis.

Dices 1. cum adversariis: potentia obedientialis instrumento naturaliter congenita, proximè aut immediatè activa & productiva effectus causæ prin-

principalis, eſt ex mente D. Thomæ: ergo eſt admittenda. Probant ant. ex S. Doctore in 4. diſtinct. 8. quæſt. 2. art. 3. ad 4. ubi hæc habet verba: *Sicut creaturæ ineſt potentia obedientiæ, ut in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit; ita etiam, ut ea mediante fiat, quod eſt ratio inſtrumenti.*

Reſpondeo negando, potentiam obedientialem inſtrumento naturaliter congenitam proximè aut immediatè activam & productivam effectus cauſæ principalis, eſſe ex mente D. Thomæ, nam 3. p. q. 62. ar. 1. de inſtrumento ſic fatur: *Cauſa inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ; ſed ſolùm per motum, quo movetur à principali agente*: ſi autem daretur in inſtrumento naturaliter ipſi congenita obedientialis potentia proximè aut immediatè activa & productiva effectus cauſæ principalis, inſtrumentum proximè aut immediatè ageret per virtutem aut potentiam activam ſuæ formæ, ſive ſuæ naturæ; quod tamen negat D. Thomas.

Unde allatis in verbis nihil aliud intendit Doctor ſanctus, niſi, quòd ſicut ineſt unicuique creaturæ potentia obedientialis paſſiva, ut in ea à Deo fiat quidquid ipſe creator diſpoſuerit, ſive voluerit; ſic etiam ineſt ſingulis creaturis potentia obedientialis mediatè & remotè activa, & effectuum ſupernaturalium productiva, qua per virtutem ſuperadditam, & à Deo receptam, intrinſecè elevata, conſtituuntur creaturæ inſtrumenta Dei; quibus mediantibus ipſe Deus eos producit ſupernaturales effectus, quos voluit atque diſpoſuit. Hanc explicationem & doctrinam tradit ipſe Angelicus Doctor 1. 2. qu. 109. art. 1.

Dices 2. datur in creaturis potentia obedientialis paſſiva proxima & immediata, naturaliter ipſis congenita, qua poſſunt à Deo recipere dona ſupernaturalia, abſque alia potentia paſſiva ſuperaddita, ergo datur etiam in creaturis

ris potentia obedientialis immediatè a
mè activa, & effectuum supernaturaliu
ctiva, naturaliter ipsis congenita. Con
exparitate. Ant. verò est communis T
rum doctrina.

Respondeo negando paritatem;
quippe obedientialis passiva, quæ est
turis ad supernaturalia dona à Deo
da, non est aliquid positivum, se
non repugnantia, seu repugnantiæ p
gatio; creaturis verò) præsertim inte
libus) ex sua natura, & absque ul
superaddito, dona supernaturalia no
gnant: at potentia obedientialis im
activa, atque effectuum supernaturali
ductiva, esset positiva quædam poten
fectibus supernaturalibus, aut ab act
pernaturalibus illorum effectuum proc
specificata; proindèque ordinis foret
turalis: (quandoquidem secundùm
ptos, res specificata, & id à quo s
ra, ejusdem ordinis esse debent) q
tem ordinis est supernaturalis, neq
aturaliter alicui creaturæ congenitu
potiùs esse debet toti naturæ inde
& supra totam naturam prorsùs
tum.

Nec dicant Adversarii, potentiam
entitativè naturalem, formaliter verò
tione potentiæ supernaturalem. Act
que potentia, seu potentia agendi,
sur entitatem rei tamquam quædam
prietas; proprietas autem, & id, cuju
prietas, sint ejusdem ordinis necessè
indeque si entitas illius potentiæ e
lis, etiam in ea ratio potentiæ ordin
turalis.

Dices 3. potentia obedientialis imm
tiva, atque effectuum supernaturaliu
ta, naturaliter creaturis congenita,

neceſſaria, ut Deus perfectiſſimum & abſolutiſſimum habeat in creaturas dominium, & ſit in creaturis perfectiſſima ad obediendum Deo ſubjectio: ergo hæc potentia eſt in creaturis ponenda.

Reſpondeo negando antecced. ut enim Deus perfectiſſimum & abſolutiſſimum habeat in creaturas dominium, & ſit in creaturis perfectiſſima ad obediendum Deo ſubjectio, ſat eſt, ut poſſint creaturæ id omne abſque ulla repugnantia à Deo recipere, quod voluerit in eas immittere; poſſit quoque Deus uti creaturis, per virtutem ipſis intrinſecè ſuperadditam elevatis, ad id omne efficiendum, quod nullam implicat contradictionem.

Dices 4. ſi non eſt in inſtrumento naturaliter ipſi congenita obedientialis potentia proximè aut immediatè activa, atque productiva effectus cauſæ principalis, non apparet quonam modo inſtrumentum activè concurrat ad effectum ipſius cauſæ principalis producendum.

Reſpondeo id negando; nam, ut inſtrumentum activè concurrat ad effectum cauſæ principalis producendum, ſufficit plane ut inſtrumentum ex ſe habeat virtutem mediatè & remotè activam, quæ per illam virtutem à principali cauſa receptam ad effectus ipſius cauſæ principalis productionem elevetur, modo infrà explicando.

S. I

§. II.

Præcipuæ Adversariorum objectiones solvuntur.

OBjiciunt 1. si deberet instrumentum à principali causa moveri, maximè ut per hoc à principali causa differret: atqui non differt instrumentum à principali causa per hoc, quòd ab ea moveatur: ergo &c. Ma. continet unum ex præcipuis nostræ sententiæ fundamentis. Min. verò declaratur: id, quo instrumentum differt à principali causa, non debet principali causæ convenire, ut constat; sæpè autem causa principalis ab alia causa movetur: sic omnes causæ principales creatæ à Deo moventur, ut ex dictis in *duobus articulis præcedentibus* patet: sic primum mobile ab intelligentia movetur: sic inferiores Cœli à superioribus, & vinum ac piper in stomacho à calore naturali moventur, &c. Non differt igitur instrumentum à principali causa, per hoc, quòd ab ea moveatur.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. nego, motionem illam, qua instrumentum à principali causa movetur, posse unquam causæ principali convenire; ista quippe motio est virtuosa, id est, est virtus aliqua, quæ elevat instrumentum, ut effectum se nobiliorem (scilicet effectum causæ principalis) producat. Licèt autem una causa principalis inferior ab alia superiori moveatur, hæc tamen motio non est virtuosa seu elevativa; sed vel est purè applicativa, (sicut dum omnes causæ principales creatæ à Deo moventur, vel dum primum mobile ab intelligentia movetur, aut dum inferiores Cœli à superioribus moventur, &c.) vel est dumtaxat excitativa, ut dum vinum & piper in stomacho à calore naturali moventur, &c.

Objiciunt 2. si instrumentum indigeret motione

ne virtuoſa cauſæ principalis maximè quia producit effectum ſe nobiliorem: atqui inſtrumentum non ſemper producit effectum ſe nobiliorem ergo non ſemper indiget motione virtuoſa cauſæ principalis. Ma. continet alterum ex præcipuis ſententiæ noſtræ fundamentis. Prob. min. ſi quis malleo argenteo conficeret ferreum clavum, malleus argenteus foret inſtrumentum, & ferreus clavus eſſet effectus per ipſam productus; perſpicuum autem eſt, clavum ferreum non eſſe malleo argenteo nobiliorem. Idem probari poſſet multis aliis exemplis, quæ brevitatis gratia omitto.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. & exemplum allatum, diſtinguo, & concedo, clavum ferreum in ratione entis non eſſe malleo argenteo nobiliorem; neque enim entitas clavi ferrei eſt entitate mallei argentei præſtantior, imò è contra, entitas mallei argentei eſt entitate clavi ferrei excellentior & pretioſior; ſed nego, clavum ferreum in ratione effectus non eſſe malleo argenteo nobiliorem; nam cùm malleus ex eo, quod argenteus eſt, non habeat virtutem ad clavum ferreum efficiendum ſufficientem, eſt in ratione cauſæ efficientis ferreo clavo ignobilior, & è converſo clavus ferreus in ratione effectus malleo argenteo nobilior. Et ad ſimilia exempla idem dicendum eſt.

Objiciunt 3. multa ſunt inſtrumenta, quæ à principali cauſa non moventur, motione virtuoſa: ergo non eſt neceſsè, ut inſtrumentum virtuoſa motione à cauſa principali moveatur. Prob. ant. pluribus exemplis. Et primò quidem, calor ignis eſt ejus inſtrumentum ad ipſius producendos effectus, & tamen virtuoſa motione ab igne non movetur; virtuosè ſiquidem à principali cauſa moveri, juxta Thomiſtas, eſt virtutem ab ipſa principali cauſa recipere; calor autem ignis virtutem ab ipſo non recipit, ſed eſt ipſa-

ipsamet ejus virtus. Præterea granum [illegible] missum, à principali causa non movetur, quando ejus producit effectum. Idem dicendum est de semine, quod sæpè eo tempore generat prolem, quo animal, cujus est instrumentum, mortuum est, à quo proinde non movetur. [illegible] si quis supra serram immotam lignum moveat, ipsa serra tamquam instrumentum [illegible] det lignum, & tamen, ut [illegible], non movebitur à principali causa. [illegible] sigillum immotum imprimet, ut instrumentum, figuram in cera [illegible]. Denique sigillum, [illegible] pendetur, imprimit figuram [illegible] li, supra quam cadit, nec tamen à principali causa movetur.

Respondeo negando ant. Ad 1. exemplum nego paritatem, etenim [illegible] virtus, ideòque non indiget recipere [illegible] vam & distinctam à se virtutem [illegible] ris, & alia similia instrumenta, [illegible] præsertim hic loquimur, non sunt [illegible] rum causarum principalium [illegible] debent à causis principalibus [illegible] recipiendo ab eis virtutem [illegible] ventur, & fiant potentia ad [illegible] effectum. Dici etiam potest, [illegible] esse proprie ejus instrumentum, [illegible] dumtaxat ipsius instrumentaria [illegible] mur autem in conclusione [illegible] tis propriè dictis, ut sunt serra, [illegible] modi.

Ad duplex aliud exemplum [illegible] quòd dum in conclusione [illegible] menta debent à principali causa [illegible] moveri, eo tempore, [illegible] cunt effectum; ita ut tunc [illegible] beant virtutem à principali causa, [illegible] trinsecè eleventur; [illegible] tantùm de instrumentis [illegible]

[illegible]

principali non elevatis, neque motis; ut ſunt ſerra, ſecuris, &c. Granum verò emanans e planta, & ſemen in animali atque ex animali formatum, ſunt à principalibus cauſis, à quibus oriuntur (nimirum à planta & ab animali) habitualiter elevata, per habituales virtutes ab ipſis acceptas; unde ut præſtent effectus cauſarum principalium, quarum agunt nomine & virtute, non indigent actuali illarum cauſarum influxu & motu; ſed ſtatim ac ſunt debitè præparata & applicata, cum ſolo cauſarum univerſalium concurſu, illos producunt effectus.

Reſpondeo 2. nomine motionis virtuoſæ, ſive quod idem eſt, nomine virtutis à cauſa principali in inſtrumentum emanantis, per modum motionis tranſeuntis datæ, non debere intelligi influxum actualem cauſæ principalis citò tranſeuntem; ſed virtutem aut activam qualitatem à principali cauſa in inſtrumentum tranſeuntem, quæ intrinſecè elevatur, & fit potens ad effectum ipſius cauſæ principalis producendum; quæ quidem virtus interdum citò tranſit, ut in ſerra, ſecuri, &c. aliquando verò diu permanet, ut in grano, ſemine, &c. donec productus fuerit cauſæ principalis effectus. Doctrinam iſtam tradit S. Thomas q. 3. de potent. a. 11. ad 5. ubi hæc ſcribit: *Inſtrumentum tamdiu à principali agente moveri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impreſſam; unde & ſemen tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impreſſa ab anima, licèt corporaliter ſit diviſum.*

Ad alterum exemplum, diſtinguendum eſt, & concedendum, quòd ſi quis ſupra ſerram lignum moveat, ipſa quidem immediatè non movebitur, benè tamen mediatè, mediante nimirum ligno ſuprà ipſam moto; non movebitur tamen motione locali, (quia, ut ſupponitur, non mutabit locum) ſed motione virtuoſa, recipiendo ab artifice, qui lignum movet, virtutem aliquam,

quam, qua intrinsecè elevabitur, & fiet potens ad *scissionem* artificiosam eliciendam, & ad effectum *causæ principalis*, seu artificis, producendum. Eodem modo movebitur sigillum, si supra ipsum mollis cera moveatur.

Ad ultimum exemplum respondeo 1. juxta distinctionem datam, dicendo, quòd *sigillum*, abscisso filo, cadens supra ceram *mollem*, & in ea figuram imprimens, non movebitur quidem à principali causa (præsertim ab ea, quæ sigillum suspensum manu tenebat) motione, quæ sit actualis influxus causę principalis citò trãsiens; movebitur tamen à causa principali, quæ sigillum fecit, motione, quæ sit virtus impressa & relicta ab eadem principali causa, quæ in sigillo figuram insculpsit.

Respondeo 2. sigillum, abscisso filo, quo suspenditur, supra ceram mollem cadens, non imprimere in ea figuram suam, propriè ut instrumentum, & per se; sed dumtaxat ut corpus grave, & per accidens: sigillum quippe ex eo, quod est *corpus* grave, habet, ut dum supra ceram molem cadit, in ea sui vestigium imprimat; quod autem vestigium istud sit hujus vel illius figuræ, per accidens est, ratione hujus vel illius figuræ ab artifice in ipso sigillo insculptæ.

Objiciunt 4. instrumentum, accepta virtute à principali causa, vel est sufficiens & proportionatum effectui ipsius causæ principalis producendo, vel est insufficiens & improportionatum? si est proportionatum & sufficiens; igitur non est instrumentum, sed causa principalis: si verò remanet insufficiens & improportionatum; igitur sicut ante acceptam à causa principali virtutem, ejus effectum producere non poterat; sic etiam post acceptam virtutem illam, eumdem effectum producere nequit.

Respondeo, instrumentum, accepta virtute à principali causa, esse in ratione instrumenti sufficiens & proportionatum effectui causæ principa-

cipalis producendo; quia poſt acceptam à principali cauſa virtutem, habet quidquid requiritur ad completam rationem inſtrumenti.

Nec propterea eſt cauſa principalis, quia principalis cauſa debet eſſe ſimpliciter & ratione ſui ſufficiens & proportionata effectui ſuo, inſtrumentum autem numquam eſt ſimpliciter & ratione ſui ſufficiens & proportionatum effectui principalis cauſæ, ſed ſecundùm quid ſolùm, & ratione virtutis à cauſa principali emendicatæ.

Inſtant: virtus, quam inſtrumentum recipit à principali cauſa, vel eſt majoris perfectionis quàm effectus ipſius cauſæ principalis vel æqualis cum illo perfectionis, vel tamdem minoris perfectionis? non eſt verò majoris perfectionis, ut patet: non eſt etiam æqualis perfectionis, quia alioquin eſſet virtus principalis, & conſtitueret inſtrumentum in ratione cauſę principalis: non eſt tamdem minoris perfectionis, quia alioquin ad effectum illum producendum non ſufficeret.

Reſpondeo cum diſtinctione, dicendo, virtutem illam entitativè ſumptam eſſe minoris perfectionis quàm ſit effectus cauſæ principalis; virtualiter autem inſtrumentariè conſideratam, eſſe æqualis cum illo effectu perfectionis; hoc ipſo enim quòd eſt inſtrumentaria virtus cauſæ principalis, eſt virtus inſtrumentariè productiva effectus tantæ perfectionis, quantæ perfectionis eſt effectus ipſius cauſæ principalis. Patet verò, virtutem inſtrumentariam non conſtituere cauſam principalem, ſed inſtrumentalem tantùm.

Dices cum Adverſariis: dum artifex movet ſerram ut inſtrumentum ad artificiosè ſcindendum, nihil aliud ei imprimit, quàm localem motum, ergo cum localia motus non ſit activa virtus, artifex nullam virtutem activam in ſerram immittit.

Reſpondeo negando ant. quando enim artifex movet ſerram ut inſtrumentum ad artificiosè ſcin-

ſciindendum, non modò ei imprimit localem motum, ſed & maximè in eam immittit impulſum virtuoſum, qui eſt virtus quædam activa, quæ intrinſecè elevatur & applicatur ad artificiosè ſciindendum.

Objiciunt 5. Deus movet, juxta Thomiſtas noon tantùm cauſas principales creatas, ſed etiam earum inſtrumenta: ergo iſta inſtrumenta nmoveri non indigent à cauſis principalibus creatiis.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. inſtrumenta namque cauſarum principalium creatarum indigent intrinſeca elevatione, ut earum effectus præſtent; generalis verò aut univerſalis immotio Dei, qua & cauſas principales creatas, & earum *inſtrumenta*, ad agendum movet, non eſt elevativa, ſed purè ad operandum applicativa, unde inſtrumenta cauſarum principalium creatarum egent ab ipſis cauſis principalibus creatiis virtuosè moveri ac intrinſecè elevari, & ita iintrinſecè elevata, à Deo, ut à cauſa prima & uniiverſaliſſima, ad effectus ipſarum cauſarum porincipalium creatarum producendos moveri aut aapplicari.

Inſtant: ſi egeat inſtrumentum, ut à principali cauſa moveatur motione elevante; ſequitur quòd ſi Deus utatur aliqua creatura tamquam inſtrumento ad effectum aliquem producendum, Deus moveat creaturam illam duplici motione; ſcilicet motione elevante, & motione applicante; motione quidem elevante, quia in illa ſuppoſitione, Deus eſt cauſa principalis; motione autem applicante, quia Deus eſt cauſa univerſaliſſima, quæ, ex Thomiſtarum doctrina, debet omnes cauſas creatas, ſive principales, ſive inſtrumentales, ad agendum movere ſeu applicare: atqui abſurdum videtur & impoſſibile, quòd eadem creatura duplici motione ſimul à Deo moveatur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo; concedo namque

eſſe abſurdum, vel etiam impoſſibile, quòd eadem creatura duplici motione realiter adæquatè diſtincta, ſimul à Deo ad eamdem actionem moveatur: at nego, eſſe ullo modo abſurdum, vel impoſſibile, quòd eadem creatura duplici motione virtualiter inadæquatè diſtincta, ſimul à Deo ad eamdem actionem moveatur. In ſuppoſitione autem in objectione aut inſtantia facta, motio elevans, qua Deus, ut cauſa particularis principalis, creaturam illam tamquam inſtrumentum moveret, ipſam intrinſecè elevando; & motio applicans, qua Deus, ut cauſa univerſaliſſima, eamdem creaturam ad agendum, & ad effectum actu producendum applicaret, non eſſent duæ motiones realiter adæquatè diſtinctæ, ſed virtualiter ſolùm inadæquatè diſcretæ; ſive clariùs, eſſet eadem realiter entitativè motio, quæ duobus inadæquatis muneribus fungeretur; ita ut quatenùs foret à Deo, ut à cauſa particulari principali, intrinſecè creaturam elevaret, & conſtitueret in ratione inſtrumenti proximè ad operandum, & effectum inſtrumentariè producendum potentem: *en primum munus*: quatenùs verò eſſet à Deo, ut à cauſa univerſaliſſima, applicaret creaturam jam in ratione inſtrumenti proximè potentem ad actu operandum, & ad effectum producendum: *ecce munus alterum*.

Objiciunt 6. Sacramenta novæ legis ſunt inſtrumenta Dei, quibus in anima noſtra gratiam efficit; & tamen virtuosè à Deo non moventur, ſive virtutem intrinſecè ipſa elevãtem à Deo non recipiunt: ergo neceſsè non eſt, ut inſtrumentum virtuosè à cauſa principali moveatur. Antquoad 1. p. eſt communis Theologorum ſententia. Quoad 2. verò p. ſic declaratur: vel virtus illa eſſet ſpiritualis, vel corporea? non corporea, alioquin minimè produceret gratiam, quæ incorporea eſt: non eſt etiam ſpiritualis illa virtus quia ſpiritualis virtus nequit recipi in ſubjecto corporeo, quale eſt Sacramentum.

Reſ-

Respondeo negando ant. quoad 2. p. Ad cujus prob. dico, virtutem illam esse spiritualem. Et dum ajunt *Adversarii*, non posse virtutem spiritualem recipi in subjecto corporeo; distinguendum est: verum etenim est, virtutem spiritualem non posse recipi in subjecto corporeo, quod constituat in ratione causæ principalis; hinc lumen gloriæ, fides, spes, charitas, & similes virtutes spirituales nequeunt recipi in subjecto corporeo, quia constituunt subjectum, in quo sunt, in ratione causæ principalis elicitivæ actus seu operationis spiritualis; ut sunt actus visionis beatificæ, actus fidei, actus spei, actus charitatis, &c. Nequit verò subjectum corporeum fieri principalis causa actus spiritualis elicitiva; quia causa principalis esse non potest effectu inferior, omne autem corporeum inferius est spirituali: at falsum est, virtutem spiritualem recipi non posse in subjecto corporeo, quod constituat in ratione instrumenti Dei; nam cùm Deus sit infinitæ potentiæ, determinata non habet instrumenta, etiam cùm vult spirituales effectus producere; sed potest, prout libet, etiam creaturis corporeis ut instrumentis uti ad illos effectus producendos, infundendo in hujusmodi creaturas instrumentariam virtutem spiritualem, qua elevantur ad spirituales effectus attingendos. Et isto ultimo modo est in Sacramentis virtus spiritualis.

Instant: accidens spirituale nequit recipi in subjecto corporeo: accidens quippe debet proportionari & commensurari subjecto: atqui virtus spiritualis est aliquod accidens spirituale; ut constat: ergo &c.

Urgent ex communi axiomate: *Quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*: ergo virtus quæ in objecto corporeo recipitur, ad modum ipsius subjecti corporei recipitur; proindeque virtus illa necessariò corporea est, non verò spiritualis.

Ad

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av)

Ad inſtantiam reſpondeo diſtinguendo ſimiliter ma. accidens ſpirituale nequit recipi in ſubjecto corporeo: ſi aceidens illud ſit virtus principalis, & conſtituat ſubjectum in ratione cauſæ principalis, concedo; virtus namque principalis debet cauſæ principali, quam conſtituit, proportionari & commenſurari: ſi illud accidens ſit inſtrumentaria virtus, & conſtituat ſubjectum in ratione inſtrumenti, nego: virtus autem inſtrumentaria non debet proportionari inſtrumento ipſique commenſurari; ſed debet potiùs eſſe inſtrumento ſuperior, ipſumque elevare. Virtus autem ſpiritualis, quæ recipitur in Sacramentis, eſt quidem aliquod accidens ſpirituale; at non eſt accidens, quod ſit virtus principalis, ſed dumtaxat virtus inſtrumentaria.

Ad id, quod addunt, & quo urgent Adverſarii: cum eadem diſtinctione eſt reſpondendum. Et ſanè, cum virtus inſtrumẽtaria ſit purè propter effectum cauſæ principalis producendum; non eſt neceſsè, ut proportionetur & commenſuretur ſubjecto, ſed proportionari potiùs debet atque commenſurari effectui cauſæ principalis producendo; ideòque quando iſte effectus eſt ſpiritualis, (qualis eſt gratia, quæ per Sacramenta præſtatur) etiam virtus inſtrumentaria ſit ſpiritualis neceſsè eſt, quantumvis ſubjectum ſit corporeum.

Urgent iterum: nullum accidens corporeum recipi poteſt in ſubjecto ſpirituali; ſic v. g. albedo in Angelo recipi non poteſt: ergo paritere contra accidens ſpirituale nequit in corporeo ſubjecto recipi.

Reſpondeo negando paritatem: ſi enim accidens corporeum in ſubjecto ſpirituali reciperetur, id non fieret ſine ſpiritualis naturæ detrimento, utpotè quæ per hoc ad ſtatum rerum corporearum abjiceretur: at ex eo, quòd accidens ſpirituale recipitur in ſubjecto corporeo, nullum propterea detrimentum ipſi corporeo ſubjecto

jecto infertur, quin potiùs hinc magnoperè honoratur.

Articulus Septimus.

An instrumentum habere debeat propriam virtutem activam, propriamque actionem prævianm & dispositivam ad actionem principalis agentis?

§. I.

Difficultas explanatur, sententiæ referuntur, veraque sententia eligitur ac probatur.

Sensus tituli articuli est, an instrumentum debeat semper habere activam virtutem sibi propriam, cui propria correspondeat actio, quæ in eo præsupponatur, & ratione cujus instrumentum dispositum sit & paratum, ut à causa vel ab agente principali elevetur ad cooperandum ipsi, ipsiusque effectum producendum? Negant Scotus, Suarez, & alii plures recentiores; affirmant tamen Thomistæ omnes, cum aliis.

Dico: instrumentum debet semper habere propriam virtutem activam, propriamque actionem prævianm & dispositivam ad actionem principalis agentis. Ita docet D. Thomas pluribus in locis. Primò enim 2. contra Gent. cap. 21. artic. 6. hæc scribit: *Omne agens instrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam & connaturalem sibi.* Et 3. p. qu. 62. art. 1. ad 2. sic ait: *Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundùm quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriā, quæ competit sibi secundùm propriam formam;* (id est secundùm propriam virtutem;) *sicut secuti competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis;*

non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam; ſcindendo enim facit lectum.

Sed luculentiùs loquitur 1. p. q. 45. art. 5. his verbis: *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi inquantùm per aliquid ſibi proprium* (id eſt, per activam virtutem ſibi propriam) *diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis; ſi igitur nihil ibi ageret ſecundùm illud, quod eſt ſibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum.* Quibus verbis non tantùm noſtram docet ſententiam, ſed etiam duplicem concluſionis noſtræ rationem tradit.

Prima ratio pro omni inſtrumento ſic formatur: ex communi Philoſophorum explicatione, inſtrumentum eſt id, quod à cauſa principali elevatur & aſſumitur ad activè ipſi cooperandum, ejuſque effectum producendum: ergo præſupponi debet in inſtrumento virtus activa propria, propriæ actionis capax, ratione cujus inſtrumentum ſit diſpoſitum & paratum, ut à cauſa principali elevetur & aſſumatur ad activè cooperandum ipſi, ejuſque effectum producendum.

Et ſanè, ſi inſtrumentum ex ſe nullam haberet virtutem activam, nullamque actionem ſibi propriam, non concurreret ad effectum principalis cauſæ, tamquam cauſa activa ſeu efficiens ſed dumtaxat tanquam medium aut ſubjectum deferens virtutem & actionem cauſæ principalis, ſicut aer eſt ſolùm medium nudumque ſubjectum deferens Cœlorum influentias ad hæc inferiora, in quibus ſuos producunt effectus: hoc autem eſſe falſum & abſurdum, quis non videt?

Secunda ratio D. Thomę pro inſtrumentis cauſarum principalium creatarum ſic proponitur. Cauſæ principales creatæ nequeunt uti quibuſcum-

cumque instrumentis ad præstandos effectus suos, sed determinatis indigent instrumentis: sic homo ad scribendum indiget calamo, neque baculo scribere potest: non apparet autem, cur causæ principales creatæ determinatis egeant instrumentis ad suos effectus producendos, nisi quia hæc tantùm instrumenta *ex se* habent propriam virtutem activam ad illos effectus præstandos aptam, ut est figura acuta in calamo ad scribendum, aut ad litteras exarandas.

§. II.

Satisfit adversariorum objectis.

OBjiciunt 1. hoc D. Thomæ testimonium sumptum ex 3. p. q. 19. a. 1. ad 2. *Sic igitur*, inquit S. Doctor, *actio instrumenti, inquantùm est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis.* Sed facilè respondeo, D. Thomam loqui de instrumento reduplicativè, inquantùm est instrumentum, sub qua ratione propriam non habet actionem, quia reduplicativè ut instrumentum est, ex propria non agit virtute, sed ex sola virtute principalis agentis. Cæterùm, verum est semper, instrumentum, ut est res aut causa *de se* (imperfectè saltem) activa, propriam sibi vendicare actionem. Neque hoc negat, sed potiùs docet D. Thomas, ut constabit, si integrum ejus testimonium afferamus; est verò ejusmodi: *Sic igitur actio instrumenti, inquantùm est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem, prout est res quædam.*

Instant aliqui, D. Thomam non asserere, instrumentum habere semper propriam actionem, sed solùm *posse propriam operationem habere*. Sed facilè etiam respondeo, S. Thomam loco modò allato non asserere quidem, instrumentum habere semper propriam actionem; id tamen S. Doctorem asseverare pluribus aliis in locis, &

præſertim 3. p. q. 62. art. 1. ad 2. ubiuniverſaliter aſſerit, quòd numquam inſtrumentum perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam.

Objiciunt 2. plura ſunt inſtrumenta, quæ propriam non habent actionem diſtinctam ab actione principalis cauſæ: ergo inſtrumentum non debet ſemper habere propriam actionem diſtinctam ab actione cauſæ principalis. Prob. ant. quando monetarius typum auro vel argento imprimit, typus aliam non habet actionem præter monetationem, quæ eſt actio cauſæ principalis, ſcilicet monetarii: ſimiliter, cùm ſigillator ſigillum in ceram immittit, in ceram agit medio ſigillo velut inſtrumento; & tamen non eſt alia ſigilli actio, extra ſigillationem, quæ eſt actio principalis agentis, nempè ſigillatoris. Idem probari poſſet aliis pluribus exemplis, quæ brevitatis gratia prætermitto.

Inſtant 1. omnis actio inſtrumenti exercetur virtute & motione cauſæ principalis, etiam ex ipſa Thomiſtarum ſententia: ergo omnis actio inſtrumenti eſt actio cauſæ principalis.

Inſtant 2. agens principale nonnumquam utitur inſtrumento ad effectum connaturales ipſius inſtrumenti vires non ſuperantem; ſic, v. g. utitur artifex ſerra ad ſecandum: ergo ſaltem eo in caſu, alia non erit actio agentis principalis, & alia actio inſtrumenti.

Inſtant 3. ſi inſtrumentum propriam haberet actionem; vel eam exerceret ut principalis cauſa, vel ut cauſa inſtrumentalis? Non ut principalis cauſa; quia contra inſtrumenti naturam eſt, quòd agat ut cauſa principalis: non etiam ut cauſa inſtrumentalis; quia actio inſtrumenti, inquantùm inſtrumentum eſt, ſeu inquantum eſt inſtrumentalis cauſa, non eſt ejus actio propria, ſed potiùs eſt actio principalis agentis; ut ſuprà ex D. Thoma oſtenſum eſt.

Ad

Ad objectionem respondeo negando ant. ad exempla dico, typum monetalem & sigillum non habere *quidem* propriam actionem, à qua actio causæ *principalis*, id est, monetatio vel sigillatio, realiter entitativè distinguatur; habent nihilominùs propriam actionem, à qua monetatio aut sigillatio modaliter vel virtualiter secernitur; eam nempè actionem, qua monetalis typus & sigillum impellunt, dividunt, & comprimunt aurum, argentum, ceram, &c. supra quam actionem monetatio & sigillatio quasdam addunt modalitates, virtualiter saltem ab illa distinctas. Et ad similia exempla simili modo respondendum est.

Ad 1. instantiam, distinguo ant. omnis actio *instrumenti* exercetur virtute & motione elevante, vel applicante, causæ principalis, concedo: omnis actio instrumenti exercetur virtute & motione solùm elevante causæ principalis, nego ant. & conseq. Duæ igitur sunt in instrumento actiones; una instrumentalis aut instrumentaria, quæ est causæ principalis; alia est propria instrumenti actio: primam exercet instrumentum virtute & motione elevante causæ principalis; alteram verò elicit instrumentum virtute & motione quidem principalis causæ, at virtute & motione propriam instrumenti virtutem dumtaxat applicante.

Ad 2. instantiam respondeo, quòd si agens principale utatur instrumento ad effectum connaturales ejus vires non superantem, v. g. serra ad secandum; non utitur instrumento, ut instrumento, sed potiùs ut causa proxima aut immediata principali, quam non elevat, sed solùm ad operandum applicat. Unde ista instantia aliena est à præsenti proposito, in quo supponimus, quòd agens principale utatur instrumento, ut instrumentum est; qua in suppositione asserimus, duas esse instrumento actiones; unam instrumentariam, quæ est principalis

agentis, & alteram inſtrumento propriam.

Ad 3. inſtantiam reſpondeo, inſtrumentum exercere propriam actionem, ut cauſam principalem; licèt enim ſit contra naturam inſtrumenti, quòd agat actione inſtrumentaria, ut cauſa principalis; minimè tamen ejus naturæ repugnat, quòd actione propria, elicita virtute propria, agat ut principalis cauſa.

Urgent Adverſarii: ſi inſtrumentum propriam haberet actionem prævianı ad actionem principalis agentis; vel eſſet eadem realiter *cùm illa*, vel realiter diſtincta ab ea: atqui *neutrum dici* poteſt: ergo &c. Prob. min. & primò, propria inſtrumenti actio non eſt eadem realiter cum actione principalis agentis, ſive cum actione inſtrumentaria; alioquin, quia eſt ad eam prævia, idem eſſet prævium ad ſe *ipſum*; quod abſurdum eſt: non eſt etiam realiter diſtincta ab actione principalis agentis; alioquin diſtinctum haberet terminum ſeu effectum, nec agentis principalis terminum aut effectum attingeret.

Reſpondeo, propriam *inſtrumenti actionem* diſtingui interdum realiter entitativè ab actione principalis agentis; ut contingit in Sacramentis: ablutio quippe exterior, quæ eſt propria actio Sacramenti Baptiſmatis, realiter entitativè diſtinguitur à productione gratiæ in anima, quæ eſt actio Dei principaliter agentis. Aliquando verò propria actio inſtrumenti modaliter ſolùm, vel etiam virtualiter tantùm, ſecernitur ab actione cauſæ principalis ſive ab *inſtrumentaria* actione; quo modo propria actio typi *monetalis*, vel ſigilli, diſcernitur à monetatione *aut ſigillatione*, (ut dictum eſt ſuprà) quæ eſt actio inſtrumentaria, ſive actio agentis principalis, videlicet monetarii vel ſigillatoris.

Ad prob. 1. p. min. dico, non eſſe abſurdum, ut eadem realiter entitativè actio ſecundùm diverſas rationes, modaliter, vel virtualiter diſtinctas,

gas, ita se habeat, ut secundùm unam ratio-
em sit prioritate naturæ, vel prioritate ratio-
is, prior altera; & hoc modo propria actio
ypi monetalis, verbi gratia, vel sigilli, prout
t impulsio, divisio, & compressio auri, ar-
enti, ceræ, &c. est prior aut prævia & disposi-
va adseipsam, prout est monetatio vel sigil-
atio.

Ad prob. verò 2. p. ejusdem min. Respondeo
m distinctione, & concedo, actionem pro-
am instrumenti realiter entitativè distinctam
actione principalis agentis, proprium haben-
n terminum aut effectum, non attingere qui-
n terminum aut effectum agentis principalis
maliter & immediatè, benè tamen dispositivè
ediatè, reddendo instrumentum dispositum
ratum, ut elevetur ad attingendum per a-
tem instrumentariam terminum vel effe-
principalis agentis.

ices cum adversariis: motio aut actio causæ
ipalis antecedit propriam actionem instru-
; (esto detur) neque enim agit instrumen-
etiam actione propria, nisi priùs ab ipsa
riincipali moveatur: ergo actio propria in-
rti non est prævia ad actionem causæ prin-
sed potiùs è contra, actio principalis
ævia dicenda est.

mdeo distinguendo duplicem actionem
incipalis: alia enim est, quæ ab ipsa cau-
pali immediatè provenit; qua movetur
atur instrumentum ad agendum: alia
à principali causa immediatè non
di mediante instrumentaria virtute ab
ipali causa in instrumentum immissa
Ad utramque causæ principalis a-
ræ via est, in genere causæ materialis
» propria instrumenti actio, quia ip-
tum ad utramque actionem illam dis-
nia tamen causæ principalis actio prior
cedens in genere efficientis causæ,

quia efficienter inſtrumentum ad agendum movet atque applicat.

Objiciunt 3. ignis inferni eſt inſtrumentum Dei ad torquendos Dæmones, ut docent Theologi in Tract. de Angelis; & tamen nullam habet actionem propriam: ergo neceſsè non eſt, ut inſtrumentum propriam habeat actionem. Prob. ant. propria actio ignis eſt calefactio & combuſtio, hanc verò actionem ignis inferni circa Dæmones non exercet; quia quod calefit, corporeum eſt; & quod corrumpitur, id ſolum comburi poteſt; Dæmones verò neque corporei ſunt neque corruptibiles. Simile argumentum poteſt fieri de Sacramentis, quæ etiam ſunt inſtrumenta Dei ad producendam gratiam in anima, & tamen nullam habent actionem propriam, quam poſſint circa animam exercere; quia propria Sacramentorum actio corporea eſt, (ſicut & corporea ſunt Sacramenta) proindeque recipi non poteſt in anima noſtra, quæ ſpiritualis eſt.

Reſpondeo cum Cajetano, Joanne à S. Thoma, Complutenſibus, & aliis Thomiſtis communiter, non tantùm inſtrumenta cauſarum principalium creatarum, ſed etiam inſtrumenta Dei, actionem habere propriam; diſpari tamen modo; cùm enim virtus cujuslibet cauſæ principalis creatæ finita ſit, de ſe non eſt ubique præſens, aut immenſa; unde *ex ſe* non eſt præſens in ſubjecto, in quo effectus ipſius eſt producendus ideòque ejus inſtrumentum tangere debet ſubjectum illud, ut ad ipſum deferat virtutem cauſæ principalis creatæ; ex quo ſequitur, ut inſtrumentum cujuſcumque cauſæ principalis creatæ exercere debeat ſuam actionem propriam immediatè circa ſubjectum, in quo effectus cauſæ principalis creatæ producendus eſt, in quo etiam ſubjecto actio illa recipi debet. At Deus virtus, infinita eſt & immenſa; unde ex ſe ubique adeſt; & idcircò neceſsè non eſt, ut in-

instrumenta Dei deferant ejus virtutem ad subjectum, in quo effectum suum medio instrumento Deus producere decrevit; & ideò non est etiam necesse, ut Dei instrumenta tangant immediatè subjectum, in quo producendus est Dei effectus, & circa illud suam propriam exerceant actionem: sed sive circa illud subjectum, sive circa aliud quodcumque, suam propriam eliciant actionem; *hoc* satis est, ut à Deo assumantur tanquam instrumenta; sive ut Deus utatur illis sicut instrumentis, ad effectus suos in illo subjecto, vel in aliis subjectis, quantumcumque distantibus, producendos.

Ex quo infertur, quòd ut ignis inferni sit propriè instrumentum Dei ad torquendos Dæmones, *opus* non est, ut immediatè circa Dæmones suam propriam exerceat actionem, nimirum calefactionem vel combustionem; sed est satis, ut hanc eliciat actionem circa materiam, in qua est, & in qua alitur, quæ *de se* corporea & corruptibilis est. Et similiter, ut Sacramenta sint propriè instrumenta Dei, ad gratiam in anima nostra producendam; necesse non est, ut propria ipsorum actio in anima nostra recipiatur; sed sufficit planè, ut actio illa suscipiatur in corpore ejus, qui recipit Sacramentum, & in cujus anima, gratia à Deo, mediante Sacramento, producitur.

Instant 1. si instrumenta Dei suam actionem propriam circa unum subjectum exercendo, Dei effectum in alio distante subjecto producerent, daretur actio in distans, ut patet: atqui ex communi Thomistarum sententia, non datur actio in distans: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si instrumenta Dei suam actionem propriam circa unum subjectum exercendo, Dei effectum in alio distante subjecto producerent, daretur actio in distans materialiter aut entitativè, concedo: dum enim ignis inferni, v. gr. propriam actionem exer-

cendo circa materiam, in qua eſt, & in qua alitur, per actionem inſtrumentariam efficit in Dæmone qualitatem ipſi contrariam, ipſumque torquentem, quæ eſt effectus Dei principaliter Dæmonem torquentis; ignis inferni, aut ejus virtus entitativè in Dæmone revera præſens non eſt: & idem dicendum eſt de Sacramento propriam actionem circa corpus hominis Sacramentum ſuſcipientis exercente, & per actionem inſtrumentariam, gratiam in anima illius producente: daretur actio in diſtans formaliter & cooperativè, nego: cùm enim intrinſeca virtus Dei, qua in Dæmone torquentem efficit qualitatem, & in anima hominis Sacramentum ſuſcipientis ſanctificantem producit gratiam, ſit eadem numero præſens in ſubjectis, circa quæ ignis inferni, & Sacramentum, ſuas proprias exercent actiones; poſſunt ignis inferni, & Sacramentum per actiones inſtrumentarias cooperari immediatè virtuti divinæ ad efficiendam in Dæmone torquentem qualitatem, & ad producendam in anima hominis Sacramentum ſuſcipientis ſanctificantem gratiam; unde quamvis ignis inferni, & Sacramentum, non ſint in Dæmone, & in anima hominis Sacramentum ſuſcipientis, materialiter ſeu entitativè præſentia; adſunt tamen ibi formaliter ut divinæ virtuti cooperantia.

Et idem dicendum eſt de aliis divinæ virtutis inſtrumentis. Quando verò Thomiſtæ aſſerunt, non dari actionem in diſtans, loquuntur de actione creata cauſæ naturalis; vel ſi loquantur etiam de actione cauſæ inſtrumentalis ſupernaturalis, ſive de actione inſtrumenti Dei; hoc cum diſtinctione data intelligendum eſt.

Urgent: ex communi axiomate, *operari ſequitur eſſe*: ergo ſi inſtrumenta Dei non ſint ſecundùm ſuum eſſe, ſeu ſecundùm ſuam entitatē, præſentia eo in ſubjecto, in quo producitur Dei effectus; in illo ſubjecto operari aut cooperari ne-

nequeunt Deo suum effectum producenti.

Respondeo distinguendo ant. *Operari sequitur esse absolutè*, concedo; quidquid enim operatur, absolutè & in se habere debet esse: *Operari sequitur esse in tali subjecto*, subdistinguo: in efficientibus causis naturalibus, concedo: in supernaturalibus instrumentis Dei, nego; ut enim dictum est, quantumvis entitas instrumentorum Dei, vel entitas virtutis eorum, esse non habeat eo in subjecto, in quo Deus suum præstat effectum; possunt tamen illa instrumenta cooperari divinæ virtuti effectum suum præstanti; quoniam virtus illa, utpotè infinita & immensa, adest immediatè, non tantùm subjecto, in quo suum producit effectum, sed etiam subjectis, circa quæ instrumenta Dei suas proprias eliciunt actiones, & in quibus esse habent, sunt-que entitativè præsentia.

Instant 2. si actio propria instrumenti Dei circa unum subjectum elicita, esse potest dispositio ad productionem effectus in alio subjecto, sequitur, ut aliqua creatura possit esse instrumentũ Dei ad creandum: atqui hoc in Schola D. Thomæ falsum est: ergo &c. Prob. sequela ma. ideò ex D. Thoma 2. contra Gent. cap. 21. & q. 3. de potent. a. 4. nec non 1. p. q. 45. a. 5. & alibi, creatura nequit esse instrumentum Dei ad creandum, quia creatura operari non potest circa nihil, sed debet supponere subjectum, circa quod dispositivè operetur; in creatione verò nullum supponitur subjectum, sed in ea effectus fit ex nihilo: hæc autem D. Thomæ ratio nulla est, si verum sit, actionem propriam instrumenti Dei circa unum subjectum elicitam, posse esse dispositionem ad productionem effectus in alio subjecto; nam etiam dici poterit, creaturam ut instrumentum Dei posse ita circa unum subjectum dispositivè operari, ut dispositiva operatio creaturæ circa istud subjectum exercita, sit ad creationem aut productionem

effectus ex nihilo ſufficiens diſpoſitio.

Reſpondeo negando ſequelam maj. Ad cujus prob. nego, allatam D. Thomæ rationem eſſe nullam, ſi verum ſit, actionem propriam inſtrumenti Dei circa unum ſubjectum elicitam, poſſe eſſe diſpoſitionem ad productionem effectus in alio ſubjecto; nam quantumvis hoc verum ſit, numquam tamen propterea operatio alicujus creaturæ circa aliquod ſubjectum exercita, eſſe poteſt ad creationem ſufficiens diſpoſitio; imò creationi eſſentialiter repugnat, ut fiat ex ſufficienti ad ipſam diſpoſitione, quæcumque ſit illa diſpoſitio, & in quodcumque ſubjectum inducatur; creatio namque eſt eſſentialiter ex nihilo; diſpoſitio verò ſufficiens, quæcumque tandem ſit, & in quodcumque ſubjectum inducatur, non eſt nihil, ſed aliquid, ideòque ex illa fieri nequit creatio.

Inſtant 3. Inſtrumenta Dei debent per ſuas actiones proprias inducere in ſubjectum, in quo Dei effectus eſt producendus, aliquid prævium ad effectum hujuſmodi diſpoſitivum; alioquin propriæ inſtrumentorum Dei actiones non eſſent ad effectum Dei diſpoſitivæ; cùm tamen ſecundùm nos, propria cujuſcumque inſtrumenti actio debeat eſſe ad effectum cauſæ principalis diſpoſitiva: ergo inſtrumentum Dei debet ſua actione propria immediatè tangere ſubjectum, in quo eſt producendus Dei effectus; quonam enim modo poteſt Dei inſtrumentum ſua actione propria prævíam diſpoſitionem in ſubjectum illud inducere, niſi immediatè eadem actione ipſum tangat?

Reſpondeo negando ant. neque etenim actio propria inſtrumenti dicitur ad effectum cauſæ principalis diſpoſitiva, ex parte ſubjecti, in quo iſte effectus eſt producendus, quaſi debeat neceſſariò inducere in illud ſubjectum aliquid ad effectum illum diſpoſitivum; ſed propria inſtrumenti actio eſt ad effectum principalis cauſæ

diſpo-

dispositiva, ex parte ipsiusmet instrumenti; quatenus ipsum disponit, aptumque reddit, ut elevetur à causa principali, ad cooperandum, ipsi ipsiusque effectum producendum.

Dices cum adversariis: quando Deus utitur aliquo instrumento ad suos effectus producendos, propria instrumenti actione non eget; quandoquidem, si vellet, effectus illos sine instrumento produceret: ergo in instrumento Dei propria actio inutilis est.

Respondeo concesso ant. negando conseq. necessitas namque actionis propriæ instrumento desumenda non est ex sola causæ principalis indigentia; sed ex ipsa instrumenti natura, quæ eam necessariò exigit; alioquin enim (ut suprà dicebamus) esset merum medium aut subjectum virtutis & actionis causæ principalis delativum.

Quòd si quæras, quænam fuerit actio propria humanitatis Christi in terra adhuc degentis, quæ fuit instrumentum Divinitati conjunctum ad varios supernaturales effectus præstandos?

Respondeo, fuisse actus externorum sensuum, ut visus, tactus, &c. sicut quando aspectu convertebat, & tactu sanabat homines. Actiones verò propriæ ejusdem humanitatis Christi nunc in cœlo regnantis, quæ etiam modò est generale omnium effectuum supernaturalium instrumentum, quod Divinitati conjunctum est, sunt præsertim actus interni intellectus & voluntatis. Actiones autem propriæ Sacramentorum, sunt exteriores illæ actiones, quas circa nostra exercent corpora; ut est ablutio in baptismate, chrismatio in confirmatione, & ita de aliis. Contactus etiam physicus sæpè est in instrumentis Dei propria ipsorum actio; ut dum Deus physico contactu sacrarum reliquiarum alicui sanitatem reddit.

Quærunt hìc Philosophi, quot sint instrumentorum genera? Respondeo breviter, instrumentum

aliud

aliud eſſe phyſicum, aliud morale. Inſtrumentum phyſicum & propriè dictum, eſt illud, quod ex motione principalis cauſæ phyſicè aut realiter influit in effectum, ut ſecuris in lectum. Et de iſto ſolo inſtrumento in præſenti & in præcedenti articulo diſſeruimus. Inſtrumentum verò morale & impropriè nuncupatum, eſt illud, quod realiter in effectum non influit, ſed tantùm ad ſui præſentiam movet, & excitat agens principale ad operandum, & effectum producendum; ſic ad ſonum tubarum motus & excitatus Deus evertit muros Jericho, Joſue 6. cap.

Præterea aliud eſt inſtrumentum *quod*, aliud inſtrumentum *quo*. Inſtrumentum *quod* eſt ipſum quod ab agente principali aſſumitur, movetur, & ad agendum applicatur; ut ſerra. Inſtrumentum autem *quo* eſt virtus agendi, quæ duplex eſt, una fixa & permanens, ut calor in igne; alia fluens ac tranſiens, ut eſt virtus, quæ ab artifice in ferram derivatur.

Inſuper aliud eſt inſtrumentum artificiale, quod deſervit artifici, ut malleus. Aliud naturale, quod deſervit cauſæ naturali, ut manus. Aliud ſupernaturale, quo Deus utitur ad ſupernaturalia opera efficienda, ut baptiſma. Denique inſtrumentum aliud eſt *conjunctum*, quod jungitur principali cauſæ in eodem ſuppoſitó, ut lingua. Aliud eſt ſeparatum, quod eſt extra agentis principalis ſuppoſitum, ut ſecuris.

Articulus Octavus.

De fortuna, casu, & fato.

§. I.

De fortuna & casu.

Ethnici, ut erant infinitis superstitionibus implicati, *Fortunæ numen* excogitarunt; nec solùm Poetæ qui multa mentiuntur, sed etiam nonnulli Philosophi; tametsi horum quidam, dum in re stulta volunt esse sapientes, fortunæ sexum mutarunt; non *Deam*, ut Poetæ; sed *Deum* appellantes.

Fuerunt autem in hunc errorem inducti, quòd viderent latentes quosdam & inopinatos eventus, quorum causam cùm ignorarent, nec tamen nullam esse sibi persuaderent, occultum aliquod esse numen, à quo ii eventus provenirent, id est, fortunam statuerunt. Hinc illud Ciceronis: *Ignoratio rerum atque causarum, fortunæ nomen induxit.*

Porrò Cebes Philosophus, aliique veteres, fortunam cæcam effinxere, furenti similem, super volubilem globum altero pede stantem. Quo picturæ artificio significare volebant, fortunam nihil ratione aut judicio, omnia temerè & cæco impetu administrare, rerum humanarum aleam susque deque vertere; iniquam vexatricem esse, malis propitiam, bonis adversam, vagam ac versatilem, & in sola levitate constantem. Horum sententiam vel potiùs errorem coarguunt, præter alios, Lactantius lib. 3. cap. 28. & 29. & D. Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 18. *Quomodo ergo Dea fortuna*, inquit, *si aliquando bona est, & aliquando mala? An fortè quando mala est, Dea non est, sed in malignum Dæmonem repentè convertitur? &c.*

Fortunam verò ſic definit Ariſtoteles 2. Phyſic. cap. 5. *Fortuna eſt cauſa efficiens per accidens, ex electione, in his, quæ ſunt propter finem, & rarò contingunt.* Dicitur *cauſa*, quia fortuna non eſt effectus fortuitus, ut putat vulgus; ſed eſt iſtius effectus cauſa. In eo autem, quòd fortuna eſt cauſa, cum aliis convenit cauſis. Additur, quòd fortuna ſit cauſa efficiens; in quo à materia, forma, & fine ſecernitur. Fortuna verò eſt *cauſa efficiens per accidens*, id eſt, præter intentionem effectum aliquem producens; ſic homo puteum fodiens, & præter intentionem theſaurum inveniens, eſt fortuna philoſophicè uſurpata. Fortuna autem eſt cauſa efficiens, quæ *ex electione* agit; ex quo colligitur, fortunæ rationem ſolis agentibus aut cauſis liberis ex electione operantibus propriè convenire. Et in hoc fortuna differt à caſu, qui eſt cauſa, non libera & ex electione agens, ſed naturalis, ex naturali inclinatione operans; ſic tegula cadendo frangens cervicem prætereuntis, eſt caſus, non fortuna; quoniam tegula non eſt cauſa libera, ſed naturalis & neceſſaria; nec ex electione, ſed ex naturali inclinatione ac pondere operatur.

Fortuna verò eſt in his *quæ ſunt propter finem*; quia fortuna tunc ſolùm eſt, quando fini vel effectui per ſe intento alius per accidens jungitur præter intentionem operantis; hoc modo foſſioni putei per accidens jungitur theſauri inventio. Fortuna tandem eſt in his, *quæ rarò contingunt*. Quod de ſola raritate temporis intelligendum non eſt (alioquin eclipſes, quia raræ, fortuiti forent effectus) ſed de raritate conjunctionis effectus fortuiti cum effectu per ſe ab operante intento; unde ut effectus ſit propriè fortuitus, ſatis non eſt, ut rarò fiat; ſed maximè opus eſt, ut cum effectu ab hac vel illa cauſa per ſe intento rarò conjungatur; qua ratione theſauri inventio rarò cum putei foſſione conjungitur.

Caſus autem ſic eſt definiendus: *Caſus eſt cauſa effi-*

effectus per accidens, ex inclinatione naturali, in his, quæ sunt propter finem, & rarò contingunt. Quæ definitio ex explicatione definitionis fortunæ patet. Dari verò fortunam & casum, in sensu explicato, experientia constat: dari siquidem fortuitos & causales effectus, quotidiana docet experientia: dantur igitur horum effectuum causæ; & ita fortuna & casus. Quòd si alicubi docent Sancti Patres, non debere Christianos uti nomine *fortunæ*; fortunam accipiunt juxta Ethnicorum errorem suprà relatum, non autem juxta Aristotelis sententiam, quam tuemur.

Ratio verò fortunæ vel casus nequit Deo convenire; sive, quod idem est, respectu Dei nullus effectus propriè fortuitus vel casualis dici potest: effectus quippe fortuitus vel causalis esse debet præter intentionem & cognitionem agentis; nihil autem fit præter intentionem aut cognitionem Dei, cùm cognitio Dei infinita sit, & nihil ipsam lateat. Hinc Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Nihil*, inquit, *in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque Republica est, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Respectu verò cujuscumque causæ creatæ dari possunt effectus fortuiti vel casuales; quia cùm intentio cujusvis causæ creatæ finita sit, nec ad omnia se extendat; nihil obstat, ne aliquis effectus præter illius intentionem contingat, qui utique fortuitus erit, aut casualis; ut patet: sic respectu boni Angeli pias cogitationes suggerentis fortuitus est pravus illarum usus; sic respectu hominis puteum fodientis, fortuita est thesauri inventio; sic respectu cœlorum casualis est monstri productio, ex solo causæ particularis defectu proveniens; & ita de aliis.

§. II.

tas, præmittenda fuit aliarum cauſarum explanatio, ut facilior fieret illius cauſalitatis notitia.

Articulus Primus.

Quid & quotuplex ſit finis?

§. I.

Definitur finis, eumque eſſe cauſam veram phyſicamque, probatur.

FInis ex communi Philoſophorum conſenſu, poſt Ariſtotelem 2. Phyſic. cap. 3. & lib. 1. Metaphyſ. cap. 3. item lib. 5. cap. 2. hoc modo definitur: *Finis eſt id, cujus gratia aliquid fit.* Senſus eſt, finem eſſe id, cujus amore, & ob quem obtinendum, aliquid fit. Hujuſmodi eſt ſanitas, cujus amore, & ob quam obtinendam, ægroti etiam amaras ſumit potiones, ac violentas patitur ſectiones. Unde ad finem duo neceſſariò exiguntur; ſcilicet quòd finis propter ſe ametur, & ex ejus amore media eligantur, atque executioni mandentur.

Quòd autem allata finis definitio recta ſit, patet; quia definitio illa exprimit & id, in quo finis, aut cauſa finalis cum aliis convenit cauſis; & id, quo differt ab illis. Dum enim dicitur, finem eſſe id, *cujus gratia aliquid fit*; idem eſt ac ſi diceretur, finem eſſe cauſam (in quo cum cauſa efficiente, formali, & materiali, verè convenit) cujus gratia aliquid fit (quo ab enumeratis differt cauſis; nam cauſa efficiens eſt *id, à* quo res fit; cauſa verò formalis, & cauſa materialis, ſive forma & materia, ſunt eæ partes, ex quibus res fit, ſeu ex quibus totum phyſicum coalescit; ſola autem cauſa finalis eſt id, cujus gratia aut amore aliquid fit) his præmiſſis.

Dico: finis eſt verè ac propriè cauſa, eaque phyſica aut realis. Ita docet Ariſtoteles cap. 3. huius

hujus libri textu 29. quem sequuntur communiter Philosophi.

Quòd primò finis sit verè proprièque causa, sic prob. Id, à quo effectus verè ac propriè pendet, est verè ac propriè causa; causa namque est id, à quo pendet effectus: atqui effectus verè ac propriè pendet à fine; nisi etenim temerè agit agens, verè & propriè agit gratia finis, quando suum producit effectum: ergo &c.

Quòd autem finis sit physica seu realis causa, sic declaratur: ea causa est physica aut realis, quæ in effectum physicè vel realiter influit: atqui finis physicè vel realiter in effectum influit: ergo &c. Maj. clara est. Prob. min. finis (ut infrà constabit) influit in effectum, movendo & alliciendo agens ad sui consecutionem: atqui finis realiter movet aut allicit agens ad sui consecutionem; sic v. gr. sanitas realiter movet vel allicit agrotum ad sui assecutionem; ut perspicuum est: ergo &c.

Objicies 1. causa vera & propriè dicta debet verè ac propriè causare; ut constat: atqui finis verè ac propriè non causat, sed metaphoricè solùm; quandoquidem ex Aristotele lib. 1. de generat. cap. 8. text. 55. finis causalitas est *metaphorica motio*: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. cùm enim ait Aristoteles, finis causalitatem esse metaphoricam motionem, significare non vult hoc loquendi modo, influxum finis aut causæ finalis verum ac propriè dictum non esse; sed vult tantùm, motionem finis debere metaphoricam appellari, si cum motione causæ efficientis conferatur; sola siquidem causæ efficientis causalitas, per quandam excellentiam, solet *motio*, sive *actio*, absolutè nuncupari.

Objicies 2. causa vera & propriè dicta, est verum & propriè dictum principium: atqui finis non est verum & propriè dictum principium; imò *finis* & *principium* opponuntur: ergo &c.

Res-

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui finis in executione poſitus, non eſt verum & propriè dictum principium, concedo; reipſa namque finis ita ſumptus non eſt principium, ſed omnium cauſarum terminus: atqui finis intentione movens & alliciens cauſam efficientem ad productionem effectus, non eſt verum & propriè dictum principium, nego; finis ſiquidem ſic acceptus, verè eſt & propriè id, à quo primò incipit effectus productio, proindèque eſt verum & propriè dictum productionis effectus principium.

Ad hanc verò propoſitionem: *Finis, & principium, opponuntur*: ſic diſtinguendum eſt: Finis, id eſt, terminus continui, & principium, ſcilicet continui, opponuntur, concedo; rerum enim principium à quo continuum, v. g. à qua linea incipit, & terminus ſive extremum, quo finitur vel clauditur, opponuntur: finis, id eſt, cauſa finalis in intentione movens & alliciens cauſam efficientem ad productionem effectus, & principium, opponuntur, nego.

Objicies 3. vera cauſa phyſica & realis debet verè ac realiter exiſtere: atqui finis nonnunquam realiter non exiſtit; ſic v. g. ſanitas ab ægroto deſiderata, realiter non exiſtit; ut conſtat: ergo &c.

Inſtabis 1: vera cauſa phyſica & realis debet dare ſuo effectui *eſſe*: atqui finis ſæpè non dat ſuo effectui *eſſe*; quandoquidem ſæpè eſſe non habet ergo &c.

Inſtabis 2. vera cauſa phyſica & realis debet eſſe ſuo effectu prior: atqui finis ſæpè non eſt ſuo effectu prior, ſed potiùs ipſo poſterior; ſic ſanitas ab ægroto deſiderata, eſt ſui deſiderio *poſterior*: ergo &c.

Ad objectionem diſtinguo maj. vera cauſa phyſica & realis, quæ cauſat agendo (qualis eſt cauſa efficiens) debet verè ac realiter exiſtere, concedo; ut enim communiter dicitur: *Operari ſeu agere ſequitur eſſe ſive exiſtere*: vera cauſa phyſi-

ta & realis, quæ causat appetitum alliciendo (qualis est finis aut causa finalis) debet verè ac realiter existere, subdistinguo: debet verè ac realiter existere in apprehensione, id est, debet realiter, quantùm ad bonitatem suam, apprehendi, concedo: debet verè ac realiter existere extra apprehensionem & in se, nego: licèt autem finis nonnumquam realiter extra apprehensionem & in se non existat, ut patet in sanitate ab ægroto desiderata; nunquam tamen causat, nisi realiter existat in apprehensione, id est, nisi realiter ab agente vel appetente apprehendatur; & hoc sufficit planè, ut finis realiter appetitum alliciat, proindèque ut realiter causet; quoniam finis non aliter causat, quàm appetitum alliciendo.

Ad 1. instantiam concessa maj. distinguo min. atqui finis non dat suo effectui esse, agendo & ipsum efficiendo aut producendo, concedo; hoc quippe efficientis causæ proprium est: atqui finis non dat suo effectui *esse*, causam efficientem ad ejus productionem alliciendo, nego; ad hoc namque satis est, ut habeat *esse* in apprehensione.

Ad 2. instantiam, distinguo maj. vera causa physica & realis debet esse suo effectu prior, prioritate naturæ & causalitatis, concedo: debet esse suo effectu prior, prioritate realis existentiæ, ita ut omnis vera causa physica vel realis debeat in se, ante effectum, realem habere existentiam, nego: quamvis verò finis sæpè non sit suo effectu prior, prioritate realis existentiæ, sed potiùs ipso posterior; ut constat in sanitate ab ægroto desiderata, quæ est sui desiderio posterior, posterioritate realis existentiæ; attamen finis, vel causa finalis, semper suo effectu prior prioritate realis causalitatis est.

Urgebis: causa physica debet existere in se, vel in virtute à se relicta; cujusmodi est vis illa, quæ in glande remanet, etiam cùm quercus combusta est: atqui finis interdum nec existit in se,

nec

nec in virtute à ſe relicta; ut patet in exemplo allato ſanitatis ab ægroto deſideratæ: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. cauſa phyſica debet exiſtere in ſe, vel in virtute à ſe relicta; quando cauſa phyſica cauſat per virtutem & actionem realiter à ſe diſtinctas, ut eſt quercus media glans de agens, & aliam quercum procreans, & quævis alia efficiens cauſa, concedo: cauſa phyſica debet exiſtere in ſe, vel in virtute à ſe relicta; quando cauſat per bonitatem à ſe indiſtinctam & ſibi intrinſecam alliciendo, nego; etenim aliquid per bonitatem ſibi intrinſecam allicit appetitum, eſt ſatis, ut in apprehenſione exiſtat, ſive ſatis eſt, ut ejus intrinſeca bonitas ab appetente apprehendatur. Finis autem eſt cauſa phyſica cauſans hoc ultimo modo.

Objicies 4. omnis cauſa realis refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali; atqui finis non refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali: ergo &c. Maj. eſt communis Philoſophorum doctrina. Prob. min. quod aliud refertur relatione reali prædicamentali, debet in ſe realiter exiſtere, ut in q. de relatione prædicamentali, ſeu de prædicamento relationis oſtenſum eſt: atqui quandoque finis realiter in ſe non exiſtit, dum cauſat effectum; ſic v. gr. ſanitas realiter in ſe non exiſtit, cùm ab ægroto deſideratur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. omnis cauſa realis, quæ ex ſuo genere petit realiter in ſe exiſtere (ut eſt cauſa efficiens) refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali, concedo maj. omnis cauſa realis, quæ ex ſuo genere non petit realiter in ſe exiſtere, refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali, nego maj. ut enim loco citato docetur, una ex conditionibus ad relationem realem prædicamentalem requiſitis eſt, ut id, quod ea relatione refertur, realiter in ſe exiſtat. Quantumvis autem finis realiter alliciat appetitum agentis ad

pro-

productionem effectus, & ita realiter [illegible] indèque sit causa realis; non [illegible] suo genere realiter in se existere; [illegible] sandum, sive ad alliciendum agentis [illegible] satis est, ut in apprehensione existat; [illegible] dictum est.

§. II.

Quotuplex sit finis?

DIviditur 1. finis in finem *qui*, aut *cujus gratia*; & in finem *cui*. Finis *qui*, vel *cujus gratia*, ille est, qui ratione sui appetitur, & cujus gratia cætera appetuntur; finis verò *cui*, est subjectum, cui bonum aliquod volumus: sic sanitas est finis *qui* aut *cujus gratia* ægroti, quia eam ratione sui expetit, & gratia ejus varia sumit remedia; ipse autem ægrotus est finis *cui*, quoniam est subjectum, cui ipse exoptat sanitatem.

Dividitur 2. in finem proximum, intermedium seu remotum, & ultimum. Finis proximus, est ille, qui proxime seu immediate intenditur; finis intermedius vel remotus, est, ad quem proximus ordinatur; finis verò ultimus est, ad quem omnia referuntur, ipse autem ad nullum ulteriorem finem per se refertur: sic v.g. si rex justus & pius cum hostibus pugnet, ejus finis proximus est victoria de hostibus reportanda, finis intermedius aut remotus est pax & commune bonum regni; finis tandem ultimus est Deus, ad cujus gloriam omnia refert. Utrum verò finis intermedius sit verè propriòque finis, in Ethica dicetur.

Dividitur 3. in finem objectivum, & in finem formalem. Finis objectivus, est bonum illud, quod absens desideramus, & præsens possidemus. Finis formalis, est hujusmodi boni possessio, sive actus, quo possidetur: sic v.gr. pecunia,

nec in virtute à ſe relicta; ut patet in exemplo allato ſanitatis ab ægroto deſideratæ: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. cauſa phyſica debet exiſtere in ſe, vel in virtute à ſe relicta; quando cauſa phyſica cauſat per virtutem & actionem realiter à ſe diſtinctas, ut eſt quercus media glande agens, & aliam quercum procreans, & quævis alia efficiens cauſa, concedo: cauſa phyſica debet exiſtere in ſe, vel in virtute à ſe relicta; quando cauſat per bonitatem à ſe indiſtinctam & ſibi intrinſecam alliciendo, nego; etenim ut aliquid per bonitatem ſibi intrinſecam alliciat appetitum, eſt ſatis, ut in apprehenſione exiſtat; ſive ſatis eſt, ut ejus intrinſeca bonitas ab appetente apprehendatur. Finis autem eſt cauſa phyſica cauſans hoc ultimo modo.

Objicies 4. omnis cauſa realis refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali; atqui finis non refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali: ergo &c. Maj. eſt communis Philoſophorum doctrina. Prob. min. quod ad aliud refertur relatione reali prædicamentali, debet in ſe realiter exiſtere, ut in q. de relatione prædicamentali, ſeu de prædicamento relationis, oſtenſum eſt: atqui quandoque finis realiter in ſe non exiſtit, dum cauſat effectum; ſic v. gr. ſanitas realiter in ſe non exiſtit, cùm ab ægroto deſideratur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. omnis cauſa realis, quæ ex ſuo genere petit realiter in ſe exiſtere (ut eſt cauſa efficiens) refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali, concedo maj. omnis cauſa realis, quæ ex ſuo genere non petit realiter in ſe exiſtere, refertur ad effectum ſuum relatione reali prædicamentali, nego maj. ut enim loco citato docetur, una ex conditionibus ad relationem realem prædicamentalem requiſitis eſt, ut id, quod ea relatione refertur, realiter in ſe exiſtat. Quantumvis autem finis realiter alliciat appetitum agentis ad

pro-

productionem effectus, & ita realiter causet, indèque sit causa realis; non postulat tamen ex suo genere realiter in se existere; sed ipsi ad causandum, sive ad alliciendum agentis appetitum, satis est, ut in apprehensione existat; sicut suprà dictum est.

§. II.

Quotuplex sit finis?

Dividitur 1. finis in finem *qui*, aut *cujus gratia*; & in finem *cui*. Finis *qui*, vel *cujus gratia*, ille est, qui ratione sui appetitur, & cujus gratia cætera appetuntur; finis verò *cui*, est subjectum, cui bonum aliquod volumus: sic sanitas est finis *qui* aut *cujus gratia* ægroti, quia eam ratione sui expetit, & gratia ejus varia sumit remedia; ipse autem ægrotus est finis *cui*, quoniam est subjectum, cui ipse exoptat sanitatem.

Dividitur 2. in finem proximum, intermedium seu remotum, & ultimum. Finis proximus, est ille, qui proximè seu immediatè intenditur; finis intermedius vel remotus, est, ad quem proximus ordinatur; finis verò ultimus est, ad quem omnia referuntur, ipse autem ad nullum ulteriorem finem per se refertur: sic v. g. si rex justus & pius cum hostibus pugnet, ejus finis proximus est victoria de hostibus reportanda, finis intermedius aut remotus est pax & commune bonum regni; finis tandem ultimus est Deus, ad cujus gloriam omnia refert. Utrum verò finis intermedius sit verè propriéque finis, in Ethica dicetur.

Dividitur 3. in finem objectivum, & in finem formalem. Finis objectivus, est bonum illud, quod absens desideramus, & præsens possidemus. Finis formalis, est hujusmodi boni possessio, sive actus, quo possidetur; sic v. gr. pecunia,

rea, quia ſolum bonum cognitum vel apprehenſum appetitur, amatur, & deſideratur; quærunt iterum Philoſophi, quonam modo concurrat cognitio vel apprehenſio finis ad finalizandum; an ut *conditio* tantùm, an autem ut *ratio formalis ſub qua*?

Prima ſententia docet, malum ut malum poſſe appeti aut amari, & bonum ut bonum poſſe odio haberi. Hanc ſententiam tuentur Okam, Joannes Major, Almainus, & alii Nominales. Aliqui addunt Scotum; at ut verum fatear, Scotus modò in iſtam ſententiam, modò in oppoſitam inclinat.

Secunda ſententia concedit quidem, ſolum bonum verum vel apparens poſſe appeti aut amari; ſed tamen aſſerit, cognitionem aut apprehenſionem finis concurrere ad finalizandum, non ut conditionem tantùm, ſed ut rationem formalem ſub qua; ita ut bonitas vera vel apparens, ſit ratio quæ finalizat, cognitio autem vel apprehenſio bonitatis finis, ſit ratio formalis ſub qua finalizat, ſive movet, invitat, & allicit appetitum; eo ſimili modo, quo color eſt ratio quæ videtur, lumen verò eſt ratio formalis ſub qua videtur. Ita docent Medina, Soncinas, Maſius, & alii.

Tertia tandem ſententia aſſeverat, voluntatem non poſſe amore proſequi niſi bonum verum vel apparens, & cognitionem aut apprehenſionem bonitatis finis eſſe meram ad finalizandum conditionem; eo proportionali modo, quo exiſtentia in cauſa efficiente eſt pura conditio ad efficiendum vel producendum effectum. Ita Cajetanus, Ferrarienſis, Complutenſes, Joannes à S. Thoma, & alii Thomiſtæ; imò & Philoſophi communiter. His præmiſſis.

Dico 1. malum ut malum appeti, aut amari, vel deſiderari non poteſt, ſed duntaxat bonum verum vel apparens; proindèque ſola bonitas vera vel apparens conſtituit finem in actu primo po-

ten-

tatem ad finalizandum, sive ad movendam, invitandam, & alliciendam voluntatem ad sui appetitum, aut amorem, vel desiderium.

Prob. 1. ex Aristotele 1. Ethic. cap. 1. ubi approbat hanc boni definitionem apud veteres usurpatam: *Bonum est id, quod omnia appetunt:* si autem malum ut malum posset appeti, imò aliqua agentia ipsum revera appeterent (ut docent adversarii) falsò diceretur, bonum esse id, quod omnia appetunt; quandoquidem ab aliquibus non appeteretur bonum, sed malum ut malum est. Præterea 3. de anima cap. 10. text. 51. sic ait: *Semper quidem movet appetibile; sed hoc aut est bonum, aut apparens bonum.* Ubi adæquatè dividit appetibile in bonum verum, & in bonum apparens: censet ergo, malum ut malum non esse appetibile. Cum Aristotele concinit Seneca lib. 2. de officiis cap. 17. Nemo, inquit, *est à natura lege adeò alienus, ut malum, nisi sub aliqua specie boni, possit appetere.*

Prob. 2. ex communi illo axiomate: *Nemo intendens in malum operatur*; quod ex D. Dionysio cap. 4. de divinis nominibus sumptum est: si verò possit aliquis appetere malum ut malum est, & ipsum quandoque appetat (ut adversarii volunt) clarum est, quòd interdum aliquis appetens malum, & in malum intendens operetur. Accedit D. Augustinus in Enchir. cap. 86. ubi hæc habet verba: *Beati esse volumus, & miseri non solùm esse nolumus, sed neque velle possumus.* Quòd autem esse miseri, nec velimus, nec velle possimus, aliunde non est, nisi quia miseria est quoddam malum, quod nolumus, & velle non possumus.

Prob. 3. ratione fundamentali: illud tantùm appeti aut amari vel desiderari potest, quod ad sui amorem vel desiderium potest appetitum vel voluntatem movere, invitare, & allicere: atqui malum ut malum non potest appe-

titum vel voluntatem ad ſui amorem vel deſiderium movere, invitare, & allicere: ergo &c. Ma. eſt manifeſta. Prob. min. illud duntaxat poteſt appetitum aut voluntatem ad ſui amorem vel deſiderium movere, invitare, & allicere, quod appetitui aut voluntati conveniens eſt; quod etenim diſconvenit appetitui vel voluntati, non amorem aut deſiderium, ſed odium & averſionem excitat; ut omnibus notum eſt, & quotidiana experientia conſtat: atqui malum ut malum non eſt conveniens appetitui aut voluntati; una enim omnium vox eſt, bonum illud eſſe, quod convenit appetitui, præſertim rationali vel intellectuali, qui *voluntas* nuncupatur; malum verò id eſſe, quod eidem appetitui diſconvenit: ergo &c.

Prob. 4. alia ratione, quæ hoc modo formatur: ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 2. ita ſe habet voluntas ad bonum & malum, ſicut intellectus ad verum & falſum: ergo ſicut intellectus nunquam aſſentitur falſo ut falſo, ſed ſolùm vel reipſa vero, vel falſo exiſtimato vero; ut patet generali experientia: ſic etiam nunquam voluntas appetit malum ut malum, ſed tantùm vel revera bonum, vel malum ut apparet bonum.

§. II.

Objectiones diluuntur.

OBjiciunt 1. Nominales: poteſt aliquis appetere *non eſſe*; ut patet in damnatis, & in iis, qui ex deſperatione ſibi mortem inferunt: atqui *non eſſe* eſt malum, quod nequit apparere bonum; quandoquidem omnis bonitas in entitate & *eſſe* fundatur: ergo &c. Præterea, ſicut *naſci* bonum eſt, ita *non naſci* eſt malum: atqui *non naſci* eſt aliquando conveniens & appetibile; juxta illud Job. 10. c. *Quare de vulva eduxiſti me,*

qui

qui utinam consumptus essem? & illa Euangelii verba de Juda proditore, Matth. 26. *Bonum erat, si numquam fuisset natus homo ille*: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. potest aliquis appetere *non esse*, ut est terminativum pœnæ aut miseriæ, concedo; & hoc modo duntaxat damnati, & ii, qui ex desperatione sibi mortem inferunt, appetunt *non esse*: appetere potest aliquis *non esse*, ut est destructivum naturæ, nego: quamvis autem *non esse*, ut est destructivum naturæ, sit malum, quod nequit apparere bonum; attamen ut est terminativum pœnæ aut miseriæ, bonum apparet miseris omni spe salutis in ipsa miseria orbatis; apparet, inquam, bonum, non quidem positivum (omnis siquidem bonitas positiva in entitate & *esse* fundatur) sed negativum; negatio quippe mali, seu carentia pœnæ ac miseriæ, quam (ut ipsis videtur) per *non esse* consequentur, illis apparet bona. Solutio est D. Thomæ 1. 2. qu. 8. art. 1. ad 3. & in supplemen. qu. 98. ar. 3.

Ad id quod additur, respondeo similiter, *non nasci*, esse quoddam malum, si ut est privatio existentiæ conspiciatur; at dico *non nasci*, posse esse apparens bonum, si ut est impeditivum pœnæ atque miseriæ, quæ nativitatem sequitur, consideretur.

Objiciunt 2. Qui ex odio vult malum alicui, vult malum ut malum est: ergo malum ut malum appeti potest. Prob. ant. Primò ex D. Thoma, qui qu. 12. de malo a. 4. hoc discrimen statuit invidiam inter & odium, quòd odium quærit malum proximi sub ratione mali (proindèque malum est) invidia verò contrariatur bono proximi sub ratione boni: & 1. 2. quæst. 46. a. 2. & 6. hæc iterum habet verba: *Odiens appetit malum inimici, inquantùm est malum*. Deinde odium inimicitiæ opponitur directè amori amicitiæ; sicut ergo amor amicitiæ vult amico bonum, ut est ejus bonum; sic è contrario, odium inimici-

ſeu peccatum, prout eſt injuria Dei: atqui peccatum ut eſt injuria Dei, eſt malum ut malum: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. diſt. ma. voluntas Diaboli vult malum ſive peccatum prout eſt injuria Dei, præcisè, nego; vult malum ſive peccatum prout eſt injuria Dei, ut ea injuria mediante quamdam de Deo (quem putat Diabolus inimicum) ſumat ultionem, concedo; ſumere autem de inimico vindictam, eſt quoddam bonum apparens.

Objiciunt 5. voluntas eſt libera circa bonum & malum: ergo utrumque appetere poteſt.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo utrumque appetere poteſt diverſo modo, ita ut bonum ratione ſui appetere poſſit, & malum ratione boni, prout nempè interdum apparet bonum, concedo: ergo utrumque appetere poteſt, eodem modo & ratione ſui, nego; bonum ſiquidem eſt objectum formale adæquatum voluntatis, ideòque nequit voluntas aliquid appetere, niſi vel ſit verè bonum, vel bonum apparens; alioquin extra objectum ſuum formale adæquatum exiret; quod planè repugnat.

Inſtant: dum voluntas juſti abſtinet ab amore & proſecutione mali ut mali, juſtus meretur, ac ſubinde liberè abſtinet ab amore & proſecutione mali ut mali; quia ad merendum, opus eſt libertate: ergo poteſt non abſtinere ab amore & proſecutione mali ut mali, & conſequenter poteſt amare & proſequi malum ut malum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. dum voluntas juſti abſtinet ab amore & proſecutione mali ut mali moralis, habentis aliquam apparentis boni rationem, juſtus meretur, concedo: dum voluntas juſti abſtinet ab amore & proſecutione mali ut abſolutè mali, juſtus meretur, nego: unde ſimiliter concedo, voluntatem juſti libe-

liberè abstinere ab amore & prosecutione mali ut mali moralis, & apparentis boni, possequenon abstinere ab amore & prosecutione mali ut mali ita sumpti, & consequenter posse amare ac prosequi malum ut malum sic sumptum: at nego, voluntatem justi liberè abstinere ab amore & prosecutione mali ut absolutè mali, possequenon abstinere ab amore & prosecutione mali sic accepti, & nullo modo posse amare aut prosequi malum ut malum ita consideratum.

Urgent: quod Deus prohibet, fieri potest; quod etenim est impossibile, prohibitione non indiget: atqui Deus prohibet amorem & prosecutionem mali ut mali: ergo amor vel prosecutio mali ut mali fieri potest.

Respondeo concessa ma. distinguendo min. atqui Deus prohibet amorem & prosecutionem mali ut mali moralis, & apparentis boni, concedo: atqui Deus prohibet amorem & prosecutionem mali ut absolutè mali, nego min. quæ distinctio applicanda est consequenti.

Objiciunt 6. ex duobus bonis, quorum unum majus est, & aliud minus, potest voluntas eligere & prosequi minus bonum, relicto majori: ergo potest voluntas eligere & prosequi malum. Ant. est evidens. Conseq. verò ex eo constat, quòd minus bonum ut tale, est malum, quia privat majori bono.

Respondeo distinguendo ant. ex duobus bonis quorum unum majus est, & aliud minus, potest voluntas eligere & prosequi minus bonum, ut absolutè in se bonum est, relicto majori, concedo: potest voluntas eligere & prosequi minus bonum, ut est minus bonum, & privat majori bono, nego ant. & conseq.

Objiciunt 7. potest voluntas id appetere, in quo nulla apparet ratio boni: ergo voluntas etiam id appetere potest, quod non est bonum apparens. Prob. ant. voluntas in amentibus

cpè appetit impoſſibilia, ut patet experientia;
re verò impoſſibili, nulla poteſt apparere bo-
i ratio.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. dico,
mentes non appetere impoſſibilia, ut ſunt im-
oſſibilia; ſed potiùs prout ipſis apparent poſſi-
ilia, vel etiam conditionatè futura; in eo au-
:m, quod apparet poſſibile & conditionatè fu-
urum, quædam ratio boni apparere poteſt.

Objiciunt 8. ſicut id omne, quod ad objectum
ntellectus pertinet, eſt intelligibile; ita id om-
e, quod ad objectum appetitus attinet, eſt ap-
etibile: atqui malum attinet ad objectum ap-
etitus; objectum namque appetitus non tan-
ùm bonum, ſed etiam malum comprehendit:
rgo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſicut id omne,
uod ad objectum intellectus pertinet, eſt intel-
igibile; ita id omne, quod ad objectum appeti-
us attinet, eſt appetibile: eſt appetibile, id
ſt, ab appetitu quovis modo attingibile, con-
edo: eſt appetibile, id eſt, amabile, nego.
Sicut ergo *intelligibile* poteſt duobus modis uſur-
ari; uno modo pro eo, quod quocumque mo-
lo, & per quemcumque actum, etiam actum
liſſenſus, eſt ab intellectu attingibile; quò modo
alſum eſt intelligibile: alio modo pro eo, quod
rimariò & ratione ſui ab intellectu attingi po-
eſt, videlicet per actum aſſenſus; qua ratione ſo-
um verum eſt intelligibile, quoniam ſolum verũ
onſtituit objectum formale ac primarium adæ-
uatum intellectus: ſic pariter *appetibile* poteſt
uobus accipi modis; uno modo pro eo, quod
uovis modo, & per quemvis actum, etiam
igæ, eſt ab appetitu attingibile, quo modo
alum eſt appetibile: alio modo pro eo, quod
rimariò & ratione ſui poteſt ab appetitu attingi
er actum proſecutionis & amoris; qua ratione
lum bonum eſt appetibile, quia ſolum bonum
onſtituit objectum formale atque primarium

adæ-

adæquatum appetitus; malum verò est ejus objectum materiale duntaxat & secundarium.

Objiciunt 9. quidquid intellectus judicat appetibile, apperi potest: atqui intellectus Nominalium judicat, malum ut malum esse appetibile: ergo malum ut malum appeti potest.

Respondeo distinguendo ma. quidquid intellectus practicè judicat appetibile, appeti potest, concedo: quidquid intellectus speculativè & disputativè judicat appetibile, appeti potest, nego: intellectus autem Nominalium non judicat practicè malum ut malum esse appetibile, ita ut ipsi Nominales aliquando ex judicio vel dictamine practico intellectus malum ut malum appetant, ament, & prosequantur; sed intellectus eorum speculativè tantùm & disputativè (probabiliter scilicet disputando) judicat, malum ut malum esse appetibile.

Instant: potest Nominalis Philosophus hunc actum formare: *Volo malum ut malum ad meam libertatem exercendam*: ergo possunt Nominales velle malum ut malum.

Respondeo dato ant. negando conseq. exercere enim libertatem, est aliquod bonum, saltem apparens; ideòque dum Nominalis Philosophus hunc format actum: *Volo malum ut malum ad meam libertatem exercendam*: propriè non vult malum ut malum; ita ut ratio mali, sit ipsa formalis ratio volendi: quin potiùs clarum est, tunc formalem volendi rationem esse bonitatem, quæ in exercitio libertatis apparet; unde tunc Nominalis Philosophus vult malum sub formali ratione apparentis boni, sive, quod idem est, vult malum ut apparet bonum.

Ex dictis inferes, voluntatem non posse odio habere bonum ut bonum; nam illud tantùm potest odio haberi, quod ad odium sui potest voluntatem movere: atqui bonum ut bonum non potest ad odium sui voluntatem movere: ergo &c. Ma. evidens est. Prob. min.

illud

naturalis ſympathia, ut dum anima per intellectum, aut ſenſum, finis bonitatem apprehendit aut cognoſcit, atque appetitui proponit; ſtatim appetitus ad bonitatem illam amandam atque deſiderandam excitetur, invitetur, & alliciatur; ac proinde eam amare ac deſiderare poteſt: hoc ſuppoſito.

Prob. 1. concluſio: in fine, ratio formalis *ſub qua* finalizandi, id eſt, movendi, invitandi, & alliciendi appetitum, eſt id, quo finis eſt formaliter & proximè potens ad movendum, invitandum, & aliciendum appetitum ad ſui amorem, & ad ſui deſiderium: atqui id non eſt apprehenſio, ſed realis bonitas finis per intellectum vel ſenſum apprehenſa, & intellectuali vel ſenſitivo appetitui propoſita: ergo &c. Ma. manifeſta eſt. Prob. min. finis per id eſt formaliter & proximè potens ad movendum, invitandum, & alliciendum appetitum, per quod formaliter eſt appetitui conveniens; quandoquidem finis non movet, non invitat, non allicit appetitum, niſi quia ipſi conveniens & commodus eſt: atqui id, per quod finis formaliter eſt appetitui conveniens, non eſt apprehenſio, ſed realis bonitas finis, per intellectum, vel ſenſum, apprehenſa, & intellectuali vel ſenſitivo appetitui propoſita: ergo &c. Prob. min. primò ex eo, quòd bonitas finis, ut explicant omnes, eſt ipſa finis cum appetitu convenientia; finis igitur per bonitatem ſuam fit formaliter & proximè appetitui conveniens. Secundò, id per quod finis eſt appetitui formaliter & proximè conveniens, non debet competere ei, quod appetitui formaliter diſconvenit; apprehenſio autem intellectus, vel ſenſus, competit malo, quod appetitui formaliter diſconvenit; bonum namque ac malum proprièab intellectu, vel à ſenſu, apprehenduntur.

Prob. 2. in fine, ratio formalis *ſub qua* finalizandi, ſive movendi, invitandi, & alliciendi appetitum ad ſui amorem, & ad ſui deſiderium, eſt id,

ſub

sub quo, sive mediante quo, appetitus movetur, invitatur, & allicitur à fine ad sui amorem, & ad sui desiderium; ut constat: atqui id, quo mediante appetitus movetur, invitatur, & allicitur à fine ad sui amorem, & ad sui desiderium, non est apprehensio, sed realis bonitas finis per intellectum, vel sensum, apprehensa, & appetitui proposita: ergo &c. Prob. mi. id, quo mediante appetitus movetur, invitatur, & allicitur à fine ad sui amorem, & ad sui desiderium, est id, quod ratione sui amat appetitus, ac desiderat in fine; ut satis liquet: atqui id, quod ratione sui amat appetitus, ac desiderat in fine, non est apprehensio, sed realis bonitas finis: sic, v. g. id quod ratione sui desiderat ægrotus, aut ejus appetitus, in sanitate, non est apprehensio sanitatis aut bonitatis ejus, (hanc enim apprehensionem jam habet) sed est realis bonitas sanitatis, quam exoptat, & cujus obtinendæ gratia potiones sumit amaras: ergo &c.

Prob. 3. eo simili modo se habet esse *apprehensum* ad finem, quo se habet *esse existentiæ* ad efficientem causam; etenim sicut *esse existentiæ* necessarium est, & sufficit, ut causa efficiens agat; sic etiam esse *apprehensum* requiritur, & est satis, ut finalizet finis: ergo quemadmodùm esse existentiæ non est in causa efficiente ratio formalis sub qua agendi, sed mera ad agendum conditio; sic pariter *esse apprehensum*, seu apprehensio, non est in fine ratio formalis *sub qua* finalizandi, sed pura ad finalizandum conditio.

§. IV.

§. IV.

Satisfit Adverſariorum objectis.

OBjiciunt 1. poteſt à Deo ſuppleri pura ad cauſandum conditio, ita ut Deus ſua abſoluta potentia præſtare poſſit, quòd cauſa cauſet, ſecluſis omnibus conditionibus ad cauſandum requiſitis: atqui apprehenſionem finis Deus ſupplere non poteſt; præſtando nempè, ut finis non apprehenſus, ſeu non cognitus, finalizet, movendo, invitando, & alliciendo appetitum ad ſui amorem, & ad ſui deſiderium: ergo apprehenſio finis non eſt pura ad finalizandum conditio, ſed eſt ratio formalis *ſub qua* finalizandi.

Reſpondeo diſtinguendo ma. poteſt à Deo ſuppleri pura ad cauſandum conditio &c. ſi ſit conditio connaturalis duntaxat & extrinſeca, qualis eſt appropinquatio ignis ad lignum, concedo: ſit conditio intrinſeca & eſſentialis, quam ſcilicet cauſa ab intrinſeco & ex ſua eſſentia neceſſariò expoſcat, ut exiſtentia in cauſa efficiente, nego: apprehenſio autem ſeu cognitio finis, eſt quidem pura ad finalizandum conditio; at eſt conditio intrinſeca & eſſentialis, quam finis aut cauſa finalis ab intrinſeco & ex ſua eſſentia neceſſariò ad finalizandum exigit.

Objiciunt 2. non finalizat finis niſi *ut apprehenſus*: ergo apprehenſio finis eſt formalis ratio *ſub qua* finalizandi. Inſtant: ratio formalis finalizandi, id eſt, quo finis movet, invitat, & allicit appetitum ad ſui amorem, & ad ſui deſiderium: atqui finis media apprehenſione bonitati ſuæ movet, invitat, & allicit appetitum ad ſui amorem, & ad ſui deſiderium: ergo &c.

Reſpondeo ad objectionem, diſtinguendo ant. non finalizat finis, niſi *ut apprehenſus*: ſi illæ par-

particulæ, *nisi ut apprehensus*, designent necessitatem ad finalizandum conditionem, concedo : si significent rationem formalem finalizandi, nego ant. & conseq. Ad *instantiam*, distinguo ma. ratio formalis finalizandi est id, quo finis, *formaliter* movet, invitat, & allicit appetitum ad sui amorem, & ad sui desiderium, concedo : est id, quo *applicativè* duntaxat, finis movet, invitat, &c. nego : finis verò media apprehensione bonitatis suæ movet, invitat, & allicit appetitum, & ad sui amorem, & ad sui desiderium; non *formaliter*, ita ut apprehensio ista sit formalis ratio movendi, invitandi, & alliciendi appetitum; sed *applicativè* tantùm, quatenùs apprehensio bonitatis finis applicat & proponit appetitui ipsam bonitatem finis, quæ est in fine ipsa formalis ratio movendi, invitandi, & alliciendi appetitum ad sui amorem, & ad sui desiderium.

Objiciunt 3. interdum cognitio, est ipse finis amatus & desideratus; sicut patet in eo, qui studio vacat, ut scientificam rerum cognitionem consequatur : ergo saltem tunc cognitio est ipsa finalizandi ratio.

Respondeo concesso ant. concedendo pariter conseq. neque enim absolutè negavimus in conclusione, cognitionem, vel bonitatem cognitionis, posse esse formalem rationem finalizandi; sed negavimus tantùm, id ei convenire, quando est pura apprehensio ac propositio bonitatis finis, & pura ejus ad appetitum applicatio.

Objiciunt 4. ita se habet apprehensio ad finem, sicut lumen ad colorem : ergo quemadmodùm lumen est ratio formalis *sub qua* videtur color, sic etiam apprehensio est ratio formalis *sub qua* movet & finalizat finis. Instant : in objecto cujuslibet potentiæ alia est ratio formalis quæ, alia est ratio formalis *sub qua*; ut patet in obje-

objecto viſus : ergo in objecto appetitivæ potentiæ, quod eſt finis, alia eſt ratio formalis *quæ*, ſcilicet bonitas apprehenſa; alia eſt ratio formalis *ſub qua*, videlicet bonitatis apprehenſio.

Ad objectionem diſtinguo ant. quantùm ad aliquid, ita ſe habet apprehenſio ad finem, ſicut lumen ad colorem, concedo; revera namque ſicut lumen concurrit ad videndum colorem, ſic etiam apprehenſio concurrit ſuo modo ad amorem finis: quantùm ad omnia, ita ſe habet apprehenſio ad finem, ſicut lumen ad colorem, nego; color enim *de ſe* non eſt proximè viſibilis, ſed per lumen fit formaliter proximèque viſibilis; ideòque mirum non eſt, ſi lumen eſt ratio formalis *ſub qua* videtur color: finis autem *de ſe*, aut ratione ſui, ſeu ratione ſuæ bonitatis intrinſecæ, eſt formaliter & proximè amabilis; ideòque alio non eget, quo fiat formaliter & proximè amabilis; proindèque apprehenſio non eſt ratio formalis *ſub qua* finalizet finis, id eſt, *ſub qua* ad ſui amorem moveat; ſed eſt pura ad hoc conditio.

Ad inſtantiam, diſtinguo etiam ant. in objecto cujuslibet potentiæ alia eſt ratio formalis *quæ*, alia eſt ratio formalis *ſub qua*: quando ratio formalis *quæ*, *de ſe* non eſt proximè à potentia attingibilis, quo modo in objecto viſus color non eſt *de ſe* viſibilis proximè, concedo: quando ratio formalis *quæ*, *de ſe* eſt proximè à potentia attingibilis, quo modo in objecto appetitivæ potentiæ, id eſt, in fine, *ratio formalis quæ*, nimirum bonitas, eſt *de ſe* proximè amabilis, nego. Unde bonitas finis ſub acceptione diverſa, & eſt ratio formalis *quæ*, & ratio formalis *ſub qua*; eſt quidem ratio formalis *quæ*, quatenùs eſt ratio, quæ per ſe diligitur; eſt verò formalis ratio *ſub qua*, quatenùs eſt ratio, *ſub qua* amatur finis.

Objiciunt 5. interdum finalizat finis, quando habet *eſſe* duntaxat *intentionale* aut *apprehenſum*; ut

ut constat in sanitate ægrotum lethali morbo laborantem ad sui amorem & desiderium atque consecutionem movente : ergo saltem tunc formalis ratio finalizandi est solum *esse intentionale* vel *apprehensum*.

Respondeo distinguendo ant. interdum finalizat finis, quando reipsa habet *esse* duntaxat *intentionale* aut *apprehensum*, concedo : interdum finalizat finis, quando apparenter habet *esse* duntaxat *intentionale* aut *apprehensum*, nego ; quantumvis etenim, v.g. sanitas respectu ægroti morbo lethali laborantis, habeat reipsa *esse intentionale* tantùm, vel *apprehensum* ; apparet tamen illi possibilis vel etiam futura secundùm *esse reale*, & sanitatem ita consideratam amat, desiderat, & enixè quærit.

Ex quo solvitur commune illud argumentum : voluntas amentium & puerorum sæpè desiderat impossibilia & figmenta : ergo cùm impossibilia & figmenta non habeant *esse reale*, sed solùm *esse intentionale* & *apprehensum*, secundùm hoc *esse* duntaxat finalizant. Distinguendum enim est ant. voluntas amentium & puerorum sæpè desiderat impossibilia & figmenta ; ut apparent possibilia vel futura secundùm *esse reale*, concedo : voluntas amentium & puerorum sæpè desiderat impossibilia & figmenta ; ut talia, & ut habent *esse* tantùm *intentionale* & *apprehensum*, nego ant. cum qua distinctione negandà est conseq.

Objiciunt 6. finis secundùm *esse reale* consideratus, non est causa, sed tantùm effectus à causa efficiente productus : ergo non causat seu non finalizat finis secundùm *esse reale*, sed solùm secundùm *esse intentionale & apprehensum*.

Respondeo distinguendo ant. finis secundùm *esse reale existentiæ* consideratus, (id est, realiter existens) non est causa, sed tantùm effectus à causa efficiente productus, esto : finis secundùm *esse reale possibilitatis & futuri-*

turitionis conſideratus ; (id eſt, ut poſſibilis & futurus ſecundùm *eſſe reale*) non eſt cauſa, ſed tantùm effectus à cauſa efficiente productus, nego; finis namque ſecundùm *eſſe reale poſſibilitatis & futuritionis*, ſive prout eſt poſſibilis & futurus ſecundùm *eſſe reale*, præcedit actionem productivam cauſæ efficientis, & finalizando, ſeu cauſando finaliter, cauſam efficientem ad productionem effectus movet, invitat, & allicit. Et cum eadem diſtinctione reſpondendum eſt conſequenti.

Objiciunt 7. ex communi Philoſophorum doctrina; Potentiæ & earum actus ſpecificantur à rationibus formalibus *ſub quibus*, objectorum, & juxta diſtinctionem earum ſpecificè diſtinguuntur : atqui potentiæ appetitivæ, & illarum actus, ſpecificè diſtinguuntur, juxta diſtinctionem apprehenſionum : ergo &c. Prob. mi.

Primò ex D. Thoma 1. p. q. 80. a. 2. ad 1. ubi hæc ſcribit : *Appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum vel intellectum, ſed per ſe ei convenit : nam appetibile non movet appetitum, niſi quantùm eſt apprehenſum : unde differentiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis ; unde potentiæ appetitivæ diſtinguuntur ſecundùm differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundùm propria objecta.*

Prob. 2. variis exemplis : voluntas & appetitus ſenſitivus ſunt potentiæ appetitivæ ſpecificè diſtinctæ, ut evidens eſt ; ſpecificè verò non diſtinguuntur, niſi propter apprehenſionum diſtinctionem, ita ut poſſint ſub diſtinctis apprehenſionibus circa idem bonum occupari : voluntas quidem ſub apprehenſione intellectuali, appetitus autem ſenſitivus ſub apprehenſione ſenſitiva.

Præterea, amor, deſiderium, & gaudium, ſunt actus ſpecificè diſtincti, ut perſpicuum eſt; ſpecificè verò non diſtinguuntur, niſi ex apprehenſionum diſtinctione, adeò ut poſſit idem bonum

tum absolutè apprehensum *ut bonum*, specificare amorem; apprehensum *ut absens & acquisitus possibile*, specificare desiderium; apprehensum tandem *ut præsens, & possessum*, specificare gaudium.

Respondeo concessa ma. negando mi. ad cujus primam prob. ex D Thoma desumptam, dico S. Doctorem non asserere loco citato, potentias appetitivas distingui secundùm differentiam apprehensionum, sed secundùm differentiam apprehensorum, id est, secundùm differentiam bonitatum apprehensarum. Hinc q. 25. de verit. a. 1. ad 6. sic fatetur: *Diversitas apprehensionum per accidens se haberet ad appetitivas vires distinguendas, nisi diversitas apprehensionis diversitati apprehensorum conjungeretur.*

Ad exempla allata, nego, quòd voluntas & appetitus sensitivus specificè non distinguantur, nisi propter apprehensionum distinctionem; nam ut docet D. Thomas q. citata de verit. voluntas ex eo specificè differt ab appetitu sensitivo, quòd voluntas versatur circa bonum in universali absolutè sumptum, ut abstractum ab hoc vel illo bono, tanquam circa proprium & adæquatum objectum suum; appetitus autem sensitivus occupatur adæquatè circa sensibile bonum. Verba D. Thomæ sunt hæc: *Sensus qui non est nisi particularium, non apprehendit bonitatem absolutam, sed hoc bonum;* (scilicet sensibile) *intellectus verò, qui est universalium, apprehendit bonitatem absolutam; ex quo diversificatur appetitus inferior* (id est, sensitivus) *à superiori* (id est, à voluntate)

Unde dum dicitur, voluntatem & appetitum sensitivum posse sub distinctis apprehensionibus circa idem bonum occupari; distinguendum est, & dicendum, quòd illud bonum erit idem materiale aut *in esse entis*, non tamen formaliter aut *in ratione objecti*; imo verò attingetur à voluntate, & ab appetitu sensitivo, sub diversa ratione formali boni; attingetur namque à voluntate sub ratione

tione boni abſolutè, ab appetitu autem ſenſitivo ſub ratione ſenſibilis boni.

Ad exempla verò amoris, deſiderii, & gaudii, nego etiam, quòd ſpecificè non diſtinguantur, niſi ob diſtinctionem apprehenſionum; ſumitur quippe ſpecifica eorum diſtinctio, non à diverſis apprehenſionibus (niſi fortè ſicut à puris conditionibus) ſed à bonitate diverſo modo ſe habente; ita ut bonitas abſolutè *ut bonitas eſt*, ſpecificet amorem; *ut abſens & acquiſitu poſſibilis*, ſpecificet deſiderium; *& ut præſens ac poſſeſſa*, ſpecificet gaudium: unde eſt quidem materialiter aut entitativè eadem bonitas, eſt tamen diverſa formaliter & in ratione objecti, ob diverſum ſe habendi modum objectivum.

Articulus Tertius.

Quæ ſit cauſalitas finis?

§. I.

Sententiæ referuntur, vera eligitur, explanatur, & probatur.

De fine in actu primo egimus; nunc de ejus actu ſecundo, ſeu de cauſalitate ipſius diſſerendum eſt. Et quidem concedunt omnes, cauſalitatem finis eſſe metaphoricam motionem; at in quo conſiſtat motio iſta metaphorica, controverſia eſt.

Prima ſententia docet, cauſalitatem finis non eſſe aliquid à fine diſtinctum, ſed eſſe finem ipſum, prout eſt per ſenſum vel intellectum apprehenſus, atque appetitui propoſitus; & prout ſic apprehenſus atque propoſitus, movet per bonitatem ſuam, invitat, & allicit appetitum ad ſui amorem. Ita Ægidius, Conimbricenſes, Pontius, & ex Thomiſtis Coſmas de Lerma.

Secunda ſententia aſſerit, cauſalitatem finis con-

consistere in quadam entitate vel virtute intentionali ac fluente, impressa appetitui à fine, per modum ponderis aut inclinationis in finem, vel in amorem finis. Ita docuere quidam antiqui Philosophi. Tertia tandem sententia, quæ est nostra, infrà patebit.

Dico 1. causalitas finis non est *solus* finis prout est per sensum vel intellectum apprehensus atque appetitui propositus, & prout sic apprehensus atque propositus movet objectivè per bonitatem suam, invitat, & allicit appetitum ad sui amorem; sed est aliquid à fine sic se habente distinctum.

Prob. causalitas causæ necessariam habet connexionem cum effectu, ad quem tendit: atqui finis apprehensus, & appetitui propositus objectivè, per bonitatem suam movens, invitans, & alliciens appetitum ad sui amorem, necessariam non habet connexionem cum effectu, ad quem tendit; id est, cum sui amore, ad quem moret, invitat, & allicit appetitum: ergo &c. Min. patet: si enim finis apprehensus & appetitui propositus objectivè, per bonitatem suam movens, invitans, & alliciens appetitum ad sui amorem, necessariam haberet cum sui amore connexionem; eo ipso, quòd finis apprehensus & appetitui propositus objectivè, per bonitatem suam moveret, invitaret, & alliceret appetitum ad sui amorem, iste amor necessariò poneretur; quod tamen apertè falsum est: quantumvis etenim finis apprehensus & appetitui intellectuali propositus, ipsum per bonitatem suam objectivè moveat, invitet & alliciat ad amorem sui; liberè nihilominùs ponitur iste amor, adeò ut suspendere ipsum possit intellectualis appetitus seu voluntas, si velit; ut constat: imò, ut experientia probat, voluntas sæpè amorem illum suspendit; juxta illud Ovidii: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Peccatores quoque sæpè à bonitate Dei apprehensa & voluntati ipsorum

propoſita objectivè moventur, & alliciuntur ad amorem Dei per charitatem; & tamen frequenter actum charitatis non ponunt, ſed ſuſpendunt.

Prob. verò maj. cauſalitas cauſæ cum eo neceſſariam habet connexionem, cum quo eſſentialiter connectitur; eſſentialis quippe connexio neceſſaria eſt; quia quod eſſentialiter convenit rei, neceſſariò ei competit: atqui cauſalitas cauſæ eſſentialiter connectitur cum effectu, ad quem tendit: ergo &c. Prob. min. cauſalitas cauſæ eſſentialiter conſiderata nihil eſt aliud, quàm id, quo cauſa actu cauſat effectum; ſive ut dicam clariùs, nihil aliud eſt, quàm actualis cauſatio effectus: atqui actualis cauſatio effectus eſſentialiter cum effectu connectitur; actualis namque cauſatio effectus exprimit ex ſuo eſſentiali conceptu connexionem cum effectu; ut ex ipſis terminis patet: ergo &c.

Reſpondent aliqui ex Adverſariis, finem apprehenſum, & appetitui propoſitum, per bonitatem ſuam objectivè moventem, invitantem, & allicientem appetitum ad ſui amorem, non connecti quidem ſemper cum amore efficaci & perfecto; benè tamen cum amore inefficaci & imperfecto.

Sed contra ſic inſtatur: eſto finis apprehenſus & appetitui intellectuali propoſitus, per bonitatem ſuam objectivè movens, invitans, & alliciens ad ſui amorem, connectatur ſemper cum ſui amore inefficaci ſaltem & imperfecto; cum illo tamen non connectitur neceſſariò, ſed planè liberè; ita ut intellectualis appetitus poſſit, ſi velit, amorem etiam inefficacem & imperfectum ſuſpendere, atque odium ponere.

Reſpondent alii, cauſalitatem finis non conſiſtere præcisè in fine apprehenſo & appetitui propoſito, per bonitatē ſuam objectivè moventem, invitante, & alliciētem appetitum ad ſui amorē; ſed dicunt, finis cauſalitatem inſuper addere actualem amoris à fine dependentiam; ita ut tunc ſolùm

lùm intelligatur finis causalitas, quando finis connotat amorem actu positum, actuque à fine dependentem.

Sed contra sic urgetur: si finis causalitas sit ipse finis apprehensus & appetitui propositus, per bonitatem suam objectivè movens, invitans, & allicions appetitum ad sui amorem, prout connotat hunc amorem actu positum, actuque ab ipso fine dependentem, debet illum amorem eo modo connotare, quo causalitas connotat effectum, quem ponit; ut patet: proindèque debet amorem illum necessariò connotare, quia causalitas necessariò effectum suum connotat, necessariòque cum ipso connectitur; ut jam ostensum est: atqui finis apprehensus & appetitui propositus, per bonitatem suam objectivè movens, invitans & allicions appetitum ad sui amorem, necessariò hunc amorem non connotat, necessariòque cum illo non connectitur; ut ex dictis constat: ergo &c.

Dico 2. causalitas finis non consistit in entitate vel in virtute intentionali ac fluente impressa appetitui aut voluntati à fine, per modum ponderis vel inclinationis in finem, vel in amorem finis.

Prob. 1. ex eo quòd non apparet, quonam modo finis entitatem aut virtutem illam imprimat voluntati; vel enim eam imprimit, ut est voluntatis objectum, vel ut est causa finalis? non primo modo; ex communi namque Philosophorum doctrina, hoc inter voluntatem & intellectum discrimen est, quòd ut intellectus circa objectum aliquod occupetur, priùs est necesse, ut objectum in intellectu ponatur, mediante entitate aut virtute vel specie intentionali ab objecto ipsi impressa; voluntas verò immediatè fertur in objectum, ut est in se: ergo objectum voluntatis ipsi non imprimit entitatem aut virtutem aliquam intentionalem; alioquin voluntas immediatè in objectum non

voluntatem per ipſum amoris actum, qui cùm ſit forma voluntatis, in eaque exiſtens, & aliunde ſit motio quædam (ſicut oſtendimus ſuprà) aptus omninò eſt, ut per ipſum voluntas à fine formaliter moveatur.

§. II.

Præcipuæ objectiones ſolvuntur.

OBjicies 1. contra 1. concluſionem: cauſalitas finis eſt id, quo actu cauſat, ſive actu finalizat: atqui finis apprehenſus, & voluntati propoſitus, per bonitatem ſuam actu finalizat: ergo &c. Prob. min. tunc finis actu finalizat, quando actu movet voluntatem ad ſui amorem: atqui finis apprehenſus, & voluntati propoſitus, per bonitatem ſuam actu movet voluntatem ad ſui amorem; ut experientia quotidiana conſtat: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. diſtinguo maj. tunc finis actu finalizat, quando actu movet *formaliter* voluntatem ad ſui amorem, concedo; quando movet *objectivè* dumtaxat voluntatem ad ſui amorem, nego: finis verò apprehenſus & voluntati propoſitus, per bonitatem ſuam actu quidem movet *objectivè* voluntatem ad ſui amorem, at *formaliter* illam non movet; unde licèt finis apprehenſus, & voluntati propoſitus, non egeat entitate vel virtute intentionali à ſe diſtincta, quam imprimat voluntati, quæque vices ejus in voluntate gerat, & per quam *objectivè* moveat voluntatem ad amorem ſui, ut quidam putant, quos in 2. *concln.* impugnavimus: indiget tamen ipſo voluntatis actu, nempè actu amoris, ut eo mediante formaliter moveat voluntatem.

Inſtabis: illud eſt cauſalitas finis, quod mediat finem inter & ejus effectum: atqui motio objectiva voluntatis, quam exercet finis apprehen-

hensus, & voluntati propositus, mediat finem inter & ejus effectum, scilicet amorem, ad quem invitat voluntatem: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. illud est causalitas finis, quod per realem distinctionem à fine, mediat finem inter & ejus effectum, concedo: quod per solam distinctionem virtualem, aut quasi virtualem, à fine, mediat finem inter & ejus effectum, nego: etsi enim in causis intrinsecis (materiali nimirum & formali) causalitas realiter cum causa identificatur (ut alibi dictum est) attamen in causis extrinsecis (efficiente videlicet ac finali) debet causalitas realiter à causa distingui. Tametsi autem objectiva motio voluntatis, quam exercet finis apprehensus, & voluntati propositus, mediet finem inter & ejus effectum; ad summum tamen virtualiter aut quasi virtualiter à fine distinguitur, & realiter cum ipso identificatur; est quippe realiter ipsemet finis apprehensus, & voluntati propositus, prout per modum objecti movet, ratione bonitatis suæ, voluntatem ad sui amorem.

Urgebis: motio objectiva voluntatis, quam exercet finis apprehensus, & voluntati propositus, pertinet ad finalem causam; ut patet: rursus non attinet ad actum ejus primum; supponit quippe finem in actu primo per bonitatem constitutum: præterea non est effectus finalis causæ; imò enim omnes finis effectus antecedit: ergo superest, ut sit causæ finalis causalitas.

Respondeo, motionem objectivam voluntatis, quam exercet finis apprehensus, & voluntati propositus, pertinere, per identitatem realem, ad ejus actum primum, seu ad bonitatem illius apprehensam & voluntati propositam; quia cum ea realiter identificatur, licèt virtualiter, aut quasi virtualiter, ab illa distinguatur. Vel etiam dici potest, motionem illam pertinere ad causa-

ſalitatem finis: non quidem in recto (quaſi ſit ipſa finis cauſalitas) ſed in obliquo & de connotato; quatenùs actio voluntatis non eſt cauſalitas finis, niſi prout connotat illam motionem.

Objicies 2. contra 2. concluſionem: finis eſt cauſa realis, ut docuimus ſuprà: ergo realiter imprimit voluntati entitatem vel virtutem intentionalem ac fluentem per modum ponderis & inclinationis; ſi enim finis nihil reale imprimit voluntati, quonam modo eſt cauſa realis?

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. finis namque dicitur cauſa realis, non quia realiter efficienter imprimat voluntati entitatem vel virtutem intentionalem ac fluentem, per modum ponderis & inclinationis (ſic etenim eſſet cauſa efficiens) ſed quia realiter movet appetitum ad ſui amorem; realiter quidem *objectivè* per bonitatem ſuam appetitui objectivè propoſitam; realiter verò *formaliter* per actionem ipſius appetitus.

Inſtabis 1. cauſa realis debet aliquid realiter cauſare in ſubjecto, in quod influit: ergo, ſi finis eſt cauſa realis, debet aliquid (nempè aliquam entitatem aut virtutem intentionalem) realiter cauſare in voluntate, in quam influit.

Reſpondeo concedendo, quòd quia finis eſt cauſa realis, debet realiter aliquid in voluntate cauſare; realiter quippe cauſat amorem in voluntate; non quidem efficienter, ſicut cauſaret entitatem vel virtutem intentionalem, ſi eam voluntati imprimeret; ſed finaliter, realiter voluntatem ad ſui amorem alliciendo.

Inſtabis 2. ſi finis ſuo influxu nihil reale imprimit voluntati: ergo voluntas ita ſe habet ac antèà; ideòque ſicut ante hunc influxum voluntas non erat excitata ad amorem finis, ſic etiam excitata non eſt iſtum poſt influxum.

Reſpondeo, quòd licèt finis ſuo influxu nihil reale imprimat voluntati per modum entitatis vel virtutis intentionalis; quia tamen voluntas eſt habi-

habitualis in finem inclinatio, habetque cum illo naturalem sympathiam; hoc ipso præcisè, quòd finis est apprehensus, & voluntati propositus, sufficienter ad ejus amorem excitatur.

Instabis 3. ex Aristotele lib. 3. de anima cap. 10. text. 54. & lib. 12. Metaph. cap. 7. text. 35. nec non ex D. Thoma 1. contra gent. cap. 44. & 1. part. quæst. 80. art. 2. appetitus est potentia passiva, quæ à fine apprehenso atque proposito debet pati: ergo debet appetitus aliquam entitatem vel virtutem intentionalem à fine apprehenso ac proposito recipere; pati enim ab aliquo, est aliquid ab eo recipere.

Respondeo distinguendo; concedo namque appetitum esse potentiam metaphoricè passivam, quia metaphoricè seu affectivè debet à fine apprehenso atque proposito moveri & pati: at nego, appetitum esse potentiam propriè passivam, ita ut pat motionem aut actionem propriè dictam debeat à fine apprehenso & ipsi proposito entitatem vel virtutem aliquam intentionalem accipere.

Objicies 3. contra 3. concluſ. causalitas causæ efficientis non est causalitas causæ finalis: atqui actio voluntatis est causalitas causæ efficientis, nempe voluntatis: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. causalitas causæ efficientis, sub ista formalitate, non est causalitas causæ finalis, concedo: sub alia formalitate, nego. Actio igitur voluntatis duobus modis accipi potest; uno modo, prout est actus secundus ipsius voluntatis, prout scilicet est id, quo voluntas est agens in actu secundo; & sub hac formalitate sumpta voluntatis actio, est causalitas solius causæ efficientis: alio modo sumi potest voluntatis actio, videlicet prout est formalis motio finis, qua nimirum finis est formaliter movens, & voluntas formaliter in finem mota; & sub ista formalitate spectata actio voluntatis, est causalitas causæ finalis.

Instabis 1. causalitas causæ efficientis, & causalitas causæ finalis, realiter distingui debent: ergo eadem actio voluntatis sub formalitatibus virtualiter distinctis nequit esse causalitas causæ efficientis, & causalitas causæ finalis. Prob. ant. causalitates causarum realiter distinctarum, realiter distingui debent: atqui causa efficiens, & causa finalis, sunt causæ realiter distinctæ; ut patet: ergo &c.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. distinguo maj. causalitates causarum realiter distinctarum, realiter distingui debent: si una non causet movendo alteram per causalitatem ejus, concedo: si revera una causet movendo alteram per causalitatem ejus, nego maj. causa finalis autem causando, sive causalitatem suam exercendo, formaliter movet efficientem causam (ut ex dictis constat) nequit verò causa efficiens (qualis est voluntas) formaliter moveri, nisi per propriam actionem (ut probatum est suprà) proindèque nisi per propriam causalitatem; causalitas igitur causæ finalis, qua formaliter movet efficientem causam, est ipsa causæ efficientis causalitas: & ita causæ finalis & causæ efficientis causalitas realiter eadem est, quamvis causæ illæ realiter sint distinctæ.

Instabis 2. causalitas causæ efficientis realiter à causalitate causæ finalis pendet: ergo causalitas causæ efficientis realiter à causalitate causæ finalis distinguitur; nequit enim unum realiter ab alio dependere, nisi realiter ab illo distinguatur. Ant. ex eo suadetur, quòd nisi causalitas causæ efficientis realiter à causalitate causæ finalis penderet, causa efficiens realiter à causa finali non dependeret.

Respondeo negando ant. ad servandam quippe realem causæ efficientis à causa finali dependentiam, satis est, ut causa finalis realiter in causam efficientem influat, ipsam movendo, in-

invitando, & alliciendo; quod utique præstare potest, quia realiter ab illa distinguitur: licèt causalitas causæ finalis realiter à causalitate causæ efficientis minimè distinguatur.

Instabis 3. causæ finalis causalitas est prior causalitate efficientis causæ; ut communiter docent Philosophi: ergo realiter ab ea distinguitur; prioritas namque non nisi inter extrema realiter distincta reperiri potest.

Respondeo distinguendo ant. causæ finalis causalitas est prioritate virtuali naturæ prior causalitate efficientis causæ, quatenus in eadem actione voluntatis formalitas causalitatis causæ finalis est prioritate naturæ prior formalitate causalitatis causæ efficientis, à qua virtualiter distinguitur, concedo: causæ finalis causalitas est prioritate reali prior causalitate efficientis causæ, nego ant. & conseq. prioritas enim virtualis potest inter extrema virtualiter solùm distincta inveniri.

Dices cum adversariis: finis suam exercet causalitatem ante omnem voluntatis actionem: ergo nulla actio voluntatis est causalitas finis. Conseq. liquet. Prob. ant. finis sua causalitate movet voluntatem ad agendum seu ad volendum: ergo finis suam exercet causalitatem ante omnem voluntatis actionem.

Respondeo distinguendo ant. finis suam exercet causalitatem ante omnem voluntatis actionem; ut est à voluntate mota à fine, concedo: actio etenim voluntatis ita considerata est effectus finis, quem utique antecedit causalitas finis: finis suam exercet causalitatem ante omnem voluntatis actionem; ut est à fine movente, nego ant. sic namque sumpta actio voluntatis est ipsa causalitas finis. Et distinguo pariter consequens: ergo nulla actio voluntatis, ut est à voluntate mota à fine, est causalitas finis, concedo: ergo nulla actio voluntatis, ut est à fine movente, & est ipsa formalis motio finis,

finis, eſt cauſalitas finis, nego. Ad prob. ant. diſtinguo ant. finis ſua cauſalitate movet voluntatem ad agendum, ſeu ad volendum actione ſeu volitione, ut eſt à voluntate mota à fine, & propter finem operante, concedo: finis ſua cauſalitate movet voluntatem ad agendum ſeu ad volendum, actione ſeu volitione, ut eſt à fine movente, nego; nam voluntas per actionem ſive volitionem ſuam ſic acceptam non agit aut vult, ſed tantùm ad agendum vel volendum formaliter à fine movetur.

Actio igitur voluntatis ſeu volitio, ſub duplici formalitate eſt accipienda; nempè ut eſt à fine movente, eſtque formalis motio finis; & ut eſt à voluntate mota à fine, & propter finem operante. Volitio ſub prima formalitate ſumpta, eſt virtualiter prior ſe ipſa ſub ſecunda formalitate ſpectata; finiſque per illam ſub prima formalitate acceptam movet formaliter voluntatem ad agendum ſeu ad volendum, actione ſive volitione ſub ſecunda formalitate ſumpta.

Urgebis: dum voluntas elicit volitionem, jam ſupponitur mota à fine: ergo voluntas per volitionem non movetur à fine.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo voluntas per volitionem, ut eſt à voluntate eliciente, non movetur à fine, concedo: ergo voluntas per volitionem, ut eſt à fine movente, & eſt ipſa formalis motio finis, non movetur à fine, nego.

Objicies 4. effectus finis, non eſt cauſalitas finis: atqui actio voluntatis, eſt effectus finis, cùm ſit propter finem: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui actio voluntatis, ut eſt à voluntate eliciente, eſt effectus finis, concedo: atqui actio voluntatis, ut eſt à fine movente, & formalis motio finis, eſt effectus finis, nego. Et eadem diſtinctio applicanda eſt conſequenti.

Inſtabis: actio voluntatis, etiam ut eſt à

fine

fine movente, est effectus finis : ergo non est ejus causalitas. Prob. ant. actio voluntatis, etiam ut est à fine movente, elicitur à voluntate; neque enim actio voluntatis concipi potest, nisi ut elicita à voluntate, [illegible] atqui actio voluntatis, ut elicitur à voluntate, est effectus finis : ergo &c.

Respondeo negando ant. ad [illegible] distinguo maj. actio voluntatis, etiam ut est à fine movente, implicitè elicitur à voluntate, concedo; neque etenim actio voluntatis concipi potest, nisi ut elicita à voluntate [illegible] implicitè saltem intelligatur : actio voluntatis, etiam ut est à fine movente, [illegible] elicitur à voluntate; ita ut cum concipitur actio voluntatis, prout est à fine movente, [illegible] intelligatur & consideretur, prout est à voluntate eliciente, nego : actio vero voluntatis non consideratur ut effectus finis, nisi cum [illegible] [illegible], ut est à voluntate [illegible] [illegible] finem operante.

Objicies 5. actio voluntatis est extrinseca fini : ergo non est ejus causalitas.

Respondeo concesso ant. negando consequentiam; [illegible] enim debeat causalitas causæ intrinseca esse ipsi [illegible] [illegible] tamen [illegible] est, ut causalitas causæ extrinsecæ [illegible] [illegible], [illegible] inesse debeat, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] est finis, ut [illegible] ipsi [illegible] [illegible] quam simile ejus exercitium [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] causans est; finis autem est extrinsecus causa.

Dices cum adversariis causalitas finis [illegible] est metaphorica motio; ut ex dictis patet : atqui actio voluntatis non est metaphorica motio, sed potius est motio, sive actio, proprie [illegible] ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo [illegible] [illegible] qui actio voluntatis, ut est à voluntate [illegible] est metaphorica motio; sed potius [illegible] [illegible]

actio propriè nuncupata, concedo: atqui actio voluntatis, ut eſt à fine movente, alliciente, & invitante, non eſt metaphorica motio, nego: actio ſiquidem voluntatis ita ſpectata, eſt motio duntaxat per modum inclinationis in bonitatem finis; inclinatio verò in bonum, eſt tantùm metaphorica motio; ut conſtat ex dictis.

Articulus Quartus.

Quænam agant propter finem.

§. I.

Quædam prænotantur.

NOtandum eſt 1. tria eſſe agentium genera. Quædam enim ſunt, quæ omni cognitione carent; ut cœli, elementa, plantæ, lapides, &c. Alia ſunt, quibus cognitio tantùm ſenſitiva competit; ut bruta. Alia tandem ſunt intellectuali cognitione prædita; ut Angeli atque homines. Et de omnibus iſtis agentibus quæritur, utrum & quomodo propter finem operentur?

Notandum eſt 2. tribus modis contingere poſſe, ut agens operetur propter finem. Interdum etenim agens operatur propter finem paſſivè ſoltùm & executivè, quando nempe omninò paſſivè ab alio in finem movetur atque dirigitur, ita ut ad actionem, qua in finem tendit, nullo planè modo ſe ipſum moveat aut dirigat, ſed duntaxat in ea alterius motum vel ductum ſequatur & exequatur: & tunc agens dicitur operari propter finem, *ut ab alio motum*, aut directum; quo modo operantur propter finem primi generis agentia, ut ſtatim dicetur.

Nonnunquam agens operatur propter finem materialiter & apprehenſivè, quando nimirum

agit

agit propter finem, quem materialiter apprehendit; tunc verò agens dicitur materialiter finem apprehendere, cùm apprehendit aut cognoscit quidem bonum, quod est finis; non cognoscit tamen ipsum formaliter prout est finis, eo quòd minimè cognoscat proportionem finis cum his vel illis mediis præ aliis, nec utilitatem istorum mediorum ad hunc finem præ alio obtinendum; in illa quippe proportione finis cum mediis consistit formalis ratio finis, sicut & formalis ratio mediorum in utilitate & aptitudine ipsorum ad finem obtinendum posita est: hoc modo agunt propter finem agentia secundi generis, ut infrà declarabitur.

Denique aliquando agens operatur propter finem formaliter & directivè, dum nempè agit propter finem, quem cognoscit formaliter prout finis est; adeò ut percipiat finem habere proportionem cùm his vel illis mediis præ aliis, & ista media esse eligenda ut utilia & apta præ omnibus aliis ad finem consequendum.

Et tunc agens dicitur operari propter finem, se movens ac dirigens se ipsum in finem; quia reipsa tunc in intentione finis, in electione mediorum, & in consecutione finis, se ipsum per cognitionem intellectus atque judicium movet ac dirigit. Isto modo operantur propter finem agentia tertii generis, sive agentia intellectualia, Angeli scilicet atque homines; ut evidens est. Unde tota remanet difficultas de agentibus primi & secundi generis; an, & quonam ex his, quos attulimus, modis, operentur propter finem?

§. II.

§. II.

Agentia purè naturalia, id eſt, omni cognitione deſtituta, non agunt temerè, ſed propter finem, ex motione & directione Dei ut generalis proviſoris.

HAnc veritatem negarunt olim Democritus, Leucippus, & Epicurus, aſſerentes, omnia in natura agi & agere temerariis ac fortuitis quibuſdam concurſibus. Illam tamen docuere celebriores Philoſophi, Ariſtoteles, Plato, Socrates, Pythagoras, &c. Eandem quoque veritatem demonſtrat ratio.

Primò namque, quod caſu fit ac temerè, raro accidit; nec eodem modo, ſed variis efficiendi modis conſuevit; ut experientia conſtat: opera autem naturæ, ſive agentium puriè naturalium omni cognitione carentium, ſemper, vel ſaltem plerumque, eodem modo fiunt: ſic v. g. ſemper eodem modo rotantur Cœli; ſemper ignis ſurſum tendit, & lapis deorſum, &c. in tanta autem rerum varietate non poſſet eſſe adeò ſtabilis & diuturna in agendo firmitas, niſi in aliquod commune bonum, communemque finem, univerſa agentia naturalia conſpirarent.

Deinde: propter finem operari, eſt ſua actione in finem tendere: atqui agentia naturalia ſuis actionibus in fines determinatos tendunt: ſic dum Cœli in corpora inferiora influunt, in determinatos fines tendunt, nempè in determinatos effectus cum ipſis producendos: ſic dum ignis ſurſum aſcendit, & deſcendit lapis, determinatum in finem tendunt, ſcilicet in centrum: ergo &c.

Denique, hæc mundi univerſitas non modò ſe ſe à Deo conditam, ſed etiam ad aliquem finem ſeſe deſtinatam eſſe, clamat: etenim planè foret indignum tanti artificis ſapientia, tam præclarum opus,

cus, etsi concinnè, frustrà tamen elaborasse; elaboraret autem frustrà, si nullum ei finem constituisset; frustrà enim censetur id factum, quod nullius finis gratia effectum est.

Quòd verò agentia purè naturalia se in fines suos non dirigant, ex eo constat, quòd omni prorsus cognitione careant: superest ergo, ut à Deo generali provisore (qui fines omnium comprehendit & præstituit) mediis inclinationibus naturalibus dirigantur. Non agunt igitur agentia naturalia propter finem, *ut se moventia*, & dirigentia in finem: quoniam hic propter finem agendi modus, finis cognitionem supponit, quæ agentibus purè naturalibus non competit; sed agunt propter finem duntaxat ut à supremo provisore *mota* & directa in finem; ad quod sufficit, ut ipse supremus provisor cognoscat finem, ad quem agentia naturalia movet ac dirigit.

Neque ipsa agentia purè naturalia finem appetunt appetitu elicito, quia iste appetitus in solis agentibus cognitione præditis, & finem cognoscentibus, reperitur; sed finem appetunt appetitu innato, qui est inclinatio naturalis sive impressa in finem ab authore naturæ cognitum. Quò spectat tritum illud dictum (quod habet Arist. 2. Physic. cap. 8. & 9. quo etiam utuntur Themistius 1. de anima comm. 23. & Averroes 12. Metaph. comm. 18.) *opus naturæ, est opus intelligentiæ*. Quia nimirum dum natura, sive agens naturale, suum efficit opus, & in determinatum finem tendit, à suprema movetur ac dirigitur intelligentia; quod explicat D. Thomas 1. p. q. 103. a. 1. ad 1. & 3. exemplo sagittæ, quæ in certum tendit scopum, nec tamen se in illum dirigit, cùm sit sui motus ignara; sed à jaculante dirigitur. Ex hac doctrina solves facilè plures objectiones.

Ex dictis refellitur satis sententia Cartesii asserentis, omnes agentium naturalium effectus cæcamotus necessitate coatingere; negantisque hu-

jus-

Dices 2. ſæpè etiam elicimus motus hominis proprios ſine rationis cognitione, ut cùm loquimur, cùm citharam pulſamus, &c. ad hæc etenim & ſimilia ſæpè non attendit ratio: ergo à fortiori poſſunt bruta abſque cognitione ulla ſuos elicere motus.

Reſpondeo, nos poſſe duobus modis hos motus elicere, ſcilicet modo humano, vel modo non humano: ſi modo humano illos eliciamus motus, neceſsè eſt, ut cum aliqua rationis cognitione & advertentia eos motus exerceamus; neque enim more agimus humano, niſi ratione utamur: ſi autem modo non humano in eoſdem exeamus motus, eſt neceſsè, ut adſit ſaltem aliqua phantaſiæ ſive imaginationis, vel etiam æſtimativæ ſeu cogitativæ potentiæ cognitio, qua hujuſmodi motus ut bonos & delectabiles apprehendamus; quamvis hanc cognitionem, quia rationis uſum prævenit, non advertamus. Sed de his plura dicentur in lib. de anima.

§. IV.

Bruta omni prorſus ratione carent.

PRæter ſententiam Carteſii §. *præcedenti* impugnatam, tres ſunt Philoſophorum opiniones circa modum, quo bruta propter finem operantur. Prima opinio eſt Porphyrii lib. 3. de abſtinentia, docentis, naturam omnibus brutis, quibus memoriam tribuit, etiam rationem ac ſermonem dediſſe; additque, Appollonium Tyanæum, Melampum, Tireſiam, & Thaletem, brutorum ſermones intellexiſſe; quos *nihil mirum* ſi non intelligamus ipſi, qui plurimarum nationum linguam minimè callemus. Narratque Porphyrius, Apollonium Tyanæum percepiſſe ſermonem cujuſdam hirundinis aliis nunciantis, aſinum quemdam tritico onuſtum prope urbem cecidiſſe. Brutis quoque rationem dedere Ana-

xagoras, (teste Plutarcho lib. 5. de placit. cap. 20.) Plutarchus ipse in dialogo, qui inscribitur: *Quid brutis ratio insit*: Pythagoras apud Porphyrium lib. *quòd animæ sensuales sint rationales, & immortales*; & Quintilianus lib. 2. institut. orat. cap. 16. & alii plures ex antiquis.

Fatentur tamen omnes illi peculiarem quamdam rationem brutis concessam, esse longè imperfectiorem ea, quæ hominibus data est. Addunt præterea, inesse brutis quamdam imperfectam libertatem. Hinc docent, bruta operari formaliter propter finem, adeò ut nec cognoscant formales finis & mediorum rationes, & per libertatem possint ex multis collatis mediis unum eligere, & alia non appetere.

Secunda opinio concedit quidem, bruta esse omni ratione destituta; sed nihilominus asserit, bruta operari formaliter propter finem, imperfectè tamen. Hanc opinionem tuentur Poncius, Arriga, & alii plures recentiores.

Tertia opinio omnem brutis denegat rationem, docetque, bruta materialiter tantùm propter finem operari, adeò ut intendant quidem id quod est finis, & eligant vel assumant id quod est medium; nesciant tamen formalem utriusque rationem. Quæ opinio apud Philosophos communis est.

Bruta autem omni prorsus ratione carere, primò sic prob. in Scriptura sacra, bruta, seu pecora, vocantur *irrationalia*, 2. Petri 2. *vel ut irrationalia pecora naturaliter feruntur*: ergo temerè appellantur rationalia, seu ratione prædita.

Prob. 2. propria hominis differentia, qua differt à brutis, nequit ipsis brutis convenire; ut patet: atqui ratio, est propria hominis differentia, qua differt à brutis; hanc quippe ob causam solet homo definiri: *Animal rationale*:

qua

qua in definitione *animal* eſt genus, in quo homo cum bruto convenit; *rationale* verò eſt ipſa hominis differentia, qua diſcriminatur à bruto: ergo &c.

Nec valet, ſi reſpondeant adverſarii, non qualemcumque rationem eſſe propriam hominis à bruto differentiam, ſed ſolam rationem perfectam, quæ bruto non competit. Non valet, inquam; nam major & minor formæ perfectio, differentiam eſſentialem inter extrema, quibus ineſt, non conſtituit; ſic in homine ſano, perfecta eſt ratio; in homine autem inſano, ratio imperfecta eſt; & nihilominùs homo ſanus eſſentialiter non differt ab homine inſano: ſi igitur in homine ratio perfecta eſt, & in bruto imperfecta invenitur ratio, homo & brutum eſſentialiter non differunt; quod planè abſurdum eſt.

Prob. 3. ſi in brutis eſſet ratio, etiam in eis foret libertas; libertas quippe rationem conſequitur: atqui in brutis nulla eſt libertas: ergo &c. Prob. min. primò ex iſtis Scripturæ verbis: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*: Eccleſiaſt. cap. 15. his namque verbis (ut omnes interpretantur) ſoli homini, præ cæteris animalibus, tribuitur libertas, qua ex conſilio & electione operatur. Secundò: agens liberum non agit ex impetu naturæ, ſed ex electione: bruta verò non agunt ex electione, ſed ex impetu naturæ; ut patet, dum ad cibum, vel potum, aut coitum, feruntur: non ſic autem homines, ſaltem ſi ut homines, ſive ut animalia rationalia, operentur. Tertiò: ſi in brutis liberum eſſet arbitrium, non eodem agerent modo; liberum quippe arbitrium creatum eſt mutabile, & modò in unum, modò in aliud inclinat: bruta verò ejuſdem ſpeciei, ab ipſo mundi exordio uſque ad hoc tempus, in omni terrarum regione, in talibus circumſtantiis poſita, eodem planè modo determinato operantur: ſic, v. g. omnes hirundines eodem omninò

modo

modo vere nidificant, omnes apes eodem modo mellificant, omnes formicæ eodem modo æſtate grana recondunt, &c.

Objicies 1. mira opera brutorum planè innumera, quorum quædam §. III. attulimus. Imò brutorum nonnulla tanto ingenio & artificio opera ſua moliuntur, ut nonniſi ex artis regula, atque adeò ex ratione, efficere illa videantur. Quin & hominibus varias artes indicarunt: ut araneus artem texendi, hirundo & veſpæ ædificandi, grues inſtruendi exercitum, milvi gubernandi navem; multa etiam ad tuendam vitam, & ad ſanitatem recuperandam remedia, quibus nunc medicinæ ſcientia dives ſplendet, oſtenderunt. Præterea: in brutis multa elucent virtutum inſignia; ut in leonibus magnanimitatis, in canibus amoris, in elephantis prudentiæ, in ciconiis pietatis, in turturibus conjugalis fidei, in columbis ſimplicitatis, in apibus, formicis, gruibus, aliiſque hujuſmodi, civilis ſocietatis. Item ſæpè bruta res futuras præſagiunt; compertum eſt enim, bruta mutationem aeris indicare, & pluvias ac tempeſtates dubio prædicere Cœlo, & alia ejuſmodi, quæ multò, quàm Aſtrologi, certiùs denuntiant.

Rurſus conſtat, multa eſſe bruta, quæ diſciplinam capiant. Nam ſturni, galeritæ, cornices, pſittaci, & corvi edocti, humanam reddunt vocem. Elephanti panegirica ſpectacula exhibere, varias in geſtu figuras effingere, coronas aſtantibus offerre, atque alia ſimilia ludicra efficere ediſcunt. Nec verò bruta tunc tantùm, cùm ab hominibus inſtituuntur, diſciplinæ ſpecimen dant; ſed ipſa ſe ſe mutuò inſtituere conſueverunt (quod majus eſt rationis argumentum; ſiquidem docere, quàm diſcere, rationi vicinius eſt.) Luſciniæ enim (teſte Ariſtotele lib. 4. de hiſt. anim. cap. 9. & idem referente Plinio lib. 10. hiſt. nat. cap. 29.) pullos ſuos vocem ad numeros modulari, & ad omnem concentus varietatem

præ-

prædocent: *Meditantur* (inquit Plinius) *junio-res, verſuſque quos imitentur, accipiunt; audit diſciplina attentione magna, & reddit; intelligi-tur emendatæ correctio, & in docente quædam re-prehenſio*. Hinc qui pulli adhuc rudes capti ſunt, & in caveis nutriti, minùs ſuaviter canunt, utpotè ante legitimum tempus à doctore & à ſchola Muſicæ ſubtracti.

Denique, aves varias efformant voces, quibus ſe ipſas vocant, ſive ad paſtum, ſive ad coitum, interdumque ſibi occinunt, viciſſimque reſpondent. Unde Porphyrius (ut retulimus ſuprà) docet, *naturam omnibus brutis, quibus memoriam tribuit, etiam ſermonem dediſſe*; addit-que, Apollonium Tyanæum, alioſque ex anti-quis, brutorum ſermones intellexiſſe. Hæc verò omnia ſine ratione in brutis exiſtente explica-ri, vel concipi, vix poſſunt.

Reſpondeo 1. argumentum illud nimis proba-re; nimirum probare, eſſe miram atque excel-lentiſſimam in brutis rationem, omnem homi-num rationem longè ſuperantem; quandoquidem plura brutorum opera mira ſunt, excellen-tiſſima, & omnem hominum induſtriam ſupe-rantia: eſſe autem in brutis miram & excellentiſ-ſimam rationem, humana ratione majorem, ab-ſurdum eſt planè, neque hoc ullus unquam ſom-niavit.

Reſpondendum igitur eſt cum D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 2. ad 3. bruta interdum efficere opera admiratione digna ex præſtantiſſima artis regula & ratione, non quæ inſit brutis, ſed Deo provi-denti, moventi, & dirigenti. Opera ergo bru-torum tam affabrè facta, ſummam rationem & ſapientiam patefaciunt Dei omnia agentia inferiora, etiam propria ratione privata, ſa-pientiſſimè per naturalem inſtinctum ipſis à Deo inditum regentis, moventis, & dirigen-tis; minimè tamen probant, ullam ineſſe bru-tis intrinſecam rationem; ſicut idonea manus pin-

gens

gens penicillo excellentem Cæsaris speciem, rationem ostendit & industriam; non quidem manus vel penicilli, sed intellectus & pictoris. Ut autem bruta quasdam artes hominibus indicarint, necesse non est, ut hujusmodi artes sint vel fuerint unquam in brutis; sed est satis, ut bruta artes illas quodammodò ex motione & directione Dei imitentur; ut docet Aristoteles *lib. 8. de hist. animalium cap. 1.* Multa etiam ad tuendam vitam, & ad sanitatem recuperandam, remedia invenerunt, & hominibus ostenderunt; non ex ratione propria, sed ex ratione divina, & ex instinctu sibi à Deo indito.

Sanè, si ex eo, quòd bruta concinnè & eleganter opera sua elaborant, rectè colligeretur, inesse illis artem, usumque rationis; idem inferre liceret in arboribus, quæ non minùs concinnè, non minùs eleganter, opera sua moliuntur: ita namque radices terræ infigunt, ita surgunt, ita ramos explicant; earum flosculi sic erumpunt, sic vivunt, sic adolescunt; ut nihil ad gratiam pulchrius, nihil ad pulchritudinem gratius, aspectui occurrat. Itaque sicut arbores, Deo providente & regente, naturalium facultatum vi, absque sensu illa efficiunt; ita brutæ animantes sensuum ope, & naturali instinctu (qui est veluti quædam imago artis & rationis) opera sua exequuntur & peragunt.

Quando verò ajunt adversarii, in brutis multa elucere virtutum insignia; respondeo, virtutes in brutis propriè non esse, quoniam ex electione non agunt, sed ex solo naturæ impetu; est igitur in brutis dumtaxat umbra virtutis. Præterea, quòd bruta res futuras præsagiant, id non ad rationis præsensionem est referendum, (alioquin acutior brutis, quàm nobis, qui ea minùs præsentimus, ratio inesset) sed ad naturalem eorum constitutionem; ut enim observat D. Thomas in disp. q. de prophetia art. 3. ad 19. ea est naturalis brutorum constitutio, ut tempo-

rum conditionibus omninò vacent; & hinc eſt, quòd faciliùs Cœli & Elementorum influxum, & futuras mutationes præſentiant; & cùm aliunde libertate careant, id ex naturæ impetu ſtatim extrinſecùs per hos vel illos affectus effectuſque oſtendunt.

Ad id, quod additur de docilitate brutorum animalium; dicendum eſt, animal poſſe eſſe docile duobus modis; nimirum docilitate propriè dicta, vel impropriè dicta. Illud dicitur propriè docile, quod indagando & reminiſcendo tradita à præceptore diſcit, revocatque in memoriam, inquirendo, conferendo, & diſcurrendo; & animal, quod eſt ſic docile, pollet ratione: dicitur verò animal impropriè docile, quando in memoria aſſervat ſpecies & retinet, per quas ſine inquiſitione, collatione, & diſcurſu, præteritorum recordatur, ubi ſemel ſpecies illæ ab extrinſeco excitantur; & hæc docilitas rationem neceſſariò non poſtulat in ſubjecto, in quo eſt. Solus homo docilis eſt propriè dicta docilitate; bruta autem ſunt docilia docilitate tantùm impropriè dicta. Quòd verò quædam bruta ſe ſe mutuò inſtruant, id ratione propria non præſtant, ſed ſolo inſtinctu naturali, qui ob majorem phantaſiæ & æſtimativæ potentiæ vim atque nobilitatem, perfectiùs in illis rationem imitatur.

Ad ultimum reſpondeo, voces à brutis efformatas non eſſe ſigna ad placitum, quibus per rationem utantur & loquantur; ſed eſſe ſigna quædam naturalia, ad quorum præſentiam moventur naturali inſtinctu, ſive ad paſtum, ſive ad coitum ſive ad aliud ejuſmodi. Quòd verò aves interdum ſibi occinant, viciſſimque reſpondeant, hoc ex Dei providentia, ad majorem hominum delectationem, & illarum levamen, mirabili quodam modo ſapientiſſimè effectum eſt; non quòd propriè ſe ſe intelligant (intellectu enim carent) & ſibi invicem loquantur, (nam ut

ait

ait Aristoteles 1. Politic. cap. 2. *loquelam sive sermonem homo habet solus omnium animalium*) sed ita ut se se mutuò ad causandum excitent. Unde quod ait Porphyrius, naturam omnibus brutis, quibus memoriam tribuit, etiam sermonem dedisse; & Apollonium Tyanæum, aliosque ex antiquis, brutorum sermones intellexisse; falsum est & fabulosum. Vel etiam dicendum est, Apollonium Tyanæum fuisse magum insignem, qui à Dæmonibus addiscebat, quod ex sermone brutorum se discere asserebat.

Instabis 1. Proverb. 6. mittit Spiritus Sanctus fatuum & pigrum hominem ad formicas, ut ex illis addiscat sapientiam: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam*: ergo est in formicis sapientia, proindèque & in ipsis est ratio.

Respondeo, Spiritum Sanctum mittere fatuum & pigrum hominem ad formicas, ut ex illis addiscat sapientiam, non quæ insit formicis, sed *Deo*, quæque in miris earum operibus *splendet*.

Instabis 2. animal memoria præditum, ratione etiam instructum est: atqui plura animalia sunt memoria prædita; ut experientia constat: ergo &c. Prob.ma. memoria citra aliquam reflexionem intelligi nequit; ad memoriam quippe requiritur, ut objectum antè cognitum, iterum cognoscatur: ergo cùm reflexio esse non possit, nisi operetur ratio; ubi est memoria, ibi sit ratio necessè est; ac subinde animal memoria præditum, ratione etiam instructum est.

Respondeo negando ma. intellectam de memoria sensitiva, quæ sola brutis convenit. Ad cujus prob. concedo, memoriam citra aliquam reflexionem revera intelligi non posse; at nego, ad memoriam esse necessariam reflexionem propriè dictam, quæ est præcedentis cognitionis reflexiva cognitio, quæque non nisi per rationem fieri potest; sufficit namque ad memoriam sensiti-

vam impropriè dicta reflexio, id eſt, ſufficit objecti anteà cogniti iterata cognitio, ad quam ratio neceſſaria non eſt; ſed planè ſatis eſt, ut objectorum anteà cognitorum ſpecies in ipſa memoria ſenſitiva aſſervatæ ab aliquo excitentur extrinſeco.

Objicies 2. eſto in brutis non ſit ratio univerſalis, quæ circa res univerſales occupetur; nihil tamen prohibet, ne ſit in illis ratio particularis, quæ nempè circa res particulares verſetur: ergo brutis aliqua ratio tribuenda eſt.

Reſpondeo negando ant. quamvis etenim æſtimativa ſeu cogitativa potentia, & memoria ſive reminiſcentia, in homine, propter conjunctionem & colligationem cum intellectu, & quandam ex ipſo refluentiam (ut loquitur D. Thomas 1. part. quæſt. 78. art. 4. ad 5.) poſſint rationes particulares appellari; id tamen de æſtimativa & memoria brutorum, ob rationem oppoſitam, ſcilicet ob negationem conjunctionis & colligationis cum intellectu, dici non poteſt.

Objicies 3. canis venaticus inſequens prædam oculis fugientem, ſi trivio occurrat, primum & ſecundum tramitem olfacit, nec ingreditur: poſteà verò ſine olfactu, tertium ſtatim ingreditur: atqui ſic agere, eſt ratiocinari, hoc modo: vel præda mea tranſiit per primam, vel per ſecundam, vel per tertiam viam: atqui olfactu adverto, neque tranſiſſe per primam, neque per ſecundam: ergo per tertiam viam tranſiit; bruta igitur ratiocinantur.

Reſpondeo negando min. ea enim in hypotheſi canis venaticus confeſtim tertiam ingreditur viam, quia ſtatim odore prædæ afflatur; quo ſi non afflaretur, aut hæreret, aut in ſua recurreret veſtigia, & ad herum rediret.

Quæres, quid ſit naturalis brutorum inſtinctus? Reſpondeo, eſſe æſtimativam brutorum potentiam, ut inſtructam inſenſatis ſpeciebus ratio-

tionem *convenientis*, vel *disconvenientis*, repræsentantibus.

Ad cujus intelligentiam sciendum est ex dicendis infrà in lib. de anim. esse in brutis quandam potentiam, quæ *æstimativa* nuncupatur, quæque est sensus quidam internus, cujus proprium munus est, ut ex speciebus sensibilibus, in sensibus externis existentibus, eliciat vel educat species seu imagines quasdam insensatas, id est, species sive imagines repræsentantes rationes aliquas à sensibus externis non sensatas seu non cognitas; ut sunt rationes *convenientis* & *disconvenientis*, *amici* & *inimici*, &c. Sic v. g. dum ovis videt lupum venientem, ex sensibili specie lupi in oculo existente statim elicit vel educit speciem insensatam repræsentantem lupum, ut disconvenientem & inimicum; sub qua ratione ab oculo vel à potentia visiva non sentiebatur, sive non cognoscebatur. Naturalis ergo brutorum instinctus est æstimativa eorum potentia, prout per species insensatas judicat, aut quasi judicat, aliquid esse *conveniens*, vel *disconveniens*, &c.

§. V.

Bruta non agunt propter finem formaliter, sed materialiter tantùm.

PRob. 1. ex D. Thoma 1. 2. q. 1. a. 2. ubi sic ait: *Illa, quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem &c. illa verò, quæ ratione carent, tendunt in finem, propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem à se ipsis, cùm non cognoscant rationem finis; & ideò nihil in finem ordinare possunt, sed solùm in finem ab alio ordinantur.* Ex quibus verbis sic potest argui: quod agit propter finem formaliter, movet se in finem, ut ostensum est & explicatum §. 1. atqui ex D. Thoma citato, agentia ratione carentia

(qualia ſunt bruta) ſe in finem non movent, ſed dumtaxat ab alio in finem moventur: ergo &c.

Prob. 2. ratione fundamentali, quam allatis in verbis tradit D. Thomas: illud agens tantùm propter finem formaliter operatur, quod cognoſcit formalem rationem finis: atqui bruta non cognoſcunt formalem rationem finis: ergo &c. Ma. ex eo patet, quòd ut agens formaliter propter finem operetur, neceſsè eſt, ut appetat formalem finis rationem; eam verò appetere nequit (appetitu elicito, de quo nunc eſt ſermo) ſi ipſam non cognoſcit; nullum quippe agens appetit vel amat quod ignorat. Prob. autem min. formalis ratio finis poſita eſt in ea cum mediis proportione, ratione cujus hæc exigit media, præ aliis, ad ſui conſecutionem: atqui hanc proportionem non cognoſcunt bruta: ergo &c. Maj. manifeſta eſt. Prob. min. ut aliquod agens percipiat finis proportionem cum mediis, eſt neceſsè, ut ordinet ſive referat finem ad media, & media ad finem, ipſaque media ad invicem, cognoſcatque hæc media, præ aliis, eſſe ad conſequendum finem utilia: atqui nequeunt bruta finem ad media, vel media ad finem, aut media ad invicem ordinare; ut enim ait Ariſtoteles 2. Metaph. cap. 2. *ſapientis eſt ordinare*; ſapientia autem ſolis agentibus intellectualibus competit non brutis: ergo &c.

Reſpondent aliqui, bruta non cognoſcere quidem ordinem finis ad media, vel mediorum ad finem, aut mediorum ad invicem, ratione ſui, & quaſi in abſtracto, & ſeorſum à ſubjecto; benè tamen ratione ſubjecti, vel fundamenti, & quaſi in concreto; quatenùs cognoſcunt, finem eſſe proportionatum cum mediis (& ita ordinatum ad illa) & media eſſe ad conſequendum finem utilia (proindèque ad finem ordinata) atque inter media, quædam eſſe aliis utiliora (& ita ad invicem ordinata.)

Sed

Sed contra ſic argumentor: ut bruta formaliter propter finem operentur, non eſt ſatis, ut ordinem finis ad media, mediorum ad finem, & mediorum ad invicem, ratione ſubjecti vel fundamenti, & quaſi in concreto, quomodocumque cognoſcant; ſed omninò neceſſarium eſt, ut hunc ordinem formaliter percipiant, cognoſcendo videlicet finem formaliter ut proportionatum cum mediis, media formaliter ut utilia ad finem conſequendum, & quædam ex mediis formaliter ut utiliorá ad eundem finem obtinendum: atqui bruta ordinem illum formaliter non percipiunt, neque cognoſcunt finem formaliter ut proportionatum cum mediis, neque media formaliter ut utilia ad finem conſequendum, neque aliqua ex mediis formaliter ut utiliora ad eumdem finem obtinendum: ergo &c. Min. ex ipſis terminis patet. Prob. min. non poſſunt bruta cognoſcere finem formaliter ut proportionatum cum mediis, media formaliter ut utilia ad finem conſequendum, & quædam ex mediis formaliter ut utiliora aliis ad eumdem finem obtinendum; niſi finem cum mediis, media cum fine, & unum medium cum alio, ipſa bruta comparent; inferantque, poſt ſufficientem unius medii cum alio collationem, unum eſſe alio utilius ad conſecutionem finis; ut conſtat: atqui hoc non poſſunt bruta, quia hoc eſt *diſcurrere* ſeu *ratiocinari*: ergo &c.

Reſpondent alii, ordines finis ad media, mediorum ad finem, & mediorum ad invicem, non eſſe reſpectus ſive relationes ſecundùm *eſſe* & prædicamentales (quæ utique à ſolo intellectu percipi poſſunt) ſed tranſcendentales ſolùm & ſecundùm *dici*, quatenùs finis formaliter ut proportionatus cum mediis, dici vel concipi aut explicari non poteſt, niſi per ordinem vel reſpectum aut relationem ad media; nec media ut utilia ad finem conſequendum, dici vel concipi aut explicari poſſunt, niſi per ordinem

vel reſpectum aut relationem ad finem; neque unum medium ut utilius altero, dici vel concipi aut explicari poteſt, niſi per ordinem vel reſpectum aut relationem ad alterum; & hujuſmodi ordines, reſpectus, aut relationes ſecundùm *dici* (inquiunt illi Authores) cognoſcunt bruta.

Sed contra ſic argumentor: eſto, ordines finis ad media, mediorum ad finem, & mediorum ad invicem, non ſint reſpectus ſive relationes ſecundùm *eſſe* & prædicamentales, ſed ſolùm ſecundùm *dici* & tranſcendentales; attamen ejuſmodi ordines cognoſci nequeunt, niſi finis cum mediis, media cum fine, & quædam media cum aliis comparentur; inferaturque, poſt ſufficientem quorundam mediorum cum aliis comparationem, quædam eſſe aliis utiliora ad finem aſſequendum; quod brutis convenire nequaquam poteſt, ut ex dictis patet.

Objicies 1. tunc agens, propter finem formaliter operatur, quando finem propter ſe intendit, & media propter finem obtinendum aſſumit: atqui bruta finem propter ſe intendunt, & media propter obtinendum finem aſſumunt: ergo &c. Ma. clara eſt. Mi. prob. exemplo avis, quæ generationem prolis per ſe, aut propter ſe, intendit; & paleas colligit, atque nidum extruit, propter eamdem prolis generationem.

Reſpondeo diſtinguendo ma. tunc agens, propter finem formaliter operatur, quando finem propter ſe formaliter intendit, & media propter finem obtinendum formaliter aſſumit, concedo: quando finem propter ſe materialiter intendit, & media propter finem obtinendum materialiter ſolùm aſſumit, nego. Bruta autem finem propter ſe materialiter quidem intendunt, & media propter obtinendum finem materialiter quidem aſſumunt, quatenus bruta naturali inſtinctu intendunt id, quod revera eſt finis propter ſe appetibilis;

bilis; atque assumunt ea, quæ reipsa sunt media propter finem consequendum instituta: at bruta finem propter se formaliter non intendunt, neque media propter finem obtinendum formaliter assumunt, quasi comparent finem cum mediis, ut propter se appetibilem, & media cum fine, ut propter illum eligenda, mutuumque finis & mediorum ordinem ipsa percipiant. *Hinc* avis generationem prolis propter se materialiter quidem intendit, paleasque materialiter colligit, atque nidum extruit, propter eamdem prolis generationem; at hæc omnia formaliter non facit.

Objic. 2. quod agit ex intentione finis, propter finem formaliter operatur: atqui bruta agunt ex intentione finis; sic v. g. hirundo colligit paleas & lutum, nidumque constructuit, ex intentione prolis procreandæ: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod agit formaliter ex intentione finis, propter finem, formaliter operatur, concedo: quod agit materialiter ex intentione finis, propter finem formaliter operatur, nego. Bruta verò agunt quidem materialiter ex intentione finis, quatenus ex priori intentione vel volitione ejus quod est finis, moventur ad assumenda, per naturalem instinctum, ea quæ sunt media ad assequendum finem idonea; at bruta non agunt formaliter ex intentione finis, ita ut conferant finem intentum cum mediis eligendis, & media eligenda cum ipso fine intento, percipiantque mutuum eorum ordinem, mutuamque ipsorum proportionem.

Objicies 3. agens, quod intendit finem *ut finem*, agit formaliter propter finem: atqui bruta intendunt finem *ut finem*: ergo &c. Ma. videtur evidens. Prob. min. agens, quod eligit medium, *ut medium*, intendit finem, *ut finem*; hæc enim duo sunt correlativa, & cui competit unum, convenit & alterum: atqui bruta eligunt vel

aſſumunt media, *ut media*: ergo &c. Prob. mi. tunc eligitur medium, *ut medium*, quando eligitur medium, *ut utile* ad finem conſequendum; atqui bruta eligunt aut aſſumunt media, *ut utilia* ad finem conſequendum: ergo &c. Maj. manifeſta eſt. Prob. min.

Primò ex D. Thoma 1. p. q. 78. a. 4. ubi hæc ſcribit: *Neceſſarium eſt animali, ut quærat aliqua, vel fugiat; non ſolùm, quia ſunt convenientia, vel non convenientia, ad ſentiendum; ſed etiam propter aliquas alias commoditates & utilitates, ſive nocumenta: ſicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, ſed quaſi inimicum; & ſimiliter avis colligit paleam, non quia delectat ſenſum, ſed quia eſt utilis ad ædificandum.*

Secundò idem probari poſſet multis exemplis: dum enim canis venaticus ſe projicit in glacialem undam, & tranſnatat fluvium, ut prædam aſſequatur; hoc ut jucundum non eligit, cùm in hoc nihil ſit jucundi: ergo id aſſumit, *ut utile* ad finem obtinendum, nempè ad prædam conſequendam. Similiter dum caſtor, venatore premente, ut ſuæ vitæ conſulat, ſibi teſticulos abſcindit (ut refert Plin. 8. hiſto. cap. 3. cujus etiam experientiæ meminit Juvenal. ſatyra 12.) hoc medium non aſſumit, ut jucundum, cùm in eo nulla ſit voluptas: ergo id eligit vel aſſumit, *ut utile* ad conſecutionem finis, videlicet ad conſervationem vitæ.

Reſpondeo diſtinguendo ma. agens, quod intendit finem, formaliter, *ut finem*, agit formaliter propter finem, concedo: agens, quod intendit finem materialiter vel ſpecificativè, *ut finem*, agit formaliter propter finem, nego: bruta autem non intendunt finem formaliter, *ut finem*: ſi nempe particula, *ut*, formaliter & reduplicativè uiurpetur, ſi videlicet particula iſta reduplicet formalem finis rationem; hanc quippe rationem bruta non cognoſcunt, proindè-

indèque nec intendunt; solùm itaque bruta intendunt finem materialiter seu specificativè, *ut finem*, accipiendo nimirum particulam illam, *ut*, materialiter tantùm & specificativè, prout scilicet specificat seu designat id, quod est finis. Ad prob. min. cum eadem distinctione respondeo; concedo namque, bruta eligere, sive meliùs, assumere media, *ut sunt media*; si particula, *ut*, materialiter vel specificativè sumatur; prout nempè specificat aut designat res, quæ sunt media: at nego, bruta eligere media, *ut sunt media*, si eadem particula, *ut*, formaliter aut reduplicativè consideretur; prout videlicet exprimit formalem medii rationem, quoniam eam bruta nesciunt, proindèque media sub ea formali ratione non assumunt. Ad prob. alterius min. cum pari distinctione respondeo, concedendo, bruta eligere aut assumere media materialiter vel specificativè, *ut utilia* ad finem consequendum; quatenùs, Deo providente, dirigente, & movente, bruta per inclinationem sibi innatam, & per suum naturalem instinctum, eligunt aut assumunt media, quæ sunt ad assequendum finem utilia: at nego bruta eligere vel assumere media, formaliter aut reduplicativè, *ut utilia* ad finem obtinendum; quasi utilitatem mediorum ad consecutionem finis, & consequenter ordinem mediorum ad finem, bruta cognoscant.

Ad authoritatem D. Thomæ, respondeo, quòd quando asserit S. Doctor, bruta assumere quædam, propter eorum utilitates; ista particula, *propter*, non debet formaliter accipi, ita ut bruta utilitates mediorum ad fines formaliter percipiant, & propter illas sic cognitas assumant media; sed particula, *propter*, materialiter sumenda est, quatenùs bruta assumunt media, propter quasdam rationes boni jucundi seu delectabilis, quæ reipsa sunt utilitates, licèt id bruta non cognoscant.

Nec dicas, nullam interdum in mediis apparere boni jucundi rationem; ut in exemplis canis venatici, & caſtoris, ſuprà allatis, conſtare videtur. Reſpondendum enim eſt, nonnumquam quidem nullam abſolutè apparere brutis, in mediis, boni jucundi rationem; benè tamen, ſuppoſita efficaci intentione finis: ſic v. g. in eo, quòd canis venaticus ſe projiciat in glacialem undam, & tranſnatet fluvium, hiemali tempore, nulla quidem abſolutè, cani apparet boni jucundi ratio, benè tamen ſuppoſita intentione efficaci prædæ; hac ſiquidem intentione prædæ ſuppoſita, jucundum eſt cani venatico prædam inſequi, etiam ſe in glacialem undam projiciendo, & hiberno tempore fluvium tranſnatando.

Sic etiam, in eo quòd caſtor ſibi teſticulos abſcindat, nulla quidem illi abſolutè apparet boni jucundi ratio; attamen ſuppoſito, quòd, venatore premente, caſtor cogitet de vita ſua conſervanda, ſtatim teſticulorum abſciſſio, per inſtinctum naturalem, ipſi apparet jucunda. Tum maximè, quia, ut ajunt plures, ea eſt naturalis caſtorum indoles, ut inſtante metu, vel poſt longum curſum, importuno moleſtentur in teſticulis pruritu; qui, premente venatore, poſt longum curſum ita augetur, ut tamdem fiat caſtoribus intolerabilis; & hinc eſt, quòd jucundè & quadam cum voluptate ſibi vellicent abſcindantque teſticulos, eſto poſteà in iis dolorem ſentiant; ſicut videmus ſcabioſos homines aliqua cum voluptate proprias vellicare & lacerare atque excoriare manus, quamvis poſteà in manibus ſic vellicatis, & veluti excoriatis, acerbiſſimo dolore afficiantur.

Addi poſſet, Sextium in rebus medicis verſatiſſimum aſſerere, exemplum caſtoris allatùm eſſe falſum; docet namque, teſticulos caſtoris ita adhærere animalis ſpinæ, ut ſine

ejus

dus vita tolli nequaquam poſſint; teſte etiam Plinio 32. *hiſtoriæ naturalis* 3.

Inſabis: Bruta cognoſcunt *formaliter* mediorum utilitatem, & ordinem *ipſorum ad finem*: ergo eligunt vel aſſumunt *media formaliter*, utpote *ad conſequendum finem utilia*. Conſeq. patet. Prob. ant. exemplo *canis aut felis*; bruta animal, ut carnem ex alto penſili rapiat, media omnia rationeſque omnes explorat, quibus finem ſuum aſſequatur. Item prob. exemplo hirundinis, quæ variis locis rejectis tanquam ineptis ad finem ſuum, tandem ad nidificandum, quaſdam alias colligit, in quibus nidum conſtruit. Non videtur ita; quoniam modo hæc & ſimilia ab illis fieri poſſunt, niſi cognoſcant formaliter eorum utilitatem, & ordinem ipſorum ad finem. Siquidem ſi bruta non cognoſcerent media formaliter, ut *ad finem utilia*, unum potius, quàm aliud, non applicarent.

Reſpondeo negando ant. *ad cujus prob. dico*, illorum opera, & his ſimilia, fieri à brutis, non quia cognoſcant formaliter mediorum utilitatem, & ordinem eorum ad finem; ſed quia ab eo excellentiſſimè mediorum utilitatem, & ordinem ipſorum ad finem cognoſcente, bruta illa opera moventur & diriguntur, per inclinationes innatas, & naturalem inſtinctum. Et breviter, quòd unum potius, quàm aliud, medium complicent; quia nimirum à Deo ſapientiſſimè providente ad unum potius, quàm ad aliud finem, per inſtinctum naturalem diriguntur, & determinatas inclinationes moventur & impelluntur.

Urgebis: Bruta aſſumunt media in ordine ad finem conſequendum; v. g. hirundo colligit paleas in ordine ad nidum extruendum: ergo bruta cognoſcunt ordinem mediorum ad finem.

Reſpondeo diſtinguendo ant. Bruta aſſumunt talia materialiter in ordine ad finem conſequendum;

dum, quatenùs per inſtinctum naturalem aſſumunt media ad conſecutionem finis verè ordinata, concedo: bruta aſſumunt media formaliter in ordine ad finem conſequendum, adeò ut formaliter cognoſcant ordinem mediorum ad finem, nego.

Dices cum Adverſariis: bruta volunt vel appetunt finem per media obtinendum; ſic v. g. hirundines volunt vel appetunt nidum per paleas conſtruendum: ergo ordinem finis ad media, & mediorum ad finem, bruta percipiunt.

Reſpondeo diſtinguendo ant. bruta volunt vel appetunt materialiter finem per media obtinendum: quatenus volunt aut appetunt, & finem, & media ad obtinendum finem idonea, concedo: bruta volunt vel appetunt formaliter finem per media obtinendum, ita ut bruta comparent finem cum mediis, & media cum fine, cognoſcantque mutuum eorum ordinem, & cum tali cognitione velint, vel intendant finem per media obtinendum, nego.

Articulus Quintus.

De Monſtris & eorum Cauſis.

Monſtrum à *monſtrando* dictum eſt (ait Tullius 2. de natura Deorum) vel quòd quaſi digito monſtretur, ut quid inſolitum; vel quòd futurum aliquid monſtret. Definitur autem monſtrum ex Ariſtotele 2. Phyſic. cap. 8. textu 82. & lib. 4. de gener. anim. cap. 4. in hunc modum: *Monſtrum eſt naturalis effectus, à recta & ſolita ſecundùm ſpeciem diſpoſitione degenerans.* Dicitur monſtrum, *Naturalis effectus*; quia (teſte Ariſtotele hoc in libro cap. 8. text. 82.) licèt etiam in rebus arte factis, cùm ab artis regula deſciſcunt, monſtra interdum viſantur; ea tamen non propriè, ſed duntaxat ſecundùm aliquam analogiam vel ſimili-

militudinem ad res naturales, *monstra* vocantur. Dicitur: *A recta secundùm speciem dispositione degenerans*: quia id tantùm est monstrum, quod à recta & debita secundùm speciem dispositione insignitè recedit: ut si nascatur sine manibus homo; vel cum unico in fronte oculo, ut erant Cyclopes apud Poetas; vel cum pedibus caprinis & cornuto capite, ut pinguntur Satyri; vel cum dimidio corpore equino, ut habentur Centauri, &c.

Dicitur tandem: *A solita secundùm speciem dispositione degenerans*: quia monstrum debet rarò contingere. Hinc putant aliqui, Pygmæos, quorum tota cohors pede non est altior uno, non esse monstra; sicut nec Gigantes, quia spectata eorum hominum formatrice virtute, considerato Cœli influxu solito, & inspecta quarumdam Regionum (in quibus ii homines nascuntur) natura, à solita iis in locis humanæ speciei dispositione non deficiunt.

Probabilius tamen est, Pygmæos, & Gigantes, esse absolutè monstra humanæ naturæ; quia absolutè à solita naturæ aut speciei humanæ dispositione, per defectum, vel excessum, insignitè deflectunt. Sanè, quis negabit, absolutè monstrum fuisse cadaver illud, quod Symphorianus Campesius in horto Gallico ait, fuisse repertum in Sicilia in caverna subterranea, propè Trapanam, excavando fundamenta domus, manu tenens magnam trabem pro baculo, malo navis similem; in cujus capite poterat includi modius frumenti; unde per proportionem illatum est, ejus altitudinem fuisse cubitorum ducentorum, faciem longam viginti cubitis, & nasum decem pedibus.

Quæres, quæ sit legitima hominis aut humani corporis magnitudo? Respondeo, esse magnitudinem quinque pedum cum semisse, hoc est, digitorum sexaginta sex. Hanc enim magnitudinem habuit sacrum Christi corpus: ut

ut conſtat ex ejus figura relicta in Sindone veneranda, quæ Taurini aſſervatur. Quando igitur alicujus hominis corpus ab illa magnitudine, ſive per defectum, ſive per exceſſum, inſignitè recedit, monſtrum eſt.

Circa autem monſtrorum cauſas; ſciendum eſt, cùm animal unum ab alio generatur, quinque potiſſimùm ad generationem illam concurrere. Primum, eſt formatrix virtus ſemini inhærens, quæ more opificis totum corpus membratim delineat & effingit. Secundum, eſt materia, ex qua fœtus coaleſcit. Tertium, eſt fœtus receptaculum. Quartum, eſt primarũ qualitatum, *Caloris* ſcilicet, *Frigoris*, *Siccitatis*, & *Humiditatis*, complexio. Quintum, eſt id, quod extrinſecùs fœtum attingit; ut Regionis ſalubritas vel inclementia, Syderum influxus, aliaque hujuſmodi. Hoc præmiſſo:

In primis monſtrum nonnunquam accidit ob formatricis ſeu ſeminariæ virtutis debilitatem. Aliquando enim formatrix, ſive ſeminaria virtus, ita debilis eſt, ut non poſſit totum opus complere, nec omnes diſtinguere partes, aut membra articulatim efformare. Hinc fit, ut quandoque partes corporis concluſæ & indiſcretæ, atque ad munia obeunda inutiles prodeant. Hinc etiam fit, ut humanus fœtus nonnumquam inferioris ſpeciei figuram induat; ſic Ariſtoteles lib. 4. de gener. animal. cap. 3. refert, quoſdam homines arietini capitis effigie natos fuiſſe; refert quoque Genebrardus in chronologia, natum fuiſſe quemdam parvulum, qui, cæteris membris humanis exiſtentibus, caput habebat canis: natura quippe, ſeu formatrix virtus, cùm ſuperioris aut perfectioris figuræ in omnibus partibus fœtus productionem aſſequi non poteſt, figura inferiori vel imperfectiori contenta ſubſiſtit. Hinc item Hermaphroditi, id eſt, homines utriuſque ſexus, aliquando naſcuntur; quando nempè virtus formatrix ſeu ſeminaria, ad formandos maſculum & feminam adæquatè

diſtin-

distinctos propensa, hoc opus, ob debilitatem suam, complere nequivit, maximè si materiæ non fuit satis.

Secundò, vitio materiæ trifariam obveniunt monstra. In primis, ob multiplicem & promiscuam seminum diversæ speciei confusionem. Hinc externis lineamentis semihomines & bestiæ aliquando nati sunt. Hinc etiam plurima monstra generantur in Africa, quia ob aquarum inopiam, animalia diversæ speciei ad unum locum congregantur; unde manavit proverbium: *Africa semper habet aliquid novi*. Secundò, propter materiæ penuriam producuntur interdum homines minuta habentes corpora; ut monoculi, unipedes, & quandoque nani, coætaneæque brevitatis homunculi; qualem affirmat Nicephorus 12. Eccles. hist. c. 37. fuisse in Egipto quemdam, qui ad perdicis duntaxat magnitudinem crevit. Tertiò, ob exuperantiam materiæ, evadunt interdum homines ad giganteam vastitatem. Talis ille erat, cujus se molarem dentem vidisse narrat D. Augustinus cap. 9. lib. 15. de civit. Dei; qui, inquit, dens, si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse.

Tertiò, ex parte receptaculi, quo fœtus in matre continetur, datur monstroso partui occasio; cum v. gr. una materia, quæ ad geminum fœtum conformari cœperat, ob angustias loci, majori vel minori ex parte confunditur. Hinc fortiuntur interdum fœtus plura membra, quàm naturæ cursus postulet. Sic testatur D. Augustinus lib. 16. de civit. Dei cap. 8. natum sua memoria fuisse hominem, cui erant duo capita, duo pectora, quatuor manus, venter unus, & pedes duo.

Quartò, primarum qualitatum dispositio interdum monstra inducit; etenim interdum nimio æstuante calore, pueri barbati nascũtur: quod ætate nostra in Lusitania accidit. Alii quoque, deficiente ca-

calore, & abundante humido, in pueritia cane-ſcunt, quorum meminit Plinius lib. 7. cap. 2.

Quintò, invehit monſtra regionis circumfuſique aeris affectio & conſtitutio. Hinc in Ægypto, ob regionis & aeris naturam, frequentiùs, quàm apud nos, monſtra naſcuntur. Idem aſſerendum eſt de cœleſtium corporum influxu, Syderumque afflatu.

Superioribus monſtrorum cauſis addenda eſt vis imaginandi parentum, & præſertim matris; quæ nonnunquam facultatem formatricem à ſcopo ſuo aberrare facit, & abſurdas atque peregrinas formas vel figuras, quas concipit, fœtui imprimit: hinc narrat Avicenna lib. 5. de animal. gallinam, quæ, dum ovis incubaret, milvi aſpectu perterrita fuit, pullos excluſiſſe milvino capite. Eſt etiam celebre exemplum in divinis litteris Geneſ. 30. qua ratione Jacob provenerunt fœtus gregum maculoſi. Hæ ſunt præcipuæ & frequentiores monſtrorum cauſæ; eſſe autem multò plures, ex eo liquet, quòd monſtra ſunt naturæ errata; infinitis autem modis à recto aberrare contingit.

Quæres, utrum à natura intendantur monſtra? Reſpondeo ex D. Thoma q. 6. de potent. art. 2. ad 8. & in 2. diſt. 18. q. 1. art. 3. ad 6. monſtra *per ſe* non intendi à natura, ſive à cauſa particulari. Ratio eſt, quia quælibet particularis cauſa *per ſe* ſemper intendit effectum ſibi ſimilem producere; & ita ſi monſtroſum producat, à fine *per ſe* intento deflectit; ideòque talis effectus reſpectu illius *per accidens* & fortuitò evenire cenſendus eſt.

Docent tamen aliqui, naturam aut cauſam particularem *per ſe primò* effectum ſibi ſimilem progignere, & *per ſe ſecundò* effectum monſtroſum quandoque procreare, dum nempè perfectiorem producere nequit: ſicut in animalium generatione, natura *per ſe primò* maſculum generare intendit; cùm verò maſculi productionem aſſequi

non

non potest, *per se secundè* seminam inducit. Nec tamen femina propriè monstrum est, quia licèt à recta & perfecta, non tamen à solita specici dispositione, deficit.

Cæterùm, quidquid de particularibus cauſis dicatur, constat; neque monstrum, neque aliud quidpiam, fortuitò aut casu evenire respectu Dei, qui rerum omnium eventus, & providentia sua prævenit, & sapientia disponit. Vult autem Deus monstra in mundo esse (inquit Augustinus lib. 16. de civit. Dei cap. 8.) propter universi pulchritudinem; ut nimirum hoc spectabilis mundi theatrum, non elegantium duntaxat, sed deformium quoque, velut imaginum varietate exornetur: etenim ea etiam, quæ fœda sunt, ad universitatis decorem & elegantiam faciunt; eo modo, quo gratiam lucis commendat obscuritas nocti, & umbræ atrique colores, picturæ augent venustatem.

QUÆSTIO DECIMA.

De comparatione causarum inter se.

INitio tractatus de cauſis, cauſas ipſas cum effectibus comparavimus; nunc ſequitur, ut unam cum altera conferamus. Circa comparationem autem iſtam tria præcipuè nobis occurrunt examinanda. Primum eſt, utrum una ſit prior nobiliorque altera? Secundum, poſſint ne plures cauſæ totales ejuſdem generis & ordinis, ſimul producere eundem numero effectum? Tertium tandem, potuerit ne effectus, qui ab una cauſa totali creata producitur, idem numero ab alia, ejuſdem generis & ordinis, revera produci?

Articulus Primus.

Virum una cauſa ſit prior, nobiliorque altera?

SUppono 1. ſi una cauſa cum alia in *eſſe entis* comparetur, cauſam efficientem eſſe priorem aliis, deinde finem totalem (id eſt, totum compoſitum phyſicum) cui ſuccedit forma, & demùm materia. Illud quippe eſt prius *in eſſe entis*, quod priùs habet *eſſe*; cauſa verò efficiens priùs, prioritate ſaltem naturæ & rationis, habet *eſſe*, quàm totum compoſitum phyſicum, quod producit; neceſſe enim eſt, ut cauſa efficiens, prioritate ſaltem naturæ & rationis, priùs exiſtat, quàm effectum producat. Præterea totum compoſitum phyſicum (quod eſt finis totalis & veluti ultimus cauſæ efficientis) prioritate naturæ & rationis priùs habet *eſſe*, quàm forma vel materia; quia totum compoſitum phyſicum ratione ſui habet *eſſe*; forma verò & materia habent *eſſe*, ſeu exiſtunt per *eſſe*, ſive per exiſtentiam totius compoſiti (ut alibi probatum eſt) ſimiliter materia habet *eſſe*, aut exiſtit per *eſſe*, vel exiſtentiam formæ (ut etiam ibidem oſtenſum eſt) quod autem ratione ſui eſt tale, priùs tale eſt, quàm id, quod ratione illius eſt tale; ſic quod ratione ſui calidum eſt, priùs debet eſſe calidum, quàm id, quod ratione illius ſit calidum.

Suppono 2. ſi una cauſa cum alia *in eſſe entis* conferatur, cauſas intrinſecas eſſe ignobiliores aut imperfectiores extrinſecis cauſis. Quia cauſæ intrinſecæ, videlicet materia & forma, ſunt eſſentialiter entitates incompletæ & partiales; non verò cauſæ extrinſecæ, ſcilicet efficiens cauſa, & finalis. Inſuper clarum eſt, formam *in eſſe entis* eſſe nobiliorem materia; quoniam forma *in eſſe entis* eſt actus, & materia eſt potentia;

actus

ctus autem præstantior est potentia. Denique causa efficiens nonnunquam *in esse entis* est inferior fine, *ut* dum homo suis in actionibus Deum pro fine sibi præfigit. Interdum causa efficiens *in ratione entis*, est fine nobilior; ut dum agens intellectuale vilem creaturam purè corpoream (v. g. cibum, aut aliquod aliud bonum delectabile) pro fine ultimo sibi proponit. Quandoque tandem in causa efficiente, & in causa finali, par *in esse entis* est perfectio, & æqualis nobilitas; ut dum amicus amicum appetit. His suppositis

Dico 1. inter causas is ordo servatur, ut finis primò causet, deinde causa efficiens, posteà materia, & ultimò forma. Ita communiter Philosophi. Hæc conclusio experientia patet: quotidiana namque docet experientia, finem in primis movere aut allicere (& ita suo modo causare) causam efficientem ad agendum; deinde causam efficientem sic motam & allectam disponere sua actione & causalitate materiam; materiam verò sic dispositam postmodùm recipere à causa efficiente, & sustentare (& ita in suo genere causare) formam; & tandem formam sic receptam informare (& ita juxta genus suum causare) materiam.

Dico 2. causæ intrinsecæ, materia nimirum & forma, sunt in causando imperfectiores extrinsecis causis, efficiente nempè, & finali. Ita communiter Philosophi. Ratio hujus conclusionis est clara: nam materia & forma causant modo essentialiter imperfecto, videlicet ad modum partium totum physicum intrinsecè componentium. non autem causa efficiens & causa finalis. Hinc ratio materiæ, & ratio formæ, Deo convenire nequaquam possunt; ratio tamen causæ efficientis, & ratio causæ finalis, rectè admodùm Deo conveniunt; Deus namque est prima efficiens causa, & ultimus omnium finis.

Dico 3. forma in modo causandi est materia nobilior. Ita communiter Philosophi. Ratio etiam

est

eſt manifeſta : forma enim cauſat per modum actus, & materia ad modum potentiæ; actus verò eſt præſtantior potentia.

Dico 4. cauſa finalis eſt in modo cauſandi efficiente cauſa excellentior. Ita Ariſtoteles 2. Phyſic. cap. 3. text. 31. & 5. Metaph. cap. 2.

Probat. ſicut cauſa eò eſt in modo cauſandi imperfectior, quò magis eſt in illo dependens; ſic è contra, tantò cauſa eſt in modo cauſandi præſtantior, quantò minùs eſt in illo dependens: atqui cauſa efficiens in modo cauſandi eſt magis dependens; cauſa verò finalis in modo cauſandi eſt minùs dependens : ergo &c. Prob. min. cauſa efficiens in modo cauſandi dependet à cauſa finali; cauſa autem finalis in modo cauſandi ab efficiente cauſa non dependet : ergo cauſa efficiens in modo cauſandi eſt magis dependens, cauſa verò finalis in modo cauſandi eſt minùs dependens. Conſeq. clara eſt. Ant. autem ex eo conſtat, quòd cauſa efficiens nequit cauſare, ſive agere, niſi priùs moveatur aut alliciatur à cauſa finali; cauſa verò finalis ante omnem cauſæ efficientis actionem, ſuam exercet cauſalitatem, movendo & alliciendo cauſam efficientem ad agendum.

Objicies 1. ea cauſa eſt in modo cauſandi ignobilior, cujus cauſalitas eſt imperfectior : atqui cauſalitas cauſæ finalis eſt imperfectior cauſalitate cauſæ efficientis; quandoquidem cauſalitas finalis cauſæ, eſt metaphorica motio; cauſalitas autem cauſæ efficientis, eſt motio propriè dicta : ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. cauſalitas enim cauſæ finalis, vocatur metaphorica motio; non quia non ſit vera & propriè dicta reliſque cauſalitas, ſed tantùm quia propriè non eſt motio; movere etenim propriè, eſt efficienter agere; quod convenit ſoli cauſæ efficienti. Licèt autem cauſæ finalis cauſalitas non poſſit motio propriè appellari, ſemper tamen verum eſt,

est, eam esse minùs dependentem (si cum causalitate efficientis causæ conferatur) proindèque esse simpliciter nobiliorem.

Objicies 2. causa, quæ suo causandi modo dat *esse* effectui, est in modo causandi perfectior, quàm ea, quæ modo suo causandi propriè non tribuit *esse* effectui: atqui causa efficiens suo causandi modo dat *esse* effectui, causa verò finalis modo suo causandi propriè non tribuit *esse* effectui; sed solùm quasi rogat efficientem causam, ut effectui *esse* largiatur: ergo &c.

Respondeo concessa maj. distinguendo min. atqui causa efficiens suo causandi modo dat efficienter *esse* effectui, causa verò finalis modo suo causandi propriè non tribuit efficienter *esse* effectui; sed solùm quasi rogat efficientem causam, ut effectui *esse* efficienter largiatur, concedo: causa finalis modo suo causandi propriè non tribuit simpliciter & absolutè *esse* effectui, nego.

Objicies 3. quod in re habet *esse*, est præstantius eo, cui convenit *esse* in sola intellectus intentione seu apprehensione: atqui causa efficiens, dum causat, semper in re habet *esse*; finali verò causæ, cùm causat, sæpè convenit *esse* in sola intellectus intentione; ut constat ex dictis *in duabus quæst. præcedentibus*: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quod in re habet *esse*, est *in ratione entis* præstantius eo, cui convenit *esse* in sola intellectus intentione, concedo: est in modo causandi præstantius eo, cui convenit *esse* in sola intellectus intentione, subdistinguo: si habeat causandi modum minùs dependentem, concedo: si modum causandi habeat magis dependentem, nego. Quamvis verò causa efficiens, dum causat, semper in re habeat *esse*; & finali causæ, cùm causat, sæpè conveniat *esse* in sola intellectus intentione; attamen modus causandi causæ efficientis est magis dependens, & modus causandi causæ finalis minùs

nùs dependens ; ut ſuprà probatum eſt.

Inſtabis : modus cauſandi fundatur in modo eſſendi, eique proportionatur : ergo ſi cauſa efficiens habet nobiliorem eſſendi modum, habet quoque excellentiorem cauſandi modum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. modus cauſandi materialiter & *in ratione entis* conſideratus, fundatur in modo eſſendi, eique proportionatur; adeò ut ſi ſit ſolùm intentionalis modus eſſendi, etiam modus cauſandi ſit tantùm intentionalis, concedo: modus cauſandi formaliter acceptus, *in ratione modi cauſandi* magis vel minùs dependenter, fundatur in modo eſſendi, eique proportionatur, nego. Unde ex eo, quòd cauſa efficiens nobiliorem habeat modum eſſendi, ſcilicet phyſicum, ſeu in re extra intentionem ſive apprehenſionem intellectus; ſequitur quidem, ut etiam excellentiorem *in ratione entis* ſibi vendicet cauſandi modum, videlicet phyſicum, licèt cauſandi modus cauſæ finalis ſit duntaxat intentionalis; nihilominùs minimè ſequitur, ut cauſandi modus cauſæ efficientis ſit formaliter præſtantior cauſandi modo cauſæ finalis; quia non eſt minùs dependens, ſed potiùs magis dependens eſt.

Quæres, quonam modo intelligatur illud axioma : *Cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ* : quo utuntur Philoſophus 2. Phyſic. cap. 3. textu 30. & 5. Metaph. cap. 2. text. 2. & D. Thomas iiſdem in locis.

Reſpondeo 1. cauſas non eſſe ſibi invicem cauſas in eodem genere cauſæ, v. gr. unam cauſam efficientem eſſe non poſſe alterius cauſæ efficientis cauſam. Tunc enim idem ſecundùm idem foret prius alio, & ſimul ipſo poſterius. In primis namque ſi una cauſa efficiens aliam efficientem cauſaret, eſſet ea prior; quoniam eſſet ejus cauſa; omnis autem cauſa eſt, in ſuo genere cauſæ prior eo, cujus eſt cauſa. Prætereà una & eadem cauſa efficiens foret ſecundùm idem genus cau-

efficientis, altera posterior; quia ab ipsa efficienter causaretur: quod verò ab alio causatur, est eo posterius, in eo genere causæ, in quo causatur. Insuper: si una causa efficiens esset alterius causæ efficientis causa, ita ut eam causaret, & ab ea causaretur; idem esset causa sui ipsius: nam ex communi axiomate: *Quod est causa causæ, est causa causati*: in illa autem suppositione, eadem causa efficiens esset simul & alterius causa, & ejus causatum (quandoquidem & alteram causam efficientem causaret, & ab ipsa causaretur; ut supponitur) ergo esset causa sui ipsius: idem autem esse secundùm idem alio prius, & simul ipso posterius, vel idem esse sui ipsius causam, planè repugnat.

Respondeo 2. ex D. Thoma 5. Metaph. ca. 2. textu 2. lect. 2. causas esse sibi invicem causas in diverso genere causæ; ita ut causa materialis & causa formalis, sive materia & forma, sint sibi viciſſim causæ; sicut & efficiens, atque finalis. Reipsa quippe materia suo modo causat formam, eam sustentando; & forma causat materiam, ipsam informando; & similiter finis causat finaliter in intentione efficientem causam, eam movendo sive alliciendo; & causa efficiens causat efficienter finem, eum in executione producendo. Hinc una causa est natura prior & posterior altera in diverso genere causæ.

Dices: si una causa aliam causaret in diverso genere causæ, & mutuò ab ipsa causaretur, unum & idem esset causa causæ, & ipsius causatum, & consequenter idem esset causa sui ipsius: *Quod enim est causa causæ, est causa causati.*

Respondeo, illud axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati*: intelligendum esse de causa & causato intra idem genus causæ; sic v. g. quia ignis est causa efficiens caloris in baculo existentis, est etiam causa efficiens caloris efficienter à baculo calido in manu causati; & ratio hujus est, quia baculus calidus efficienter non

cauſat calorem in manu, niſi per virtutem ipſius ignis, nempè per calorem ab ipſo acceptum. Quando verò cauſa & cauſatum ſunt in diveſo genere cauſæ; ſic v. gr. cùm cauſa efficiens cauſat finalem cauſam, modo ſuprà explicato; cauſatum non cauſat per virtutem ſuæ cauſæ, ſed per aliam planè diverſam; alia ſiquidem eſt virtus cauſæ efficientis, alia eſt cauſandi ratio cauſæ finalis. Quod igitur in diverſo genere cauſæ eſt cauſa cauſæ, non eſt propterea cauſa cauſati; Ideòque dum una cauſa aliam cauſat in diverſo genere cauſæ, & viciſſim ab ea cauſatur; adeò ut unum & idem ſecundùm genus diverſum cauſæ, ſit & cauſa cauſæ, & ipſius cauſatum; non idcircò idem eſt cauſa ſui ipſius.

Articulus Secundus.

Poſſint-ne plures cauſæ totales ejuſdem generis & ordinis, ſimul producere eumdem numero effectum?

§. I.

Difficultas explanatur, ſententiæ referuntur, & vera eligitur ac probatur.

NOtandum eſt, alias eſſe cauſas totales, alias partiales. Cauſa totalis, ea eſt, quæ totum præbet influxum ad productionem effectus ſufficientem & neceſſarium; ſic Sol eſt totalis cauſa lucis. Cauſa verò partialis, eſt illa, quæ dimidium duntaxat tribuit influxum ad productionem effectus requiſitum; ſic duo equi currum trahentes, quorum neuter trahendo currui ſufficerer, ſunt tractionis currus cauſæ partiales. Præterea aliæ ſunt cauſæ ejuſdem generis; ut duæ cauſæ finales, duæ cauſæ efficientes, duæ cauſæ formales, & duæ cauſæ materiales: aliæ ſunt cauſæ diverſi generis; ut cauſa efficiens & cau-

& causa finalis; vel causa efficiens, & causa formalis; aut causa materialis, & causa finalis. Denique aliæ sunt causæ ejusdem ordinis; ut duæ causæ particulares, v. gr. duo ignes. Aliæ sunt diversi ordinis, quarum una subordinatur alteri; id est, quarum una est particularis, altera universalis; sic se habent *ignis*, & *Deus*, hunc ignem procreantes. Hoc supposito.

Certum est, plures causas partiales posse eundem numero effectum simul producere; v. g. duos vel plures equos posse, ut causas partiales, eundem numero trahere currum. Indubitatum est quoque, eumdem numero effectum posse simul à pluribus causis diversi generis procedere; idem siquidem homo simul, & à fine alliciente, & à generante efficienter producente, & à forma materiam informante, & à materia formam sustentante, causatur. Demùm exploratum est, eundem numero effectum posse simul produci à pluribus diversi ordinis causis totalibus; perspicuum enim est, eundem numero effectum, v. g. eundem numero hominem, simul & à Deo, ut ab universalissima omnium entium causa; & à Cœlis, ut ab universalibus omnium corporum sublunarium causis; & à parentibus, ut à causis particularibus, procreati. Tota ergo controversia est, utrum plures causæ totales ejusdem generis & ordinis possint simul producere eundem numero effectum; v. g. utrum duæ faces, ut causæ totales, possint simul eamdem numero lucem efficere in eadem aeris parte?

Circa quam difficultatem tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, id esse naturaliter possibile; hæc sententia tribui solet Nominalibus. Secunda asserit, id divinitùs fieri posse; quam sententiam tuentur Suares disp. 26. Metaph. sect. 4. Aversa q. 16. sect. 5. Arriaga disp. 3. num. 116. imò (ut quibusdam placet) ex Thomistis Cajetanus 1. p. qu. 52. art. 3. quamvis oppositam teneat sententiam 3. p. q. 67. a. 6. Tertia

BIBLIOTECA ... F. MONTEFUSCO (Av)

tandē ſententia aſſeverat, nec etiam de Dei abſoluta potentia contingere poſſe, ut à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis ſimul fiat idem numero effectus. Ita Thomiſtæ communiter, quibus hac in parte ſuffragantur Scotiſtæ.

Dico: divinitùs fieri non poteſt, ut idem numero effectus ſimul à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis producatur. Hanc concluſionem diſertè docet D. Thomas variis in locis, & præſertim 5. Metaph. lect. 2. ubi abſolutè loquens ſic ait: *Impoſſibile eſt, ut ejuſdem effectus ſint plures cauſæ ſecundùm idem.* Et 1. p. q. 52. art. 3. ſic iterum ait: *Impoſſibile eſt, quòd duæ cauſæ completæ ſint immediatè unius & ejuſdem rei.* Scio, adverſarios reſpondere, D. Thomam loqui de impoſſibilitate ſecundùm ordinariam & naturalem Dei potentiam, non verò ſecundùm abſolutam & ſupernaturalem. Sed ſi licet ita D. Thomam exponere, quotieſcumque S. Doctor aſſerit, eſſe aliquid impoſſibile, ſtatim dici poterit, S. Thomam loqui de impoſſibilitate ſecundùm ordinariam & naturalem Dei potentiam, non autem ſecundùm abſolutam & ſupernaturalem.

Prob. 1. quod contradictionē implicat, etiam de Dei abſoluta potentia fieri non poteſt; ut patet: atqui cōtradictionem implicat, eundē numero effectum à pluribus cauſis efficiētibus totalibus ejuſdem ordinis ſimul produci: ergo &c. Prob. mi. idē ab eodem per ſe ac eſſentialiter pendere, & per ſe ac eſſentialiter non pendere, manifeſtam implicat contradictionem: atqui ſi idem numero effectus ſimul à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis produceretur, effectus iſte per ſe ac eſſentialiter penderet à qualibet illarum, & per ſe ac eſſentialiter non penderet: ergo &c. Ma. clara eſt. Prob. mi. & primò quidem effectus ille penderet per ſe atque eſſentialiter à qualibet illarū cauſarum; quia quod convenit rei ex conceptu ejus quidditativo & eſſentiali, competit ipſi per ſe ac eſſen-

eſſentialiter, ut conſtat; effectus verò ex ſuo conceptu quidditativo aut eſſentiali pendet à cauſa, à qua per ſe procedit; ſi etenim quærat quis, quid effectus nomine concipiatur? rectè reſpondebitur ei, nomine effectus id concipi, quod à ſua pendet cauſa, à qua nempè per ſe procedit: ut autem ex ipſis adverſariis ſuppono, ſi idem numero effectus ſimul à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis oriretur, per ſe à qualibet earum procederet; proindèque ex ſuo conceptu quidditativo ſeu eſſentiali, atque ita per ſe & eſſentialiter, à qualibet illarum penderet.

Prętereà, hujuſmodi effectus per ſe & eſſentialiter à qualibet cauſarum illarum non pẽderet; quia quod per ſe & eſſentialiter rei convenit, neceſſariò ipſi competit, & ei non convenire non poteſt; immutabiles quippe ſunt rerum eſſentiæ, & eædem ſemper; ideòque ſi in illa hypotheſi, effectus per ſe & eſſentialiter à qualibet illarum cauſarum penderet, neceſſariò à qualibet ex illis cauſis dependeret; quod tamen falſum foret, quia ſine qualibet illarum cauſarum produci poſſet, quandoquidem una ſola ex eis eſſet ad effectum producendum ſufficiens, utpote cauſa totalis.

Reſpondet Suares, eſſe ſatis, ut effectus ab aliqua cauſa per ſe pendeat, quòd fuerit in ejus activa virtute præcontẽtus, ab eaque per ſe intentus, & cauſa illa ſit ad effectũ producendum per ſe ordinata: ſuppoſito autem, quòd idẽ numero effectus à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdẽ ordinis ſimul produceretur, iſte effectus fuiſſet in activa virtute cujúslibet ex illis cauſis præcontentus, ab eaque per ſe intentus, & quælibet illarum cauſarum eſſet per ſe ad illum producendum ordinata.

Sed contrà ſic argumentor: effectus per ſe ab aliqua cauſa dependens, & per ſe ab ea procedens, debet eſſentialiter ab ipſa pendere; ut probatum eſt: ſi verò idẽ numero effectus à pluribus efficientibus cauſis totalibus ejuſdem ordinis ſimul produceretur, à qualibet earum eſſentialiter non pen-

deret (ut oſtenſum eſt) proindèque nec per ſe penderet, ſicut nec per ſe procederet.

Reſpondent alii, res à ſolo Deo pendere eſſentialiter; ideòque, inquiunt, ut effectus ab aliqua cauſa totali creata verè & per ſe producatur, neceſſe non eſt, ut ab ea eſſentialiter pendeat; ſed planè ſufficit, ut verè & per ſe ab illa eſſe accipiat.

Sed contra ſic argumentor: eſto res à ſolo Deo, ut à cauſa prima, eſſentialiter pendeant; quilibet tamen effectus eſſentialiter pendet à cauſa creata, ut à cauſa ſecunda, à qua per ſe procedit; ut patet ex probatione allata. Sanè, quis dicet, viſionem eſſentialiter à viſu non pendere, auditionem ab auditu, ignem genitum ab igne generante, &c.

Dices cum adverſariis: effectus, qui ab una cauſa totali creata producitur, potuit ſine illa à ſolo Deo creari; ut certum eſt: ergo effectus cauſæ totalis creatæ eſſentialiter ab ea non dependet.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo effectus cauſæ totalis creatæ eſſentialiter ab ea præcisè in ſe ſumpta non dependet, concedo: ergo effectus cauſæ totalis creatæ eſſentialiter ab ea, vel in ſe ſumpta, vel eminenter in Deo ut in prima & infinita cauſa contenta, non dependet, nego.

Reſpondent tandem alii diſtinguendo. Dicunt ergo, quòd ſi idem numero effectus à pluribus efficientibus cauſis totalibus ejuſdem ordinis ſimul produceretur, iſte effectus non penderet quidem eſſentialiter à qualibet determinatè ſumpta, benè tamen indeterminatè accepta, id eſt, ab hac, vel illa: ſicut viſio eſſentialiter pendet ab oculo, non quidem determinatè ſumpto, ſed indeterminatè ſpectato, hoc, vel illo.

Sed contrà ſic in primis argumentor: in ea hypotheſi, effectus eo modo à qualibet illarum cauſarum penderet, quo à qualibet cauſaretur (quid-

(quidquid enim ab alio causatur, ab illo dependet; & eo modo dependet, quo ab illo causatur) atqui effectus determinatè à qualibet illarum causarum causaretur, nempè ab ista, & ista; non verò indeterminatè ab hac, vel illa; ut patet: ergo determinatè à qualibet causarum illarum penderet, non autem solùm indeterminatè.

Prob. 2. si duæ efficientes causæ totales ejusdem ordinis eumdem numero simul producerent effectum, quælibet earum totum produceret effectum, & simul eum non produceret: atqui hoc apertam implicat contradictionem: ergo &c. Prob. ma. & in primis, ut supponitur, quælibet illarum causarum totum produceret effectum. Præterea, una ex illis causis totum non produceret effectum, sed totus ab altera sola produceretur: nam influxu ad productionem effectus sufficiente posito solo, statim producitur effectus; alioquin influxus ille sufficiens non esset, & alter rursùs requireretur: cùm igitur unius efficientis causæ totalis influxus sit ad productionem effectus omninò sufficiens (ut patet) unius efficientis causæ totalis influxu posito, in præfata hypothesi, ipso solo produceretur effectus; proindèque causa efficiens altera suo influxu minimè effectum produceret.

Dices cum adversariis: influxus Dei ad generationem leonis cum leone patre concurrentis, est ad productionem leonis planè sufficiens; & tamen solus Deus tunc leonem non producit, sed leo pater simul cum Deo verè producit leonem, quem generat: ergo similiter quamvis influxus unius efficientis causæ totalis, in suprà posita hypothesi, esset ad productionem effectus omninò sufficiens; nihilominùs ipsa sola effectum non produceret, sed eum cum altera efficiente causa simul procrearet.

Sed contrà sic argumentor: quia influxus Dei ad generationem leonis, cum leone patre concurrentis, est in ordine causæ primæ

ad productionem leonis planè ſufficiens, ſolus Deus ut cauſa prima tunc leonem efficit = ergo ſimiliter ſi in ſuprà dicta hypotheſi, influxus unius cauſæ efficientis totalis eſſet in ordine cauſæ ſecundæ omninò ad effectus productionem ſufficiens, ea ſola ut cauſa ſecunda effectum produceret; & ſic altera in eodem ordine cauſæ ſecundæ nihil prorsùs efficeret.

Prob. 3. ſi duæ efficientes cauſæ totales ejuſdem ordinis eumdem numero ſimul producerent effectum, quælibet ex eis foret cauſa totalis, & non foret cauſa totalis: atqui hoc evidentem implicat contradictionem: ergo &c. Prob. maj. & primò quidem, ut ſupponitur = quælibet ex illis cauſis eſſet cauſa totalis. Non eſſet verò cauſa totalis; quod ſic probo: ſicut cauſa partialis debet ſolùm partialiter producere effectum, ita è contrà cauſa totalis debet totaliter effectum producere: atqui quælibet ex illis efficientibus cauſis totaliter non produceret effectum: ergo &c. Ma. clara eſt. Prob. min. ſicut producere partialiter effectum, eſt alterius cauſæ ejuſdem generis & ordinis conſortium habere; ita totaliter effectum producere, eſt alterius cauſæ ejuſdem generis & ordinis conſortium non habere: atqui quælibet ex illis cauſis conſortium alterius cauſæ ejuſdem generis & ordinis verè haberet, ut ſupponitur: ergo &c.

Reſpondent adverſarii negando, cauſam totalem eam eſſe, quæ non admittit alterius conſortium; ſed dicunt, cauſam totalem illam eſſe, quæ alterius conſortio non eget, ſive ipſum habeat, ſive non: in allata autem hypotheſi, neutra cauſarum conſortio alterius indigeret, ſed accederet alterius conſortium dumtaxat ad abundantiam.

Sed contrà ſic argumentor: eo proportionali modo una cauſa dicitur totalis, quo altera partialis appellatur; eo igitur proportionali mo-

po-

potest causa totalis cum alterius causæ ejusdem generis & ordinis consortio effectum producere, quo potest causa partialis sine alterius causæ ejusdem generis & ordinis consortio effectum præstare: atqui planè repugnat, ut causa partialis, manens partialis, sine alterius causæ ejusdem generis & ordinis consortio totum effectum producat: ergo pari modo repugnat, ut causa totalis, permanens totalis, cum alterius causæ ejusdem generis & ordinis consortio suum præstet effectum.

§. II.

Objectiones diluuntur.

OBjicies 1. præsertim contra præcipuum conclusionis nostræ fundamentum: si idem numero effectus non posset à pluribus causis efficientibus totalibus ejusdem ordinis simul procedere; maximè, quia effectus essentialiter pendet à sua totali causa; quæ dependentia effectus in illa hypothesi non staret: atqui effectus non semper pendet essentialiter à sua totali causa, sed interdum accidentaliter tantùm seu contingenter ab ea dependet, quando nimirum effectus liberè & contingenter à totali causa procedit: ergo potest interdum idem numero effectus à pluribus efficientibus causis totalibus ejusdem ordinis simul procedere.

Respondeo concessa maj. negando min. Ad exemplum effectus liberi & contingentis, liberè & contingenter à sua totali causa procedentis, distinguendum est, & concedendum, effectum contingentem & liberum, præcisè ut contingens & liber est, necessariò & essentialiter à sua totali causa non pendere: (nam potiùs è contra sic acceptus, contingenter & veluti accidentaliter cum illa connectitur) at negandum est, effectum contingentem & liberum, inquantum

eſt effectus per ſe à ſua totali cauſa procedens, ab ea neceſſariò & eſſentialiter non pendere: ut enim ſuprà oſtenſum eſt, omnis effectus, (quicumque ſit) prout talis eſt, ex ſuo conceptu quidditativo & eſſentiali, ac proinde quidditativè ſeu eſſentialiter & neceſſariò, dependet à cauſa, à qua per ſe procedit.

Objicies 2. dentur duo corpora æqualiter luminoſa, ab eadem aeris parte æquè diſtantia, vel etiam divinitùs in ea penetrata; tunc ſimul producent in illa, ut efficientes cauſæ totales ejuſdem ordinis, eamdem numero lucem; quandoquidem quodlibet ex duobus illis corporibus luminoſis totum præbebit influxum ad productionem illius ſufficientem: ergo idem numero effectus è duabus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis ſimul produci poteſt.

Reſpondeo negando ant. ut enim in tertia probatione concluſionis oſtenſum eſt, omninò repugnat, ut cauſa totalis, permanens totalis, habeat alterius cauſæ ejuſdem generis & ordinis conſortium, in productione effectus; unde ſi ſecum hoc admittat conſortium, deſinit in actu ſecundo eſſe totalis. Et dum inſtant Adverſarii, quodlibet ex duobus illis corporibus luminoſis totum præbere influxum, ad productionem lucis ſufficientem; diſtinguendum eſt, & concedendum, quodlibet ex duobus illis corporibus luminoſis, totum præbere influxum, ad productionem ſimilis lucis ſufficientem; ſed negandum eſt, quodlibet ex hujuſmodi corporibus ſufficientem tribuere influxum ad productionem illius numero lucis, quæ tunc ab ipſis ſimul concurrentibus efficitur; non præcisè quia ſit maioris intenſionis & perfectionis, quàm eſſet alia lux ſimilis, quæ à quolibet ex duobus illis corporibus luminoſis, ſi ſeorſum ageret, efficeretur; ſed quia eſt proprius duorum corporum luminoſorum ut ſimul concurrentium effectus; ſua nempè adæquata cauſa, ſunt duo corpora

m

minosa, prout simul concurrentia & influentia; hinc enim fit, ut influxus ad ipsius productionem sufficiens & necessarius, sit duorum corporum luminosorum prout simul concurrentium influxus, nec sufficiat cujuslibet illorum corporum divisivè sumptorum influxus; ad productionem quippe effectus, est necessarius adæquatæ ejus causæ influxus, & alius minimè sufficit. Ex qua doctrina inferes, quòd si unum ex duobus illis corporibus luminosis ab alio separaretur, non efficeret lucem numero eamdem cum ea, quam simul cum alio corpore luminoso concurrens producit.

Objicies 3. si duorum equorum caudis alligetur unica palea trahenda, quilibet eorum erit ejusdem numero tractionis efficiens causa totalis: ergo eadem numero tractio, & consequenter idem numero effectus, potest à duabus efficientibus causis totalibus ejusdem ordinis simul produci.

Respondeo ex doctrina tradita, negando ant. quamvis enim quilibet equus seorsim sumptus possit, sine dubio, ut efficiens causa totalis, unicam trahere paleam; hæc tamen numero paleæ tractio, quæ est proprius amborum illorum equorum ut simul concurrentium & trahentium effectus, à quolibet eorum divisivè sumptorum ut à causa solùm partiali procedit, & illi duo equi collectivè & simul sumpti, sunt unica illius tractionis causa adæquata & totalis.

Objicies 4. duo oculi sunt unius & ejusdem numero visionis efficientes causæ totales: ergo possunt unius & ejusdem numero actionis, & ita unius & ejusdem numero effectus, esse duæ efficientes causæ totales ejusdem ordinis.

Respondeo ex eadem doctrina, negando ant visio quippe ab ambobus oculis simul concurrentibus tunc procedens, tamquam proprius eorum ut simul concurrentium effectus, oritur à quolib

oculo diviſivè accepto, ut à cauſa dumtaxat inadæquata & partiali, & à duobus oculis ut collectivè ac ſimul agentibus, ſicut ab unica efficiente cauſa totali & adæquata.

Objicies 5. ex D. Thoma 3. p. quæſt. 67. ar. 6. poſſunt duo miniſtri, ut cauſæ totales, idem numero efficere Baptiſma, ſi ſimul & aquam in eumdem hominem infundant, & verba efferant: præterea ex eodem Angelico Doctore 3. part. quæſt. 82. art. 2. plures Sacerdotes recens inaugurati ſimul cum Epiſcopo, ut cauſæ totales, idem numero conficiunt Euchariſtiæ Sacramentum, ſi ſimul conſecratoria proferant verba: ergo idem numero effectus à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis ſimul produci poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, ſingulos miniſtros idem numero ſimul efficientes Baptiſma, & ſingulos Sacerdotes ſimul idem numero conficientes Euchariſtiæ Sacramentum, eſſe quidem cauſas in actu primo totales, quatenùs poſſunt ſeorſim totum conficere Sacramentum: ſed nego, eſſe cauſas in actu ſecundo totales; quia quilibet ex miniſtris aut Sacerdotibus illis ſecum admittit in actu ſecundo, ſeu in actuali confectione Sacramenti, conſortium alterius cauſæ ejuſdem generis & ordinis; quod eſt contra cauſæ totalis rationem.

Inſtabis: quilibet ex miniſtris, vel Sacerdotibus illis, totum Baptiſmatis, aut Euchariſtiæ, actu conficit Sacramentum: ergo eſt actu cauſa totalis.

Reſpondeo diſtinguendo ant. quilibet ex miniſtris, vel Sacerdotibus illis, totum Baptiſmatis, aut Euchariſtiæ, actu conficit Sacramentum totum *totalitate effectus*, quatenùs totum producit effectum, concedo: totum *totalitate cauſæ*, ita ut ſecum non admittat actu alterius cauſæ ejudem generis & ordinis conſortium, nego ant. & conſeq. nam ad rationẽ cauſæ totalis propriè d

&x,

fit, est necesse, ut sit totalis *totalitate causæ*, adeò ut in actu secundo, aut in actuali effectus productione, secum non habeat alterius causæ ejusdem generis & ordinis consortium.

Instabis rursùs: quilibet ex ministris, aut Sacerdotibus illis, totum præbet influxum ad confectionem Baptismatis vel Eucharistiæ Sacramenti necessarium: ergo actu agit ut causa totalis.

Respondeo ex doctrina suprà tradita, distinguendo ant. quilibet ex ministris, aut Sacerdotibus illis, totum præbet influxum ad confectionem similis Baptismatis, vel Eucharistiæ Sacramenti, necessarium, concedo: totum præbet influxum necessarium ad confectionem illius numero Baptismatis, vel Eucharistiæ Sacramenti, quod tunc à pluribus illis ministris, aut Sacerdotibus, ut simul concurrentibus, tanquam proprius & adequatus eorum ut simul concurrentium effectus, producitur, nego. Unde si unus ex ministris, vel Sacerdotibus illis, Sacramentalia verba seorsim proferret, non efficeret idem numero Sacramentum cum eo, quod simul cum aliis ministris, aut Sacerdotibus, concurrens producit; sed simile tantùm.

Obj. 6. à majori propositione & minori propositione Syllogismi, ut à duabus causis totalibus simul concurrentibus, eadem numero conclusio procedit: ergo potest à duabus causis totalibus simul agentibus procedere idem numero effectus.

Respondeo 1. *majorem & minorem* Syllogismi, non esse causas ejusdem ordinis; una enim subordinatur alteri, videlicet *minor majori*. Vel si dicatur, esse ejusdem ordinis, respondeo 2. esse causas partiales; quia una admittit, imò exigit consortium alterius; quamvis etenim quandoque altera præmissarum explicitè non exprimatur, (ut in Enthymemate contingit) attamen implicitè saltem semper involvitur.

Obj.

Objicies 7. poſſunt duo corpora divinitùs penetrari, & ſimul poni in eodem loco: ergo pariter poſſunt divinitùs duæ cauſæ efficientes totales ejuſdem ordinis ſimul eundem numero producere effectum.

Reſpondeo negando paritatem; nam dum duo corpora divinitùs penetrantur, & eidem numero coexiſtunt ſpatio, in eodemque loco ponuntur, non ſunt ampliùs duo locata totalia, ſed fiunt unicum locatum totale & adæquatum; unde tunc in eodem loco non ſunt plura *ut plura*, ſed plura *ut unum*. At ſi duæ cauſæ efficientes totales ejuſdem ordinis ſimul eundem numero producerent effectum, eſſent plures cauſæ *ut plures* (plures ſiquidem cauſæ unam non faciunt cauſam totalem & adæquatam, niſi ſint partiales & inadæquatæ:) ideòque tunc plures cauſæ *ut plures* unum & eundem producerent effectum; quod planè repugnat.

Articulus Tertius.

Poſſint-ne plures cauſæ totales ejuſdem generis & ordinis diviſim producere eundem numero effectum?

§. I.

Exponitur difficultas, referuntur ſententiæ, & vera eligitur ac probatur.

HUjus difficultatis ſenſus iſte eſt, utrum idem numero effectus, qui hìc & nunc ab una efficiente cauſa totali producitur, diviſim ſeu ſeorſim produci poſſet ab altera efficiente cauſa totali ejuſdem ſpeciei & perfectionis; verbi gratia utrum hic numero calor, ab iſto igne productus, poſſet diviſim vel ſeorſim ab alio igne ejuſdem perfectionis produci, ſi eodem modo applica-

taretur, *v. g.* eidem materiæ, eodem tempore, & cum *iisdem* omnibus aliis circumstantiis.

Circa quam difficultatem tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, id esse naturaliter possibile: ita Scotus cum suis omnibus discipulis: imò & cum Nominalibus; quos sequuntur Suarez, Ruvius, Aversa, & alii plures Recentiores. Secunda fatetur quidem, id naturaliter fieri non posse, benè tamen supernaturaliter: ita Murcia, Franciscus de Raconis, & aliqui alii Recentiores. Tertia tandem sententia, quæ est Thomistarum, asseverat, id manifestam involvere contradictionem; proindèque nec eam divinitùs fieri posse.

Dico: divinitùs fieri non potest, ut idem numero effectus divisim à pluribus causis efficientibus totalibus ejusdem speciei producatur. Ita docet D. Thomas quodlib. 5. art. 8. ubi hæc habet verba: *Impossibile est, eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater, &c.* Ex quibus verbis sic argumentor: si idem numero effectus posset divisim à pluribus causis efficientibus totalibus ejusdem speciei procedere, ita ut sive ista, sive illa efficiens causa applicaretur, idem numero permaneret; idem numero filius nasceretur, sive alius pater, sive alia mater applicaretur: atqui hoc ex D. Thoma citato impossibile est: ergo &c.

Scio Adversarios respondère, D. Thomam non accipere ibi *impossibile*, modo propriè dicto, sed modo improprio, pro valdè difficili; vel S. Doctorem loqui de impossibilitate secundùm ordinariam & naturalem Dei potentiam, non verò secundùm absolutam & supernaturalem. Sed si licet ita D. Thomam interpretari, eodem modo explicari poterit, quotiescumque dicet, aliquid esse impossibile.

Prob. 1. ratione in articulo præcedenti allata: quod contradictionem involvit, divinitùs fieri non potest; ut constat: atqui contradictionem in-

involvit, eundem numero effectum diviſim à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ſpeciei produci : ergo &c. Prob. min. idem ab eodem per ſe ac eſſentialiter pendere, & per ſe ac eſſentialiter non pendere, apertam involvit contradictionem : atqui ſi idem numero effectus diviſim à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ſpeciei produceretur, iſte effectus per ſe ac eſſentialiter à qualibet earum penderet (quia per ſe à qualibet illarum procederet, ut ſupponitur,) & per ſe ac eſſentialiter à qualibet earum non penderet (quia ſine qualibet illarum diviſim produci poſſet :) ergo &c.

Prob. 2. non poteſt, etiam divinitùs, cauſa totalis efficiens unius ſpeciei, diviſim producere effectum alterius efficientis cauſæ totalis alienæ ſpeciei, quantumvis ſint contentæ ſub eodem genere ; verbi gratia non poteſt homo producere bovem, vel bos hominem ; ut perſpicuum eſt: ergo pariter unum individuum non poteſt, ut cauſa efficiens totalis, diviſim producere eundem numero effectum ab alio individuo producibilem, quantumvis ſub eadem ſpecie comprehendantur : v. g. unus ignis non poteſt ut cauſa totalis diviſim efficere eundem numero calorem ab alio igne producibilem . Prob. conſeq. & paritas : idcircò non poteſt cauſa totalis efficiens unius ſpeciei, diviſim producere effectum alterius efficientis cauſæ totalis, alienæ ſpeciei ; quia differentia ſpecifica unam ſpeciem conſtituens, eam intra genus limitat ac determinat ; ex hac enim limitatione & determinatione oritur, quòd ſicut una ſpecies non continet rationem genericam, vel differentiam ſpecificam, quæ in altera ſpecie invenitur, ſic etiam activam alterius ſpeciei virtutem minimè in ſe complectitur ; ideòque effectus ab altera ſpecie producibiles attingere nequit, ſed ad certam effectuum ſeriem ſeu collectionem ſpecificam determinatur, adeò ut ulteriùs, etiam divinitùs, ſe extendere ne-

nequaquam possit : ergo cùm differ
vidualis seu numerica non minùs intra spec
limitet determinetque individuum, quod con-
stituit; ex hac quoque limitatione & determina-
tione debet provenire, quòd sicuti unum indi-
viduum non continet naturam specificam, vel
differentiam individualem, quæ in alio ejusdem
speciei individuo reperitur, sic etiam alterius
individui activam virtutem in se non capit; &
idcircò effectus ab altero individuo producibi-
les, eosdem numero, producere non potest,
sed ad certam effectuum collectionem individua-
lem determinatur, ita ut ultrà, nec divinitùs,
se extendere possit.

Respondent 1. Adversarii, negando paritatem. Species quippe sunt *sicut numeri*, id est, inæqualis semper perfectionis; quo fit, ut una species se extendere non possit ad productionem effectuum alterius speciei : at ejusdem speciei individua, sunt ut plurimùm ejusdem perfectionis; unde nulla est ratio, cur unum non possit alterius effectus attingere.

Sed contrà sic argumentor : idcircò, juxta hanc Adversariorum responsionem, non potest una species alterius speciei effectus producere, quia inæqualis sunt perfectionis; ideò verò è contrà unum individuum potest alterius individui effectus attingere, quia ut plurimùm ejusdem sunt perfectionis : itaque quando individua inæqualis sunt perfectionis, unum individuum se extendere non potest ad alterius individui effectus attingendos; & ita juxta Adversarios, quamvis quando duæ faces sunt æquè accensæ, una possit (juxta illos) lucem ab alia producibilem divisim producere; si tamen una sit magis, & altera minùs accensa, quæ magis accensa est, efficere nequaquam potest lucem ab altera minùs accensa producibilem; quod planè absurdum est.

Respondent 2. negando iterum paritatem; nam, inquiunt, differentiæ specificæ sunt semper dissimiiis

lis naturæ; individuales verò differentiæ intra eandem ſpeciem, ſunt omninò ejuſdem rationis.

Sed in hoc Adverſarii planè allucinantur; unde contra eos ſic invictè argumentor: ſi unum individuum poſſet alterius individui effectus eoſdem numero diviſim producere, maximè, quia individuales differentiæ intra eandem ſpeciem ſunt ejuſdem rationis: atqui individuales differentiæ intra eandem ſpeciem non ſunt ejuſdem rationis, ſed prorſus diverſæ: ergo &c. Ma. eſt præcipuum Adverſariorum fundamentum. Prob. mi. extrema ejuſdem rationis à ſe mutuò diſtincta, debent in aliquo convenire; & in alio differre; debent quidem in aliquo convenire, quia ejuſdem ſunt rationis; debent verò in aliquo differre, quia re ipſa diſtinguuntur: ſi igitur individuales differentiæ à ſe mutuò numericè diſtinctæ, eſſent ejuſdem rationis, deberent in aliquo convenire, & in alio differre: atqui individuales differentiæ ſic ſe non habent, ut in uno conveniant, & in alio differant; ſed ſe totis differunt: ergo &c. Prob. mi. quando aliqua ita ſe habent, ut in una ratione conveniant, & in alia differant, differunt ab invicem per differentias à ſe ipſis diſtinctas; ſic quia, v. g. homo & brutum in uno conveniunt (ſcilicet in animali,) & in alio differunt (videlicet in rationali, & irrationali), ad invicem differunt per differentias à ſe ipſis diſtinctas, nimirum per rationalitatem, & irrationalitatem: ſi itaque individuales differentiæ in una ratione convenirent, & in alia differrent, ab invicem differre deberent per alias differentias à ſe ipſis diſtinctas: atqui differentiæ individuales ab invicem non differunt per alias differentias à ſe ipſis diſtinctas; alioquin iſtæ differentiæ deberent rurſus differre per alias differentias, & ita in infinitum procedendo: ergo &c.

§. II.

§. II.

Satisfit Adversariorum objectis.

OBJICIES 1. individua intra eandem speciem comprehensa, sæpè sunt ejusdem omninò rationis & perfectionis; sic v.g. duæ faces æquè accensæ, & in calore intensæ, sunt planè ejusdem rationis & perfectionis : ergo potest tunc unum individuum alterius individui effectus eosdem numero divisim producere.

Respondeo distinguendo ant. individua intra eandem speciem comprehensa, sæpè sunt ejusdem omninò rationis & perfectionis specificæ, concedo: sunt ejusdem omninò rationis & perfectionis numericæ, nego; sicut enim individua semper numero distinguuntur, ita & eorum rationes, perfectiones, atque virtutes. Unde sequitur quidem, ut individua intra eandem speciem comprehensa possint eosdem specificè effectus divisim producere, non tamen eosdem numero.

Objicies 2. est in uno individuo sufficiens virtus ad omnes effectus totius speciei producendos: ergo unum individuum potest omnes effectus totius speciei producere; proindeque potest effectus ab alio individuo producibiles, divisim eosdem numero præstare. Prob. ant. est in specie sufficiens virtus ad omnes effectus ipsius speciei producendos; ut patet : ergo etiam & in uno individuo; quandoquidem sicut in uno individuo est tota species, ita & ejus virtus tota.

Respondeo negando ant. nam alioquin esset in uno individuo sufficiens virtus ad producendum se ipsum (quandoquidem intra effectus suæ speciei numeratur), & ita posset se ipsum producere; quod manifestè repugnat. Ad prob. ant. concessio ant. nego conseq. licèt enim in uno individuo sit tota species, & ejus virtus tota; non tamen totaliter, sed potiùs cum limitatione per indi-

individualem differentiam; etenim, ut ſup-
cebamus, ex hac limitatione provenit, quòd
ti unum individuum non continet naturam
cificam, vel differentiam individualem, q
alio eiuſdem ſpeciei individuo reperitur
etiam alterius individui activam virtutem
non capit, & idcircò effectus ab altero indiv
producibiles eoſdem numero attingere nor
teſt, ſed ad certam effectuum collectionem
vidualem determinatur, ita ut ultrà, nec di
tùs, ſe extendere queat.

Inſtabis 1. ſi individualis differentia uniu
dividui, ejus activam virtutem limitaret, de
ret eam ad unicum numero effectum limita
ita ut alium producere non valeret: atqui
apertè falſum eſt: ergo &c. Prob. ma. ſicut un
individuum, eſt unicum numero; ita ind
dualis differentia unius individui, eſt num
unica: ergo, ſi ipſius individui activam virtut
limitaret, deberet eam ad unicum numero ef
ctum limitare; ſic enim major eſſet inter cauſa
& effectum proportio.

Reſpondeo negando ma. nam individua
differentia unius individui non debet activam
lius virtutem limitare ad quemcumque effectu
ſed ad effectum ipſi adæquatum, qui non e
unicus, ſed individualis effectuum ſeries ſync
tegorematicè infinita; neque enim dum iſte igni
v. g. unicum numero calorem efficit, adæqu
tè exhauritur activa ejus virtus; ſed poteſt alio
& alios in infinitum ſyncategorematicè calore
producere. Nec refert, quòd individualis diffi
rentia unius individui ſit numero unica; inde
quidem ſolùm ſequitur, quòd limitet activa
unius individui virtutem ad unicam numero effe
ctuum individualium ſeriem, ita ut extender
ſe non poſſit ad effectus intra ſeriem alterius indi
vidui ejuſdem ſpeciei contentos. Neque inte
unum individuum, & effectus ab ipſo producibi
les, major requiritur proportio.

Di-

Dices: unum individuum potest intra speciem suam infinitos syncategorematicè effectus præstare; ut patet ex solutione data: ergo potest omnes suæ speciei effectus producere. Respondeo distinguendo ant. unum individuum potest intra speciè suam infinitos syncategorematicè effectus præstare, in propria serie, concedo: in serie cujuslibet alterius individui ejusdem speciei (quæ etiam syncategorimaticè infinita est) nego ant. & conseq.

Instabis 2. calores ab uno igne producibiles non petunt essentialiter ab illo effici: ergo possunt, saltem divinitùs, iidem numero ab alio igne produci. Conseq. videtur evidens. Prob. ant. si calores ab uno igne producibiles petunt essentialiter ab illo effici, essentialiter differunt à caloribus ab alio igne producibilibus: atqui hoc apertè falsum est: ergo &c. Prob. ma. quando aliqua duo ita se habent, ut unum essentialiter petat aliquid, quod alterum essentialiter non petit, essentialiter differunt: ergo, si calores ab uno igne producibiles petunt essentialiter ab illo effici, calores verò ab alio igne producibiles id essentialiter non petunt, tali positu postulant, ab alio igne produci, calores illi essentialiter differunt.

Respondeo distinguendo ant. calores ab uno igne producibiles non petunt essentialiter ab illo effici: id est, id non petunt ex sua differentia essentiali specifica, concedo: id est, id necessariò non petunt ex ipsa ratione, & velut essentia differentiæ individualis, qua ad seriem effectuum illius ignis determinantur, nego ant. & conseq. Ad prob. ant. distinguo ma. si calores ab uno igne producibiles peterent essentialiter abillo effici, essentialiter differrent à caloribus ab alio igne producibilibus: si peterent essentialiter, id est, si id peterent ex sua differentia essentiali specifica, concedo: si peterent essentialiter, id est, si id peterent ex ipsa ratione & velut essentia differentiæ individualis, qua individualiter

ter (& ita accidentaliter) ſolùm ab aliis differunt, nego ma. Ex quo patet ad prob. ma. verum etenim eſt, quòd quando aliqua duo ita ſe habent, ut unum ex ſua differentia eſſentiali ſpecifica eſſentialiter petat aliquid, quod aliud ex ſua differentia eſſentiali ſpecifica non petit, eſſentialiter differant: at falſum eſt, tunc aliqua eſſentialiter propriè differre, quando unum ex propria ratione & eſſentia ſuæ differentiæ individualis, veluti eſſentialiter aliquid petit, quod aliud ſimili modo non exigit.

Objicies 3. unum individuum poteſt eundem numero effectum ab alio ejuſdem ſpeciei individuo productum conſervare; ſic v. g. poteſt unus ignis eundem numero calorem ab alio igne productum conſervare: ergo & producere; ut enim communiter dicitur: *Conſervatio eſt continuata productio*; ideòque cauſa, quæ poteſt effectum conſervare, poteſt eundem numero producere.

Reſpondeo diſtinguendo ant. unum individuum poteſt eundem numero effectum, ab alio ejuſdem ſpeciei individuo productum, impropriè & per accidens conſervare, removendo ſcilicet contraria; quo pacto unus ignis conſervat calorem ab alio igne productum, removendo videlicet frigus calori contrarium, concedo: unum individuum poteſt eundem numero effectum, ab alio ejuſdem ſpeciei individuo productum, propriè & per ſe conſervare, nego; actio namque propriè ac per ſe conſervativa effectus, debet eſſe ipſa actio, qua primò productus eſt, actio inquam ipſa, ut continuata; unde mirum non eſt, ſi effectus ab uno individuo productus, non poſſit idem numero per actionem alterius individui ejuſdem ſpeciei propriè ac per ſe conſervari, ſicut nec produci.

Objicies 4. unum individuum poteſt eundem numero effectum ab alio ejuſdem ſpeciei individuo productum intendere; ſic v. g. poteſt unus ignis eundem numero calorem ab alio igne productum

ductum intendere : ergo & producere; est quippe idem numero effectus, productus, & intensus.

Respondeo concesso ant. negando conseq. licèt enim sit idem entitativè *effectus*, productus, & intensus, non tamen modaliter ; effectus namque, ut intensus, novum addit modum entitati effectus, ut primò productæ (*ut infrà* suo loco dicetur) ; adeò ut entitas effectus uni respondeat causæ, (scilicet ei, à qua primò producta est) & intensionis modus alteri correspondeat causæ (videlicet illi, à qua effectus fuit intensus).

Objicies 5. possunt duo corpora habere divisim aut scorsim eandem numero præsentiam eodem in loco, nempè per motus ad eundem locum terminatos : ergo pariter possunt divisim duæ causæ totales ejusdem generis & ordinis eundem numero producere effectum, nempè per actiones ad ipsum terminatas.

Respondeo negando ant. sicut enim *diversæ* numero actiones plurium causarum totalium ejusdem generis & ordinis, diversos numero necessariò producunt effectus : sic etiam diversi numero motus locales duorum vel plurium corporum, ad diversas numero præsentias locales necessariò terminantur.

Objicies 6. potest idem numero Christi Corpus à pluribus Sacerdotibus, ut à causis totalibus, divisim Sacramentaliter effici ; sicque de facto sæpè contingit : ergo potest idem numero effectus à pluribus causis totalibus ejusdem generis & ordinis divisim produci.

Respondeo negando ant. quamvis etenim tunc idem numero sit entitativè, aut in ratione entis, Corpus Christi ; est tamen Sacramentaliter, vel in ratione effectus Sacramentalis, numero multiplex ; quia fit

Sa-

Sacramentaliter ex multiplici numero pane.

Inſtabis : poteſt Sacramentaliter ex eodem numero pane à pluribus Sacerdotibus diviſim effici Corpus Chriſti : ergo ſaltem tunc erit idem numero etiam Sacramentaliter Chriſti Corpus.

Reſpondeo negando conſeq. nam ut Sacramentaliter ſit idem numero Corpus Chriſti, ſatis non eſt, ut ex eodem numero pane fuerit factum ; ſed præterea opus eſt, ut eadem numero actione Sacramentali fuerit effectum : fieret autem tunc Chriſti Corpus à pluribus Sacerdotibus ex eodem quidem pane, at per diverſas numero actiones conſecratorias ſeu Sacramentales.

Objicies 7. non apparet, quomodo calor intenſus ſecundùm octo gradus, qui ab iſto igne productus eſt, fuiſſet numero diverſus, ſi ab alio igne æquè intenſo in eodem ſubjecto diviſim productus fuiſſet : tum maximè, quia eodem manente ſubjecto, manet accidens idem numero ; quoniam accidens unitatem numericam ſumit à ſubjecto, ex ipſa Thomiſtarum doctrina.

Reſpondeo, quòd calor intenſus ſecundùm octo gradus, qui ab iſto igne productus eſt, fuiſſet numero diverſus, ſi ab alio igne æquè intenſo, in eodem ſubjecto diviſim productus fuiſſet ; quia per aliam actionem numero diverſam fuiſſet effectus. Unde quamvis tunc idem materialiter aut entitativè extitiſſet ſubjectum, fuiſſet tamen formaliter diverſum, propter reſpectum ad diverſam numero actionem ; accidens autem ſumit unitatem numericam, non à ſubjecto materialiter ſumpto, ſed à ſubjecto formaliter uſurpato.

Objicies 8. Petrus & Paulus poſſunt diviſim eandem numero inferre mortem : ergo & eundem numero effectum producere.

Re-

Respondeo concesso ant. negando conseq. nam mors non est propriè effectus, sed potiùs est destructio effectus; ut autem habet commune adagium: *Plura requiruntur ad producendum, quàm ad destruendum:* ideòque licèt Petrus & Paulus possint divisim eumdem numero effectum destruere, v. g. idem numero animal occidere, eandemque numero mortem ipsi inferre; non sequitur tamen, ut eumdem numero effectum divisim possint producere.

Instabis: si Petrus & Paulus possunt divisim idem numero animal occidere, sequitur quòd possint divisim idem numero cadaver (proindeque eumdem numero effectum) producere.

Respondent communiter Thomistæ negando sequelam; occidens quippe animal, propriè & per se, non producit cadaver, sed impropriè solùm & per accidens; nimirum tamquam removens prohibens, quatenùs nempè removet aut expellit formam animalis, sive ipsius animam, ad quam expulsionem statim sequitur cadaveris productio à prædominante elemento (cujus scilicet qualitates in cadavere prævalent,) sicut à causa particulari principali & per se, & à Cœlis ut à causis universalibus, atque à Deo ut à prima & universalissima causa.

Objicies 9. saltem una causa creata universalis potest sola effectum alterius causæ creatæ particularis eumdem numero divisim producere: sic v. gr. sol potest solus calorem ab igne producibilem eumdem numero divisim efficere; quod sic probo: sol tamquam causa superior & æquivocа eminenter continet potentiam calefactivam ignis ergo sol potest solus calorem ab igne producibilem eumdem numero divisim efficere.

Respondeo negando, unam causam creatam universalem solam, posse effectum alterius causæ creatæ particularis eumdem numero divisim producere; cum enim quælibet causa universalis creata sit finita, non continet eminenter particulares

ſiti. Motus inſuper dicitur *actus entis in potentia*, quoniam ſubjectum, dum movetur, nondum habet, ſaltem completè, actum, ad quem velut ad terminum, per motum tendit. Denique dicitur, motum eſſe *actum entis prout in potentia*, ſive (quod idem eſt) eſſe actum entis aut ſubjecti tendentis ad actum, ad quem eſt in potentia; neque etenim ſubjectum moveri cenſetur, niſi prout reipſa tendit ad actum, vel ad formam, aut ad terminum, ad quem eſt in potentia, & ad quem acquirendum pergit.

Clariùs ſic definitur motus: *Motus eſt actualis tendentia mobilis ad terminum*. Bonitas tamen definitionis motus ex Philoſopho allatæ, ex eò patet, quòd exprimit, & genericam ſeu communem motus rationem, in qua cum termino convenit, & illius à termino differentiam; in eo enim, quòd motus ſit *actus*, convenit cum termino, qui etiam *actus* eſt; in eo verò, quòd motus ſit actus imperfectus, incompletus, & tranſiens, per modum tendentiæ fluentis, differt à termino, qui utplurimùm eſt actus perfectus, completus, & permanens; ut patet in calore, ad quem per motum calefactionis aqua movetur.

Quærunt 1. hìc Philoſophi, an allata motus definitio conveniat motui inſtantaneo? Circa quod notandum eſt, motum eſſe duplicem; alius namque eſt ſucceſſivus, in quo nimirum ſucceſſivè *terminus à quo* relinquitur, & *terminus ad quem* acquiritur; talis eſt motus localis, in quo ſucceſſivè unus locus deſeritur, & alius comparatur. Alius eſt motus inſtantaneus, in quo ſimul eodem inſtanti reali *terminus à quo* relinquitur, & *terminus ad quem* acquiritur: talis eſt aeris illuminatio; eodem quippe reali momento aer, & à tenebris recedit, & lucem acquirit.

Allatam motus definitionem convenire motui ſucceſſivo, certiſſimum eſt. Illam verò non compete-

petere motui instantaneo, docent aliqui; asserit tamen D. Thomas 3. Physic. lect. 2. & 5. Physic. lect. 2. definitionem illam posse motui instantaneo accommodari; licèt enim eodem instanti reali sint in mobili, & instantaneus motus, & ejus terminus; attamen sunt veluti duo instantia naturæ vel rationis: in quorum primo, apprehendimus in mobili instantaneum motum, & in secundo, concipimus terminum acquisitum; ideòque mobile in primo instanti naturæ apprehenditur, prout in potentia & tendentia ad terminum, proindèque concipitur in ipso motus instantaneus, tamquam actus entis in potentia, prout in potentia (id est, prout in tendentia)

Quærunt 2. hic Philosophi, utrum eadem definitio motus propriè competat iis actionibus, quæ *immanentes* appellantur, ut sunt *intellectio*, *visio*, &c.

Respondet negativè D. Thomas 3. de anima cap. 7. text. 28. lect. 12. ut enim egregiè ait Doctor Sanctus, motus, secundùm allatam definitionem suam, est actus imperfectus subjecti ad ulteriorem actum tendentis; actio autem immanens est actus sui subjecti ultimus atque perfectus: sic v. g. *intellectio* est actus ultimus & perfectus intellectus: sic *visio* est actus ultimus ac perfectus visivæ potentiæ; &c. Quia tamen inter actiones immanentes, quædam sunt, quæ aliquem efficiunt terminum, ad quem proinde tendunt; (intellectio etenim cujuslibet objecti creati producit *verbum*, quod est expressa objecti imago, & internus intellectionis terminus, ut in lib. de Ani. exponetur) dici potest, actiones illas, prout terminum ulteriorem producunt, & ad eum tendunt, esse quodammodò motus, ipsique definitionem motus aliquo modo convenire; eo simili modo, quo de motibus instantaneis dictum est.

Quærunt 3. hic Philosophi, quonam modo

diſtinguantur inter ſe motus, actio, paſſio, & terminus. Reſpondeo 1. motum diſtingui realiter ab actione, paſſione, & termino. Quòd in primis motus realiter ab actione & paſſione diſtinguatur, ſic declaratur: ens realiter incompletum diſtinguitur realiter ab ente realiter completo; nam tunc unum realiter diſtinguitur ab alio, quando unum realiter non eſt aliud: conſtat verò, ens realiter incompletum, realiter non eſſe ens realiter completum: atqui motus eſt ens realiter incompletum; etenim, ut ex Ariſtotele diximus, motus eſt actus realiter imperfectus, incompletus, & tranſiens, per modum puræ viæ & tendentiæ fluentis ad terminum: actio autem & paſſio ſunt entia realiter completa, quia actio (ſcilicet tranſiens & prædicamentalis, de qua nunc loquimur) directè in prædicamento *actionis* ponitur, & paſſio directè in prædicamento *paſſionis* collocatur; una autem ex conditionibus apud Philoſophos requiſitis, ut aliquid directè in prædicamento ponatur, eſt, ut ſit ens realiter completum: ergo &c.

Ex quo inferes, falſum eſſe, quod aliqui aſſerunt, ſcilicet, eamdem eſſe realiter motus, actionis, & paſſionis, entitatem. Id inquam eſſe falſum, ex eo conſtat, quòd entis realiter incompleti, & entis realiter completi, non eſt realiter eadem entitas, ut patet; entitas quippe entis realiter incompleti, eſt realiter incompleta; entitas verò entis realiter completi, eſt realiter completa: entitas autem realiter incompleta, & entitas realiter completa, non ſunt una & eadem realiter entitas; ut conſtat: motus autem eſt ens realiter incompletum, actio verò & paſſio, ſunt entia realiter completa; ut probatum eſt.

Dices 1. ſi motus, actio, & paſſio, eandem realiter non habent entitatem: ergo motus entitativè ab actione & paſſione diſtinguitur; quod apud Thomiſtas inauditum eſt; aſſeverant quippe

pe communiter Thomistæ, motum modaliter solùm ab actione & passione distingui.

Respondeo, posse dupliciter contingere, ut aliqua entitativè distinguantur. Primò strictè; quando nimirum sunt res aut entitates completæ ante omnem intellectus operationem distinctæ; & hoc modo motus entitativè ab actione & passione non distinguitur. Secundò, aliqua possunt entitativè distingui latè, quando nempè diversas realiter habent entitates, qualescumque tandem (etiam præcisè modales & incompletas,) & hac ratione motus entitativè ab actione & passione distinguitur.

Dices 2. ex D. Thoma 1. p. q. 45. a. 2. *actio & passio conveniunt in substantia* (id est, in entitate) *motus, & differunt solùm secundùm diversas habitudines*. Quibus verbis (quæ aliis in locis sæpè repetit) docere videtur, eamdem esse actionis, passionis, & motus entitatem.

Respondeo, actionem & passionem convenire in substantia, sive in entitate motus, non per identitatem realem, sed per similitudinem quandam; sicut enim substantia seu entitas motus est aliquid successivum, ita simili modo entitas actionis vel passionis est aliquid successivum; sub diversa tamen habitudine; motus quippe dicitur per habitudinem seu respectum ad terminum, actio per habitudinem ad agens, & passio per habitudinem ad passum. Et cum hac distinctione, atque in isto sensu, explicandus est D. Thomas.

Dices 3. frequenter asserit D. Thomas, actionem & passionem esse unum numero motum: ergo ex D. Thoma eamdem habent cum motu entitatem.

Respondeo, actionem & passionem esse unum numero motum concomitanter, quatenùs ad actionem & passionem sufficit unus numero motus, quem comitantur; at nego, actionem & passionem esse entitativè unum numero motum;

tum; ita ut motus actionis, & paſſionis, ſit realiter eadem numero entitas.

Dices 4. dicitur communiter, *Actionem eſſe motum, ut ab agente*, & *paſſionem eſſe motum, ut in paſſo*: ergo actio & paſſio eamdem habent cum motu entitatem.

Reſpondeo cum diſtinctione. Quando itaque dicitur, *actionem & motum, ut ab agente*, & *paſſionem eſſe motum, ut in paſſo*; non accipitur ibi *motus* modo ſpeciali, prout ab actione & paſſione diſtinguitur; ſed ibi ſumitur *motus* modo quodam generali, pro ente ſucceſſivo: undè ſenſus eſt, actionem eſſe ens ſucceſſivum, ut ab agente, & paſſionem eſſe ens ſucceſſivum, ut in paſſo.

Quòd verò motus realiter à termino diſtinguatur, ſic declaratur: duplex eſt terminus motus, ſcilicet *terminus à quo*, & *terminus ad quem*: atqui motus realiter ab uttoque illo termino diſtinguitur: ergo &c. Prob. min. & in primis motus realiter à *termino à quo* diſtinguitur; quia motus realiter relinquit *terminum à quo*, ut ad *terminum ad quem* pergat. Diſtinguitur quoque realiter motus à *termino ad quem*; quoniam realiter ceſſante motu, *terminus ad quem* realiter permanet; ſic v. g. realiter deſinente calefactionis motu, calor in ligno realiter perſeverat.

Præterea, quòd actio, & paſſio, realiter ab invicem diſtinguantur, ſic oſtenditur: Quæ genere differunt, realiter diſtinguuntur; diſtinctio namque generica major eſt diſtinctione ſpecifica, ſicut diſtinctio ſpecifica major eſt numerica; conſtat verò, ea realiter diſtingui, quæ vel ſpecie, vel numero differunt: atqui actio & paſſio genere differunt, cùm in diverſis ſgeneribus, ſive in diverſis prædicamentis collocentur; actio quidem in prædicamento *actionis*, & paſſio in prædicamento *paſſionis*: ergo &c. Ex quo infertur, terminum quoque realiter ab actione, & paſſione, diſtingui, quia etiam in alio ponitur

præ-

prædicamento; etenim, ut infrà patebit, terminus motus, vel est *quantitas*, vel *qualitas*, vel *ubi*, quæ à prædicamentis actionis & passionis diversa sunt.

Quærunt 4. hic Philosophi, quonam modo effectus, & terminus, distinguantur? Respondeo breviter, idem realiter esse effectum & terminum, sub rationibus virtualiter diversis: etenim idem realiter calor, v. g. prout efficitur ab igne, appellatur *effectus*; prout verò terminat calefactionis motum, *terminus* nuncupatur.

Articulus Secundus.

Quodnam sit motus & actionis subjectum?

§. I.

In quo subjectetur motus?

ADvertendum est, idem esse realiter *mobile*, & *passum*, sub rationibus ad summum virtualiter distinctis. Idem quippe realiter subjectum, prout effectum ab agente recipit, dicitur *passum*; prout verò à *termino à quo*, ad *terminum ad quem*, transit, *mobile* nominatur: sic, v. grat. idem realiter lignum, prout calorem ab igne accipit, est *passum*; prout verò à frigore ad calorem transit, *mobile* vocatur. Hoc præmisso.

Dico 1. omnis motus subjectatur in mobili. Hæc conclusio est communis, contra paucos asserentes, motum localem subjectari in spatio.

Prob. 1. ex Aristotele in hoc lib. cap. 2. ubi sic fatur: *Idem motus est actus motivi* (seu moventis) *& mobilis*; *motivi quidem*, *ut à quo* (efficienter procedit) *mobilis verò*, *ut in quo* (subjectatur.) Et ibidem sic iterum definit motum: *Motus est actus mobilis, prout mobile est*. Quæ verba explicans D. Thomas ibi lect. 4. sic

ait: *Manifeſtum eſt, quòd actus cujuslibet eſt in eo, cujus eſt actus; & ſic manifeſtum eſt, quod actus motus eſt in mobili, cùm ſit actus mobilis.* Quibus verbis Ariſtoteles & D. Thomas hanc fundamentalem concluſionis noſtræ tradunt rationem. Qua

Prob. 2. Actus ſubjectatur in eo, cujus eſt actus: atqui motus eſt actus mobilis, ut patet ex motus definitione modò ex Ariſtotele allata; & ex alia, quam *à præcedenti*, ex eodem Philoſopho attulimus: ergo &c. Præterea, ſi aliquis motus non ſubjectaretur in mobili, maximè localis motus, quem nonnulli exiſtimant ſubjectari in ſpatio: atqui motus localis ſubjectatur in mobili, non autem in ſpatio: ergo &c. Prob. mi. motus localis ſubjectatur in eo, cui formalem ſuum præbet effectum; formalis quippe effectus formæ, eſt ipſa forma ut ſubjecto communicata: atqui motus localis formalem effectum ſuum præbet mobili, non autem ſpatio; nam ſicut formalis effectus albedinis, eſt conſtituere ſubjectum album; ita formalis effectus motus localis, eſt conſtituere ſubjectum localiter motum: conſtat verò eſſe corpus mobile, quod per localem motum actualem conſtituitur localiter motum; neque enim ſpatium, ſed corpus mobile in ſpatio de uno loco ad alium movetur: ergo &c.

Unum eſt, quod ſic objiciunt adverſarii: motus localis ſubjectatur in eo, in quo eſt ejus terminus: atqui terminus motus localis, nempè locus (inquiunt) eſt in ſpatio, & non in mobili: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. motus localis ſubjectatur in eo, in quo eſt ejus terminus intrinſecus & proximus, concedo: in quo eſt ejus terminus extrinſecus & remotus, nego. *Locus* autem eſt ſolùm extrinſecus & remotus motus localis terminus, intrinſecus verò & proximus ejus terminus eſt *ubi*, quod in corpore mobili & locato intrinſecè ſubjectatur; ut oſtenſum eſt

in Logica. Sed de subjecto motus satis, de eo namque vel nulla, vel parva difficultas est; at de subjecto actionis, celebris est controversia, & multiplex sententia.

§. II.

Variæ de subjecto actionis transeuntis sententiæ referuntur, & quæ vera sit atque eligenda, declaratur.

PRima sententia docet, actionem, etiam transeuntem, esse in agente, tamquam accidens in subjecto. Ita subtilis Doctor cum suis omnibus Discipulis: eandem tuentur sententiam, Cajetanus, Nazarius, & alii ex Thomistis. Secunda sententia asserit, actionem immanentem esse quidem in agente, sed actionem transeuntem subjectari in passo. Ita Ferrariensis, Dominicus de Soto, Masius, Soncinas, Carmelitæ Complutenses, Cosmas de Lerma, & alii Thomistæ communiter. Tertia tamdem sententia est Joannis à S. Thoma, docentis, actionem transeuntem integrari ex duplici entitate modali, seu ex duabus formalitatibus (ordine quodam) quarum una est in agente, & altera in passo; unde ait, actionem transeuntem *inchoativè* subjectari in agente, & *completivè* vel *consummativè* in passo. Pro secunda sententia

Dico 2. Actio propriè & formaliter transiens, adæquatè secundùm entitatem suam subjectatur in passo.

Prob. 1. ex Aristotele, qui 3. de Anima text. 138. sic fatur: *Agentis moventisque operatio in ipso patiente suscipitur atque inest; atque adeò actio & passio non in agente est, sed in eo, quod patitur.* Et text. 139. *Igitur* (inquit) *motus, & actio, & passio est in eo, quod movetur & patitur.* Et paulò post: *Activi* (seu agentis) *actus in patiente fit.* Et text. 140. ait: *Actio & passio in*

patiente eſt, & non in agente. Et ita alibi ſæpè. Quæ omnia teſtimonia ſunt ipſa luce clariora.

Prob. 2. ex D. Thoma, qui 3. Phyſic. textu 20. lect. 5. hæc ſcribit: *Licèt actio ſit ab agente ut à quo; eſt tamen in patiente, tamquam recepta in eo.* Et 3. de anima text. 138. exponens Philoſophum, ſic ait: *Probat* (ſcilicet Ariſtoteles) *quod ſuppoſuerat ex his, quæ ſunt oſtenſa in 3. Phyſ. ibi enim oſtenſum eſt, quòd tam motus, quàm actio, vel paſſio, ſunt in eo, quod agitur, id eſt, in mobili & patiente.* Et 1. p. q. 18. art. 3. ad 1. hæc habet: *Sicut dicitur in Metaph. duplex eſt actio, una quæ tranſit in exteriorem materiam, ut calefacere, & ſecare; alia quæ manet in agente, ut intelligere, ſentire, & velle; quarum hæc eſt differentia, quia prima actio non eſt perfectio agentis, quod movet, ſed ipſius moti; ſecunda autem actio eſt perfectio agentis.*

Ex qua doctrina ſic argumentor: ſi actio agentis, quæ tranſit in exteriorem materiam, quæque *formaliter tranſiens* appellatur, eſſet in agente, velut in ſubjecto, foret perfectio agentis, ut patet; quælibet enim forma eſt ſui ſubjecti perfectio: atqui ex D. Thoma, actio illa non eſt perfectio agentis (ſeu moventis) ſed moti (ſeu paſſi) ergo &c.

Reſpondent communiter adverſarii, Ariſtotelem & D. Thomam aſſerentes, actionem tranſeuntem non ſubjectari in agente, ſed in paſſo, loqui de actione tranſeunte, non formaliter ſumpta, quantùm ad formalem entitatem ſuam; ſed terminativè, quantùm ad terminum ejus in paſſo productum uſurpata.

Sed contra hanc reſponſionem eſt apertiſſimum D. Thomę teſtimonium depromptum ex 1. 2. q. 3. art. 2. ad 3. ubi ſic fatur: *Ad tertium dicendum, quòd ſicut dicitur in 9. Metaph.* (text. 16. tom. 3.) *duplex eſt actio; una, quæ procedit ab operante in exteriorem materiam, ſicut urere & ſecare; & talis operatio non poſſet eſſe beatitudo,*

nam

tum talis operatio non est actio & perfectio agentis; sed magis, patientis; ut ibidem dicitur: alia est actio manens in ipso agente, ut sentire, intelligere, & velle; & hujusmodi actio est perfectio & actus agentis; & talis operatio potest esse beatitudo. Hæc D. Thomas.

Ubi loquitur S. Doctor de actione transeunte formaliter sumpta; de ea namque loquitur, secundùm quòd de ipsa posset esse difficultas, an esse possit formalis beatitudo (ut patet in textu) evidentissimum autem est, actionem aliquam non posse esse formalem beatitudinem, si terminativè & veluti objectivè sumatur (sic enim potiùs esset objectiva beatitudo) sed duntaxat si formaliter accipiatur: loquitur ergo Angelicus Doctor allatis in verbis de actione transeunte formaliter considerata; & nihilominus de illa dicit ex Philosopho lib. 9. Metaph. citato, quòd consit perfectio agentis, sed patientis; proindèque, quòd non subjectetur in agente, sed in patiente, sive in passo.

Neque duntaxat Aristoteles & D. Thomas doctissimi præceptores nostri asseverant, actionem transeuntem formaliter sumptam subjectari in passo, sed id quoque docet Scotus adversariorum Antesignanus; nam in 1. sent. dist. 3. quæst. 6. num. 35. §. ad argumenta principalia, enumerans proprietates actionis transeuntis, scribit: *Secunda proprietas est, quòd est circa aliquid (scilicet circa passum) circa quod operatur, in quo est, ut in subjecto; nam actio non est in agente, sed in passo: tertia proprietas est circa aliquem terminum, ad quem terminatur, qui esse accipit per eam.* Ubi subtilis Doctor actionem transeuntem duobus accipit modis, primò formaliter, secundò terminativè seu ex parte termini; asseritque illam primo modo sumptam non esse in agente, sed in passo velut in subjecto. Videant adversarii Scotistæ, ne à magistro suo hac in parte recedant.

Res-

Reſpondent 2. alii, etiam ex Thomiſtis, actionem tranſeuntem dupliciter accipi poſſe; nimirum phyſicè, vel metaphyſicè. Actio tranſiens phyſicè ſumpta apud ipſos, eſt motus ut ab agente in paſſo cauſatus atque receptus, qui eſt phyſica productio termini ab agente in paſſo effecti. Actio verò tranſiens metaphyſicè ac eſſentialiter accepta apud eoſdem authores, eſt actualitas quædam, ſeu perfectio, ſive cauſalitas agentis, qua virtus ejus activa de actu primo ad actum ſecundum agendi transfertur. Quando igitur (inquiunt) Ariſtoteles & D. Thomas aſſerunt, actionem tranſeuntem ſubjectari in paſſo, hoc de actione tranſeunte phyſicè ſumpta intelligendum eſt, non verò de ipſa metaphyſicè ſpectata; de qua duntaxat (inquiunt iidem authores) nunc eſt ſermo.

Sed contrà ſic in primis argumentor: D. Thomas, præſertim in duobus ultimis locis, loquitur de actione tranſeunte, ut eſt perfectio ſeu actualitas quædam (ut conſtat ex verbis allatis) proindèque ſermonem habet de actione tranſeunte metaphyſicè ſumpta. Deindè, id quod adverſarii illi vocant actionem tranſeuntem phyſicè ſumptam, eſt aliquid in paſſo cauſatum ſeu productum per actionem tranſeuntem eſſentialiter conſideratam (ut ultrò fatentur) eſtque conſequenter aliquis effectus ſive terminus per actionem tranſeuntem in paſſo productus: ac proinde, dicere, actionem tranſeuntem phyſicè acceptam ſubjectari in paſſo, idem eſt, ac ſi diceretur, actionem tranſeuntem terminativè ſumptam ſubjectari in paſſo: conſtat verò ex ultimo D. Thomæ teſtimonio, actionem tranſeuntem, non tantùm terminativè, ſed etiam formaliter (ſubindèque eſſentialiter) ſpectatam, eſſe in paſſo velut in ſubjecto.

Prob. 3. ratione fundamentali, quam tradunt Ariſtoteles & D. Thomas locis citatis: ſi actio formaliter & propriè tranſiens, ab immanente diſtin-

distincta, subjectaretur in agente, & non in passo, in agente remaneret : atqui actio formaliter & propriè transiens, ab immanente distincta, non remanet in agente ; alioquin foret immanens, quod planè absurdum est : ergo &c.

Respondent communiter adversarii, actionem formaliter & propriè transeuntem, ab immanente distinctam, in agente remanere, quantùm ad totam entitatem suam intrinsecam ; transire verò ad passum, in eoque recipi, ratione solius termini.

Sed contra hanc responsionem multipliciter instatur. Primò namque juxta hanc responsionem, tota entitas actionis transeuntis remanet in agente, & solus ejus terminus ad passum transit : ergo tota actio, quæ transiens appellatur, immanens est, & solus ipsius terminus transiens est.

Deinde hìc agimus de actione formaliter & propriè transeunte ; actio autem, quæ transit ad passum, solùm ratione termini, non est formaliter transiens, sed virtualiter tantùm ; quia non transit secundùm formalem & intrinsecam entitatem suam, sed duntaxat secundùm terminum seu effectum, in quo virtualiter solùm continetur. Hinc actiones Dei ad extra, quibus creaturas efficit, non formaliter transeuntes, sed virtualiter tantùm transeuntes, à Theologis appellantur ; quia secundùm formalem & intrinsecam entitatem suam ad extra non transeunt, sed duntaxat secundùm terminos, seu effectus ad extra productos, in quibus virtualiter tantummodò contineri censentur.

Denique, actio formaliter & propriè transiens, intrinsecè differt ab immanente (ut clarum est, cùm prædicamentaliter, & ita genericè, proindèque intrinsecè, ab illa distinguatur), & sic est intrinsecè transiens ; debet igi-

tur

tur intrinſecè ad paſſum tranſire (ſicut actio immanens debet intrinſecè in agente immanere , quia intrinſecè immanens eſt) ergo tranſit ad paſſum ſecundùm intrinſecam entitatem ſuam , non autem ſolùm ſecundùm extrinſecum terminum .

Prob. 4. evertendo unum ex præcipuis adverſariorum fundamentis : idcircò putant adverſarii , actionem tranſeuntem debere ſubjectari in agente , quia eſt cauſalitas agentis: atqui hæc ratio nulla eſt ; imò verò cauſalitas agentis ſubjectatur in paſſo : ergo &c. Prob. min. in eo ſubjectatur cauſalitas agentis, in quo agens ſuam exercet cauſalitatem: atqui agens ſuam exercet cauſalitatem in paſſo , in eo effectum ſuum producendo; ſic ver. gr. ignis ſuam exercet cauſalitatem in ligno , in ipſo calorem efficiendo : ergo &c.

Reſpondent adverſarii , cauſalitatem agentis exerceri quidem in paſſo terminativè (ratione termini in eo per agentis cauſalitatem producti) non tamen formaliter & entitativè , ita ut formalis , propriaque ipſius entitas , ſit in paſſo ſubjectata .

Sed contrà ſic argumentor : debet eſſe in paſſo , non ſolùm terminus per cauſalitatem agentis productus , ſed etiam eſſe debet id , quo terminus iſte in paſſo producitur ; alioquin hic terminus in paſſo non produceretur : atqui id , quo terminus aut effectus producitur , eſt formaliter aut entitativè ipſa agentis cauſalitas : ergo &c.

Prob. 5. & ſimul ſubvertitur aliud adverſariorum fundamentum : forma ſubjectatur in eo , quod intrinſecè denominat ; ut evidens eſt : atqui actio formaliter tranſiens denominat intrinſecè paſſum ; ſic verb. grat. caleſactio denominat lignum intrinſecè calefactum: ergo &c.

Reſpondent adverſarii , lignum denominari in-

intrinsecè calefactum à calore ab igne producto, & in ipso ligno recepto.

Sed contrà sic argumentor: aliud est, lignum esse calidum, aliud ipsum esse calefactum; lignum enim esse calidum, est aliquid permanens; lignum verò esse calefactum, est aliquid transiens; unde transacta calefactione, & calore in ligno remanente, lignum permanet quidem calidum, sed non denominatur ampliùs calefactum: lignum itaque denominatur quidem intrinsecè calidum à calore permanente, sed denominatur intrinsecè calefactum à calefactione transeunte, recepta in ipso, in ipsoque subjectata.

Nec arridet sententia Joannis à S. Thoma docentis, (ut suprà ex ipso retulimus) actionem transeuntem integrari ex duabus entitatibus modalibus, quarum una sit in agente, altera in passo. Non arridet, inquam; actio namque transiens (utpote ens prædicamentale) debet esse ens per se unum; non apparet autem, quomodò ex duabus entitatibus in diversis subjectis positis possit aliquid per se unum fieri.

Nec valet, si respondeat Joannes à S. Thoma, non posse quidem ex entitatibus non ordinatis fieri unum per se, benè tamen ex entitatibus in diversis quidem subjectis positis, sed nihilominùs ordinatis, quarum nempè una ordinatur ad alteram; quales sunt entitates illæ, in quibus (inquit) consistit actio transiens, & quarum una est in agente, & altera in passo; prima etenim (inquit) ordinatur ad secundam. Non valet, inquam; esto enim prima entitas, quæ (secundùm illum auctorem) in agente est, ordinetur ad secundam, quæ (secundùm eundem auctorem) in passo subjectatur; attamen prima ordinatur ad secundam, sicut ad terminum, quem efficit; (ut ultrò concedit Joannes à S. Thoma) & ita prima ordinatur ad se-

ſecundam, ſicut cauſa efficiens ad effectum ſuum: quis autem, præſertim Thomiſtarum, unquam dixit, ex cauſa efficiente, & ex effectu, poſſe fieri unum per ſe?

§. III.

Satisfit Adverſariorum objectis.

OBjiciunt 1. plura & difficilia D. Thomæ teſtimonia. Primum ſumitur ex S. Doctore in 2. diſt. 40. q. 1. art. 4. ad 1. ubi hæc ſcribit: *Cùm actio ſit in agente, & paſſio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens, quod eſt actio, & quod eſt paſſio; cùm unum accidens non poſſit eſſe in diverſis ſubjectis.*

Secundum deſumitur ex 2. contra Gent. cap. 9. ratione 4. *Actio* (inquit) *quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubjecto; unde & actio inter novem prædicamenta accidentis computatur.*

Tertium accipitur ex qu. 7. de potent. a. 9. ad 7. *Actio* (inquit) *ex hoc, quòd eſt actio, conſideratur ut ab agente; inquantum verò accidens eſt, conſideratur ut in ſubjecto agente.*

Quartum colligitur ex q. 8. de potent. a. 2. *Nihil prohibet* (inquit) *aliquid eſſe inhærens, quod tamen non ſignificatur, ut inhærens; ſicut etiam actio non ſignificatur, ut in agente, ſed ab agente: & tamen conſtat, actionem eſſe in agente.* Hæc D. Thomas.

Reſpondeo, agens poſſe duobus modis accipi; ſcilicet in recto, vel in obliquo ſeu de connotato. Tunc agens ſumitur in recto, quando immediatè in ſe conſideratur: tunc verò accipitur in obliquo ſeu de connotato, quando ſpectatur paſſum formaliter, prout connotat agens. Quando igitur aſſerit Div. Thomas, actionem tranſeuntem inhærere agenti ſicut ſubjecto, non loquitur de agente accepto in recto, ſed de ipſo

in

in obliquo & deconnotato; ita ut velit duntaxat S. Doctor, actionem transeuntem inhærere passo, non quomodocumque sumpto, sed ipsi formaliter, ut connotat agens (in quo differt à passione, quæ inhæret passo, prout connotat effectum, quem passivè recipit.) Hinc Doctor Sanctus quæst. 7. de potentia citata appellat subjectum actionis transeuntis, *subjectum agens*, id est, subjectum formaliter ut connotat agens.

Objiciunt 2. ex Aristotele 3. de Anima textu 26. *actus subjectatur in eo, cujus est actus*: atqui actio transiens est actus agentis: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. *actus subjectatur in eo, cujus est actus*: cujus *ut subjecti*, in quo recipitur, concedo: cujus *ut principii*, à quo procedit, nego; actio autem transiens est actus agentis, non ut subjecti, in quo recipitur; sed ut principii, à quo procedit.

Instant 2. ex Aristotele lib. de somno & vigilia cap. 1. *in eo est actus, in quo est potentia*: ergo cùm potentia sit in agente, etiam actus, sive actio transiens, est in agente.

Respondeo distinguendo ant. in eo est actus, in quo est potentia passiva, concedo: in eo est actus, in quo est potentia activa, nego. Quamvis verò potentia activa, sive potentia agendi, sit in agente; passiva tamen potentia, sive potentia patiendi, vel recipiendi, non est in agente, sed in passo.

Ex quo solvitur commune istud Adversariorum argumentum: ea forma intrinsecè est in agente, qua intrinseca agentis potentia ad actum reducitur: atqui per actionem transeuntem intrinseca agentis potentia ad actum reducitur: ergo &c. Solvitur, inquam, sic distinguendo ma. ea forma intrinsecè est in agente, qua intrinseca agentis potentia passiva ad actum reducitur, concedatur: qua intrinseca agentis potentia acti-

va

va ad actum reducitur, negatur; nam ut intrinſeca agentis potentia activa, prout activa eſt ad actum reducatur, neceſſe non eſt, ut patiatur per id, quo agens in actu ſecundo conſtituitur; (pati ſiquidem, ad potentiam activam, ut activa eſt, non pertinet, ſed duntaxat ad potentiam paſſivam) proindeque non eſt neceſſe, ut eam recipiat formam, (tanquam in ipſa, aut in agente, exiſtentem & ſubjectam) qua ad actum ſecundum reducitur, ſive in actu ſecundo agendi conſtituitur; (*recipere enim, apud Philoſophos, eſt quoddam pati*) ſed eſt ſatis, ut per illam in actu ſecundo producat effectum in paſſo. Per actionem verò tranſeuntem, intrinſeca quidem agentis potentia activa, ad actum ſecundum agendi reducitur, ſive in actu ſecundo agendi conſtituitur; at non intrinſeca ejus potentia paſſiva.

Dices cum Adverſariis: dum agens tranſeuntem elicit actionem, intrinſecè mutatur, tranſeundo de potentialitate & ſuſpenſione ad actuale agendi exercitium: ergo actionem tranſeuntem in ſe intrinſecè recipit; neque enim ſubjectum intrinſecè mutari poteſt, niſi aliquid in ſe intrinſecè recipiat.

Reſpondeo, conceſſo ant. negando conſeq. nam dum agens tranſeuntem elicit actionem, intrinſecè quidem mutatur; at non ratione actionis tranſeuntis, ſed ratione phyſicæ præmotionis, qua de potentialitate & ſuſpenſione ad actuale agendi exercitium transfertur; unde debet quidem intrinſecè phyſicam præmotionem in ſe recipere, at actionem tranſeuntem in ſe intrinſecè recipere non debet.

Dices rurſus: licèt potentia activa agentis applicativè conſtituatur intrinſecè in actu ſecundo agendi, per phyſicam præmotionem, non tamen formaliter & completè; ſed id per ſolam actionem tranſeuntem præſtatur: ergo debet intrinſecè actionem tranſeuntem in ſe recipere.

Reſ-

Respondeo negando 2. p. ant. quamvis etenim physica præmotio applicativè solùm constituat intrinsecè potentiam activam agentis in actu secundo agendi, non sequitur tamen, quòd ipsa activa agentis potentia debeat intrinsecè formaliter & completè constitui in actu secundo agendi, per actionem formaliter transeuntem; sed satis est, ut per illam, formaliter quidem, & completè, sed extrinsecè tantùm, in actu secundo agendi constituatur, videlicet per modum principii efficientis & extrinseci, à quo actio formaliter transiens ipsa procedit.

Instant 2. perfectio subjectatur in eo, cujus est propria perfectio: atqui ex D. Thoma qu. 5. de potent. ar. 10. ad 1. & 2. contra gent. cap. 9. actio formaliter transiens est propria perfectio agentis: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. perfectio subjectatur in eo, cujus est propria perfectio formalis, concedo: cujus est propria perfectio causalis, nego; actio autem formaliter transiens non est formalis perfectio agentis, sed duntaxat perfectio causalis, per modum scilicet causalitatis, qua agens formalem in passo efficit perfectionem, ipsi passo intrinsecam, & in ipso intrinsecè receptam.

Urgent: causalitas est in causa, cujus est causalitas: atqui actio transiens est causalitas agentis; ut dictum est: ergo &c. Prob. major: constitutivum est in eo, quod constituit: atqui causalitas causæ eam constituit, nimirum in actu secundo causandi: ergo &c.

Respond. distinguendo m. causalitas causæ materialis, vel formalis, est in causa, cujus est causalitas, concedo: causalitas causæ efficientis, vel finalis, est in causa, cujus est causalitas, nego. Ratio disparitatis in hoc est posita, quòd causalitas causæ materialis vel formalis, mi-

minimè ab ejus entitate intrinſeca diſtinguitur; ſed ipſa cauſa materialis aut formalis per intrinſecam ſuæ entitatis communicationem cauſat; ut alibi dictum eſt: unde mirum non eſt, ſi cauſalitas cauſæ materialis vel formalis in ipſa eſſe debeat. At cauſalitas cauſæ efficientis (ſive agentis) eſt exercitium actuale, realiter ab entitate cauſæ diſtinctum, & in paſſo poſitum, in quo proinde ſubjectatur. Et ſimili modo cauſalitas cauſæ finalis eſt actus voluntatis realiter à fine diſtinctus, & non in fine, ſed in voluntate, ſubjectatus; ut etiam alibi dictum eſt, & oſtenſum.

Ad prob. ma. diſtinguo ma. conſtitutivum eſt in eo, quod conſtituit, per modum ſubjecti (quo pacto, albedo conſtituit parietem album) vel per modum compoſiti (qua ratione anima rationalis hominem conſtituit) concedo: conſtitutivum eſt in eo, quod conſtituit, per modum principii, à quo procedit, & ad aliud tranſit; quo modo cauſalitas agentis, ſeu cauſæ efficientis, (nimirum actio tranſiens, quæ à cauſa efficiente velut à principio extrinſeco procedit, & ad paſſum tranſit) eam conſtituit, nego.

Urgent iterum: perfectio eſt in eo, cujus eſt perfectio intrinſeca: atqui actio eſt perfectio intrinſeca agentis: ergo &c. Ma. clara eſt. Prob. min. *agens* (ex communi adagio) *eſt propter actionem ſive operationem ſuam*: ergo actio ſive operatio eſt perfectio intrinſeca agentis; nihil quippe eſt propter perfectionem ſibi extrinſecam.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. loquendo de actione formaliter tranſeunte. Ad cujus prob. conceſſo ant. nego conſeq. quamvis etenim aliquid non poſſit per modum ſubjecti, eſſe propter perfectionem ſibi extrinſecam; nihil tamen impedit, ut aliquid per modum cauſæ efficientis, ſit propter perfectionem ſibi extrinſecam; reipſa namque cauſa efficiens eſt (ob commune bo-

bonum universi) propter perfectionem ei
ssuo tribuendam, & tamen hæc perfectio est ipsi
causæ efficienti extrinseca; ideòque licèt actio
transiens sit perfectio, quæ agenti extrinseca est,
nihilominùs agens est propter actionem transeun-
tem; non quidem per modum subjecti, sed per
modum causæ efficientis, à qua ista actio proce-
dit, & ad passum transit, ut agens ea mediante
effectum in passo producat, ob commune bonum
universi.

Objiciunt 3. forma est in eo, quod denomi-
nat: atqui actio transiens denominat agens: er-
go &c.

Respondeo distinguendo ma. forma est in eo,
quod denominat, tanquam subjectum inhæsio-
nis, vel informationis, concedo: quod denomi-
nat, tanquam principium efficiens, à quo pro-
cedit, & ad aliud transit, nego: actio autem
transiens denominat agens, non tanquam subje-
ctum inhæsionis, aut informationis, (cui nem-
pè inhæreat, aut quod informet) sed tanquam
principium efficiens, à quo procedit, & ad passum
transit, ut in eo, velut in inhæsionis & informa-
tionis subjecto, recipiatur.

Instant: si actio transiens esset intrinsecè in pas-
so, & intrinsecè passum denominaret, passum
denominaretur agens; quandoquidem formalis
effectus actionis transeuntis est, constituere &
denominare agens.

Respondeo sic distinguendo: si actio transiens,
formaliter, ut actio est, esset intrinsecè in passo,
& formaliter, ut actio est, intrinsecè passum
denominaret, passum denominaretur agens,
concedo; effectus namque formalis ipsius ac-
tionis transeuntis consideratæ formaliter, ut
actio est, est constituere & denominare agens:
si actio transiens, præcisè ut est accidens ali-
quod transiens, esset intrinsecè in passo, & præ-
cisè ut talis, intrinsecè passum denominaret, pas-
sum denominaretur agens, nego; effectus quippe
for-

formalis actionis tranſeuntis acceptæ, ut eſt accidens ad paſſum tranſiens, non eſt conſtituere & denominare agens, ſed eſt conſtituere & denominare paſſum actuatum; ſic v g. formalis effectus calefactionis, ut eſt accidens ad lignum tranſiens, eſt conſtituere & denominare lignum calefactum, non verò calefaciens.

Urgent: ſi actio tranſiens ſubjectaretur intrinſecè in paſſo, in eo intrinſecè ſubjectaretur, etiam formaliter ut actio eſt: ergo paſſum ab ipſa denominaretur agens. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant. actio tranſiens, formaliter ut actio eſt, debet intrinſecè in aliquo ſubjectari; quandoquidem actio tranſiens, formaliter ut eſt actio, eſt aliquod accidens, quod debet neceſſariò intrinſecè inhærere alicui, velut ſubjecto: atqui illud non poteſt eſſe (ſecundùm nos) aliud præter paſſum: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. nego na. licèt enim actio tranſiens, formaliter ut actio eſt, ſit aliquod accidens; non eſt tamen accidens expreſſum per modum inhærentis, ſed ad modum emanantis; ſub qua ratione non petit ſubjectum inhæſionis, ſed principium emanationis; ut docet D. Thomas q. 7. de potentia a. 9. ad 7.

Dices cum Adverſariis: actio tranſiens, ut eſt in paſſo, non eſt ampliùs actio, ſed paſſio: ergo debet ut actio in agente ſubjectari.

Reſpondeo negando, actionem tranſeuntem, ut eſt in paſſo, non eſſe ampliùs actionem, ſed propriè paſſionem; quamvis etenim actio tranſiens, & paſſio, ſint ſimul in paſſo, non tamen ſub eodem tranſcendentali reſpectu; actio quippe tranſiens ineſt paſſo per reſpectum immediatum ad agens; paſſio autem ineſt eidem paſſo per reſpectum immediatum ad effectum, quem ab agente patiendo recipit. Unde actio, & paſſio, diverſas habent in paſſo inhærentias, propter diverſos ad agens, & ad effectum, tranſcendentales reſpectus.

Obji-

Objiciunt 4. actio transiens realiter egreditur ab agente: ergo saltem in ipso egressu est in agente.

Respondeo distinguendo antec. actio transiens realiter egreditur ab agente, sicut ab efficiente principio, concedo: realiter egreditur ab agente, sicut à subjecto, nego; unde sequitur quidem, ut actio transiens in ipso egressu sit virtualiter in agente, sicut effectus in efficiente principio; at minimè sequitur, ut actio transiens sit unquam formaliter in agente, velut in subjecto.

Objiciunt 5. cùm sit in agente relatio ad passum, debet esse etiam in agente hujus relationis fundamentum: atqui illud fundamentum aliud non est, præter transeuntem actionem: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. fundamentum enim illius relationis est activa agentis potentia, prout connotat actionem transeuntem, actu ab ipso agente in passum egredientem.

Objiciunt 6. actiones Dei ad extra transeuntes sunt entitativè in Deo: ergo etiam transeuntes agentium creatorum actiones entitativè in ipsis existunt.

Respondeo negando paritatem; entitas namque actionum transeuntium Dei ad extra realiter à Deo non distinguitur; nam cùm Deus sit actus purus, sibi realiter identificat suum actum secundum, id est, actionem suam, (entitativè consideratam) qua creaturas ad extra producit; unde mirum non est, si actiones Dei ad extra transeuntes sint entitativè & formaliter in Deo; hinc actiones illæ Dei, non formaliter transeuntes, sed *virtualiter* tantùm *transeuntes* à Theologis appellantur; ut suprà dicebamus: at formalis entitas actionum transeuntium, quæ ab agentibus creatis prodeunt, realiter ab eis distinguitur, (etenim cùm agentia creata non

ſint actus puri, ſed entia & agentia potentialia, ſibi ſuos actus ſecundos, ſive actiones ſuas entitativè ſumptas, realiter identificare nequeunt) realiterque ad paſſum tranſit, (quamobrem *formaliter tranſeuntes* à Philoſophis nuncupantur) & ideò ſubjectatur in ipſo; proindèque tranſeuntes agentium creatorum actiones, non in ipſis, ſed in paſſo entitativè exiſtunt.

Objiciunt 7. ſi actio tranſiens ſubjectaretur in paſſo, foret extrinſeca agenti; ut patet: atqui actio tranſiens non eſt extrinſeca agenti; alioquin prædicamentum actionis, quod per actionem tranſeuntem conſtituitur, eſſet denominatio extrinſeca; quod ex dictis in Logica conſtat eſſe falſum: ergo &c.

Reſpondeo concedendo, actionem tranſeuntem eſſe agenti extrinſecam. Et dum inſtant Adverſarii, inde ſequi, ut prædicamentum actionis, quod per actionem tranſeuntem conſtituitur, ſit denominatio extrinſeca; diſtinguo, & concedo ſequi, ut prædicamentum actionis ſit ſecundùm quid & reſpectivè ad agens, denominatio extrinſeca; ſed nego, inde ſequi, ut prædicamentum actionis ſit abſolutè & purè denominatio extrinſeca; ad hoc quippe, ut prædicamentum actionis foret abſolutè & purè denominatio extrinſeca, eſſet neceſsè, ut actio tranſiens (qua conſtituitur) non foret aliqua ſpecialis entitas realiter ab agente, & termino ſive effectu, diſtincta; ſed nihil aliud foret, præter agens, prout extrinſecè connotat terminum ſeu effectum, quem extrinſecè productum denominat: hoc autem ex doctrina noſtra minimè ſequitur.

Objiciunt ultimò: ſi actio tranſiens ſubjectaretur in paſſo, ſequeretur, (contra communem Thomiſtarum doctrinam) quòd idem numero accidens poſſet ſimul eſſe in pluribus ſubjectis: ſupponamus enim, v. g. unum ignem calefacere duo ligna, erit tunc unica calefactio, (unum etenim agens nequit ſimul plures numero elicere

actio-

actiones; alioquin non esset unum agens, sed plura forent agentia) quæ secundùm nos recipientur in duobus lignis, (velut in passo) ac proinde in duobus subjectis.

Respondeo negando sequelam. Ad exemplum dico in ea hypothesi futuras esse duas calefactiones, quarum una in uno ligno, & alia in altero, recipietur. Et dum instant Adversarii, unum agens non posse simul plures numero elicere actiones; hoc de actionibus immanentibus verum est, (nam cùm actio immanens in agente subjectetur, tunc plures actiones numero differentes, & ita plura accidentia numero differentia, essent simul in eodem subjecto; quod omninò repugnat) at id de actionibus formaliter transeuntibus (quales sunt duæ calefactiones) falsum est; tot namque sunt actiones formaliter transeuntes, quot sunt effectus per eas producti; & idcircò, sicut potest unum agens simul plures in diversis subjectis producere effectus, (ver. gr. unus ignis duos vel plures calores in duobus vel pluribus lignis) potest etiam simul plures elicere actiones formaliter transeuntes, numero differentes.

Nec propterea erunt plura agentia; quoniam ad multiplicationem *concreti* (quale est *agens*) requiritur necessariò formarum & suppositorum multiplicatio (ut communiter docent Philosophi) in illa verò hypothesi multiplicabuntur quidem formæ, scilicet actiones transeuntes, (v. g. calefactiones) at supposita non multiplicabuntur; sed erit unicum suppositum agens (v. gr. unicus ignis calefaciens.)

Articulus Tertius.

Quis ſit, vel eſſe poſſit terminus motus?

NOtandum eſt 1. duplicem eſſe terminum motus; alius namque eſt *terminus à quo*, & alius *terminus ad quem*. *Terminus à quo*, eſt illud extremum, quod in motu deſeritur, & à quo per motum recedit mobile. *Terminus* verò *ad quem* eſt aliud extremum, quod per motum acquiritur, ſive ad quod acquirendum tendit mobile. De utroque illo termino motus, hìc agetur, & præſertim de ſecundo.

Notandum eſt 2. quòd quamvis ratio motus poſſit aliquo modo motui inſtantaneo convenire; propriè tamen nomine motus, is ſolùm communiter à Philoſophis intelligitur, qui ſucceſſivus eſt; unde deinceps de ipſo ſolo in hac q. dicetur. Quæritur ergo nunc, quis ſit, aut eſſe poſſit motus ſucceſſivi terminus per ſe; hoc eſt, quid ſit, ut eſſe poſſit, quod per ſe, aut ratione ſui, immediatè, & primariò, & ſucceſſivum terminet motum, & per ipſum acquiratur? Quod interdum alio modo ſolet exprimi; quærendo, ad quæ prædicamenta detur per ſe motus, id eſt, quæ prædicamenta poſſint per ſe, vel ratione ſui immediatè & primariò motum ſucceſſivum terminare, & per ipſum fieri aut comparari? circa quod

Notandum eſt 3. ex communi Philoſophorum doctrina, ad motum ſucceſſivum tres præcipuè requiri conditiones. Prima eſt, ut inter terminos poſitivos fiat. Secunda eſt, ut termini illi quandam habeant latitudinem ſucceſſivè percurrendam. Tertia tandem conditio eſt, ut hujuſmodi termini ſint quoddammodò contrarii. Circa quas conditiones, advertendum eſt, duplicem eſſe latitudinem, unam extenſivam, intenſivam alteram. Latitudo extenſiva, eſt latitudo partium,

tium, quando nempè terminus motus varias habet partes ſucceſſivè comparandas; cujuſmodi eſt quantitas, quæ ſucceſſivè ſecundùm partes per augmentationis motum acquiritur; ejuſmodi etiam eſt locus, qui pariter ſucceſſivè ſecundùm partes per motum localem comparatur. Latitudo autem intenſiva, eſt graduum latitudo, quæ competit qualitatibus ſecundùm diverſos gradus ſucceſſivè intenſibilibus.

Deſideratur ergo in primis ad ſucceſſivum motum, ut terminus *ad quem* tendit, latitudinem habeat, vel partium, vel graduum, ſucceſſivè percurrendam; in hoc quippe ſucceſſivus motus ab inſtantaneo diſtinguitur, quòd motus inſtantaneus eſt ſubita & tota ſimul *termini ad quem* comparatio, motus verò ſucceſſivus eſt ſucceſſiva *termini ad quem* acquiſitio; *terminus* autem *ad quem* ſucceſſivè non acquireretur, niſi latitudinem haberet, aut partium, aut graduum, ſucceſſivè decurrendam. *Terminus* verò *ad quem* ſucceſſivè per partes vel per gradus acquiri non poteſt, niſi *terminus à quo* etiam per partes vel per gradus ſucceſſivè deſeratur. In primis igitur ad motum ſucceſſivum deſideratur, ut *terminus à quo*, & *terminus ad quem*, quandam habeant latitudinem extenſivam, vel intenſivam, ſucceſſivè percurrendam.

Ex quo colligitur, terminos illos debere eſſe poſitivos; neque enim poſſunt inveniri partes aut gradus, niſi in ente poſitivo. Denique termini illi debent eſſe contrarii, id eſt, inſociabiles & utita dicam, incompatibiles; quoniam dum unus (ſcilicet *terminus ad quem*) acquiritur, alius (videlicet *terminus à quo*) deſeratur neceſsè eſt. His prænotatis

Dico 1. ad ſubſtantiam non datur per ſe ſucceſſivus motus, id eſt, ſubſtantia non poteſt per ſe ſeu ratione ſui immediatè motum ſucceſſivum terminare. Ita Ariſtoteles 5. Phyſic. cap. 2. & cap. 4. in fine textu 10. Ratio clara eſt;

nam quod per ſe ſeu ratione ſui atque immediatè terminat ſucceſſivum motum, debet per ſe vel ratione ſui habere partes aut gradus ordinatè ſe habentes & ſucceſſivè percurrendos; ut ex dictis patet: ut autem *in Logica q. de quant. art.* 3. oſtenſum eſt, ſubſtantia ratione ſui non habet partes vel gradus ordinatè ſe habentes.

Dixi, non poſſe ſubſtantiam per ſe aut ratione ſui immediatè motum ſucceſſivum terminare, quia cùm ſubſtantia materialis ratione quantitatis, diſtinctas & ordinatas habeat partes, etiam intra lineam ſubſtantiæ, (ut *loco citato* monſtratum eſt) nihil prohibet, ne ſubſtantia materialis ratione quantitatis, ſive ut affecta quantitate, immediatè terminet ſucceſſivum motum. Hinc nutritio eſt motus ſucceſſivus ad portiones ſubſtantiæ materialis de novo ſucceſſivè acquiſitas immediatè terminatus.

Objicies: generatio animalis, quæ immediatè ad formam ejus ſubſtantialem terminatur, eſt motus ſucceſſivus; in ea quippe fit ſucceſſiva tranſitio à forma ſeminis ad formam embrionis, & à forma embrionis ad formam animalis: ergo motus ſucceſſivus poteſt immediatè ad ſubſtantiam terminari. Reſpondeo negando, generationem ſubſtantialem animalis formaliter ſumptam, immediatè ad ſubſtantialem illius formam terminatam, eſſe motum ſucceſſivum; licèt enim ſubſtantialis generatio animalis præſupponat ſucceſſivum alterationis motum, quo materia prima tranſit à forma ſeminis ad formam embrionis, & à forma embrionis ad formam animalis; attamen generatio illa formaliter ſumpta fit in inſtanti, adeò ut materia ſufficienter ad formam animalis diſpoſita, in inſtanti ad eam tranſeat; in qua tranſitione, ſubſtantialis generatio animalis formaliter poſita eſt.

Dico 2. cum Ariſtotele locis citatis: ad relatio-

tionem, actionem, passionem, situm, quando, & habitum, per se non datur successivus motus. Prob. breviter & simul explicatur. Et primò quidem, ad relationem prædicamentalem non datur per se motus: quia cùm motus successivus (de quo solo nunc est sermo) nunquam sit sine actione, dum ad aliquid datur per se motus, ad ipsum etiam per se datur actio: atqui ad relationem prædicamentalem per se non datur actio; relatio namque prædicamentalis, per se, primariò, & immediatè non fit; sed per actionem ad fundamentum, per se, primariò, & immediatè terminatam; per accidens, secundariò, & mediatè tantùm efficitur, tanquam aliquid resultans ex fundamento; ut patet *ex dictis in Logica*: ergo &c.

Ex quo sequitur, quòd ad actionem non detur per se motus, quia alioquin ad actionem daretur actio; quod prorsus repugnat. Sed neque ad passionem datur per se successivus motus: quoniam sicut motus successivus numquam est sine actione, ita numquam est sine passione; & ideò si ad passionem daretur per se successivus motus, ad passionem daretur passio; quod planè repugnans est.

Præterea, ad situm per se, immediatè, & primariò non datur motus: quia motus localis, per quem acquiritur situs, per se, immediatè, & primariò ad *ubi* (id est, ad præsentiam localem) tendit; & solùm per accidens, seu mediatè, & secundariò, ad *situm* terminatur; priùs etenim est, rem esse in loco præsentem, (quod habet per *ubi*) quàm ipsam esse in loco sic vel sic dispositam (quod per *situm* sortitur.

Non datur insuper ad *quando* per se motus: quoniam *quando* propriè non acquiritur per motum, sed per simplicem mutationem, qua res de non præsente in hoc vel illo tempore, fit formaliter in eo præsens. Denique ad prædicamen-

tum *habitus*, ſive ad *habitum* directè in prædicamento *habitus* poſitum, non datur per ſe motus; quia quamvis ad *habitum* (quo aliquis formaliter veſtitus denominatur) detur motus, non tamen per ſe, ſeu immediatè, & primariò; ſed duntaxat per accidens, ſive mediatè, & ſecundariò, quatenùs reſultat ex veſtimento, ad quod motus ille per ſe, immediatè, ac primariò terminatur.

Dico 3. poſſunt quantitas, qualitas, & ubi, per ſe terminare ſucceſſivum motum. Ita Ariſtoteles locis allatis. Ratio eſt manifeſta: illud quippe poteſt per ſe terminare ſucceſſivum motum, quod habet omnes requiſitas ad hoc conditiones: atqui quantitas, qualitas, & ubi, habent omnes illas conditiones: ergo &c. Prob. mi. ut aliquid per ſe poſſit terminare ſucceſſivum motum, tres (apud Philoſophos) requiruntur & ſufficiunt conditiones; nempè, ut non ſit mera privatio vel negatio, ſed ſit aliquid poſitivum; ut latitudinem habeat percurrendam; & tandem, ut terminus à quo ſit motus, contrariè ei opponatur, adeò ut ſit cum illo incompoſſibilis: conſtat verò in primis, quantitatem, & ubi, non eſſe meras privationes, vel negationes, ſed eſſe entia quædam poſitiva. Præterea quantitas, qualitas, & ubi, habent latitudinem ſucceſſivè percurrendam, ſive acquirendam; nam quantitas, & ubi, ſeu præſentia localis, habent partes ſucceſſivè acquirendas, ut patet; ſimiliter qualitas varios habet gradus ſucceſſivè acquirendos, ut ſuo loco conſtabit: denique quantitas major contrarietatem ſeu incompatibilitatem habet cum minori quantitate, (neque enim aliquid poteſt ſimul habere, & quantitatem majorem, & quantitatem minorem) ſicut & gradus intenſus qualitatis cum gradu remiſſo, & præſentia in loco ſuperiori cum præſentia in loco inferiori.

Objicies 1. contrarietas, juxta Philoſophos, non

non est, nisi inter qualitates: ergo inter quantitates, & inter præsentias locales, non reperitur.

Respondeo distinguendo ant. contrarietas strictè sumpta, juxta Philosophos, non est, nisi inter qualitates, concedo: *contrarietas latè accepta*, pro incompatibilitate inter *duos terminos positivos*, non est, nisi inter *qualitates*, nego; contrarietas siquidem sic sumpta invenitur inter quantitatem majorem, & quantitatem minorem; inter ubi sursum, & ubi deorsum; sive inter præsentiam in loco superiori, & præsentiam in loco inferiori. Et hæc contrarietas ad motum successivum & propriè dictum sufficit.

Instabis: quantitas major non opponitur nisi relativè quantitati minori: ergo non opponitur *contrariè*.

Respondeo, in quantitate majori, & in quantitate minori, plura reperiri; inveniuntur namque relationes mutuæ, reperiuntur præterea hujusmodi relationum fundamenta. Quantitas major, & quantitas minor, consideratæ secundùm relationes mutuas, relativè solùm opponuntur: at inter ejusmodi relationum fundamenta invenitur quædam incompatibilitas, quæ cùm sit inter terminos positivos absolutos, (fundamenta quippè illa sunt quædam positivæ entitates absolutæ) contrarietas latè accepta dici potest. Unde licèt relationes mutuæ quantitatis majoris, & quantitatis minoris, non possint per se motum successivum terminare; attamen entitas absoluta quantitatis majoris, fundans relationem ad quantitatem minorem, terminare potest per se successivum augmentationis motum; & è contra entitas absoluta quantitatis minoris, fundans relationem ad quantitatem majorem, potest per se successivum motum diminutionis terminare.

Objicies 2. quod fit per resultantiam, per se

non terminat motum; ut communiter docent Philoſophi: atqui *ubi* fit per reſultantiam; nam ex loco reſultat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod propriè fit per reſultantiam, per ſe non terminat motum, concedo: quod impropriè ſolùm fit per reſultantiam, per ſe non terminat motum, nego: *ubi* autem propriè non fit per reſultantiam ex loco, adeò ut reſultet ex loco, ſicut ex primario motus localis termino: ſed fit per reſultantiam ex loco impropriè tantùm, quatenùs reſultat ex loco, ſicut ex conditione quadam ad ſui productionem requiſita: cæterùm *ubi* per ſe fit atque acquiritur per localem motum, quem per ſe terminat.

Ex dictis colligitur, tria eſſe motus ſucceſſivi genera, juxta tria prædicamenta, quæ per ſe poſſunt terminare ſucceſſivum motum. Primum genus, eſt motus ad quantitatem, qui in augmentationem & diminutionem ſubdividitur. (Ad quem reducitur nutritio, quæ ſolùm ratione quantitatis eſt ſucceſſivus motus) Secundum genus, eſt motus ad qualitatem, qui in intenſionem & remiſſionem, atque alterationem ſpecialiter dictam (de quibus ſuo loco dicetur) dividi ſolet. Tertium genus, eſt motus ad *ubi*, qui dicitur latio, ſeu localis motus, quique eſt in rectum, obliquum, & circularem (de quibus etiam alibi agetur) dividendus.

Articulus Quartus.

De unitate, & distinctione, tum specifica, tum numerica, motus, & de ejus contrarietate.

§. I.

De unitate & distinctione specifica motus.

NOn agimus hic de unitate & distinctione specifica propriè & strictè sumpta; quia indubitatum est, eam motui non convenire, eò quòd non est ens completum & prædicamentale, (cui soli unitas & distinctio specifica propriè & strictè accepta convenit) sed ens incompletum & modale, extra omnia prædicamenta collocatum. Loquimur ergo duntaxat de unitate & distinctione specifica impropriè & latè dicta motus, secundùm quam plures sunt quodammodò, vel unius, vel diversæ speciei; & quærimus, unde sumatur?

Dico: unitas & distinctio specifica motus sumenda est à termino *ad quem* tendit, adeò ut tunc aliqui motus sint unius & ejusdem speciei, quando ad eumdem tendunt terminum; (ut sunt omnes motus sursum) tunc verò sint diversæ speciei, quando ad diversos tendunt terminos (ut sunt motus sursum, & motus deorsum.) Ita communiter Philosophi.

Ratio clara est: ab eo siquidem unitas & distinctio specifica motus sumenda est, à quo specificatur motus: atqui motus specificatur à termino *ad quem* tendit: ergo &c. Major constat. Prob. min. quando aliquid essentialiter ordinatur ad aliud, ab eo specificatur, ad quod per se primò ordinatur; hac siquidem de causa, potentia visiva à colore specificatur, quia per se primò ad videndum colorem ordinatur: atqui

Aristo
ter & per se p
quem ordinatio, sive p
dentia: ergo &c.
Attamen quia quilibet motus est spe
essentialiter à termino à quo ad terminum a
tendentia; dici potest, quemlibet motur
cificari, & ita sumere unitatem atque distin
nem specificam à termino à quo; at non
maliter, (sic enim à solo termino ad quem spe
ficatur, ab eoque unitatem & distinctionem spe
cificam sumit) sed dumtaxat connotativè, qua
tenùs specificatur à termino ad quem, prout ille
terminus connotat terminum à quo recedit mo
tus, ut ad terminum ad quem formaliter ten
dat.

Objicies 1. si motus specificaretur à termino ad quem tendit, & ab eo specificam sumeret distinctionem, distincti specie motus distinctos debe
rent necessariò habere terminos: atqui motus
terminos, sed quandoque eumdem habent ter
minum ad quem tendunt: ergo &c. Ma. evidens
est. Prob. mi. nam v.g. eadem media pars montis
terminare potest motum descensus, si quis à cul
mine ad medium montis descendat; & motum
ascensus, si quis à radice ad medium montis
ascendat; & ita motus descensus, & mo
tus ascensus, (qui utique distinguuntur spe
cie,) eumdem habebunt terminum ad quem
tendent.

Similiter contingere potest, ut una palmaris
quantitas augeatur, & fiat bipalmaris; altera ve
rò, quæ tripalmaris est, diminuatur, & fiat so
lùm bipalmaris; in qua hypothesi, motus aug
mentationis, & motus diminutionis, (qui sine
ulla dubitatione sunt specie distincti) eumdem
habebunt terminum, scilicet quantitatem bipal
marem.

De.

Denique idem mediocris calor terminare potest, & motum remissionis (si aqua summè calida usque ad mediocritatem defervescat) & motum intensionis (si aqua tepida mediocriter calefiat) & nihilominùs motus intensionis, & motus remissionis, specie distinguuntur.

Respondeo distinguendo : Motus itaque non specificatur à termino ad quem tendit, neque specificam sumit distinctionem ab illo materialiter sumpto, sed ab ipso formaliter usurpato. Licèt autem motus specie diversi, quorum exempla fuere allata, eundem materialiter habeant terminum ad quem tendunt; non habent tamen eundem formaliter terminum, quoniam ad illum sub diversa ratione formali tendunt; etenim motus descensus hominis à culmine ad medium montis descendentis, tendit ad eandem montis partem, prout media ista montis formalem habet rationem loci inferioris; verò ascensus hominis à radice ad medium descendentis, tendit ad eandem partem montis, prout formalem habet rationem inferioris. Similiter motus augmentationis palmaris ad quantitatem bipalmaris tendit, prout habet formam majoris; motus autem diminutionis palmaris ad quantitatem bipalmaris tendit, prout habet formam minoris. Denique motus remissionis calidæ ad mediocrem calidum tendit, prout formalem habet rationem; motus verò intensionis aquę mediocrem, ad ipsum tendit, prout rationem magis intensi. Motus, motus obliquus, & ... dubio specie dis...

Urgebis : ſi canis tunc torquem in collo geſtaret, motus torquis foret idem numero à vertice ad pedem turris : ergo de motu canis & cadaveris idem dicendum eſt.

Reſpondeo negando paritatem ; ſubjectum enim motus torquis, nempè torques ipſe, tunc non mutatur ; unde mirum non eſt, ſi etiam motus torquis non mutetur : at in facta hypotheſi non eſt idem ſubjectum motus canis, & motus cadaveris ; variatur itaque ſubjectum motus, ergo & ipſe motus.

Quærunt hìc Philoſophi, detur-ne quies in *puncto reflexionis* : v. g. dum baculus ſurſum projectus reflectitur, & recidit, utrum inter aſcenſum & deſcenſum baculi, medìet aliqua brevis morula, in qua nec aſcendat baculus, nec deſcendat?

Reſpondent communiter affirmativè ; quia fit tunc quædam lucta inter virtutem impellentem, & virtutem repellentem, adeò ut virtutes illæ in *puncto reflexionis* veluti ad æquilibrium reducantur ; ideòque pro breviſſimo illo tempore, in quo neutra virtus vincit, vel vincitur, neceſſe eſt, ut quieſcat baculus.

Hinc baculus ſurſum projectus, antequam recidat, pendulus & anceps per brevem morulam nonnunquam, etiam ad ſenſum, apparet. Per accidens nihilominùs quies illa interdum impeditur ; ut ſi ver. gr. lapillo ſurſum aſcendenti occurrat lapis molaris deorſum cadens ; tunc enim lapillus ille ſtatim ſine dubio deorſum rapietur, ejuſque quies in *puncto reflexionis* impedietur ; alioquin ſi quieſceret lapillus ille, molaris lapis deorſum cadens quieſcere deberet ; quod abſurdum eſt.

§. III.

§. III.

De contrarietate motus

Dico 1. motuum contrarietas à quos tendunt, sumenda est; motus dici debeant contrarii, qua nos contrarios tendunt. Hinc a & diminutio, intensio & remissio, ...n & motus deorsum, calefactio ...o, &c. sunt motus contrarii, q ...sunt eorum termini. Ita comm ...phi.

...ob. & explicatur: cùm contra ...quædam ejus proprietas, speciem ...us, ab eo sumi debet contrarie ...species ipsius desumitur: aequi ...termino *ad quem* tendit desumit ...& probatis patet: ergo &c.

Dico 2. idem mobile, secundùm ...us, motibus contrariis moveri po ...primis experientia liquet; confir ...perientia, eundem hominem inter ...manu, & calere in pede; proin ...homo tunc secundùm diversas p ...ris motibus frigefactionis & calefa ...movetur. Nec mirum; cùm ...partes ejusdem mobilis, imm ...ta, in ipsis diversi & contrar ...esse possunt.

Dico 3. idem mobile secundùm ...moveri potest motibus contrarii ...veniat ei per se, & alter per acci ...unus sit ipsi proprius, & alter al ...mus, nautam in navi motu prop ...Orientem, & simul ad alienum ...ripi versus Occidentem; qui m ...& contrarii.

Dico 4. idem mobile secundù

reſt etiam ſimul moveri motibus contrariis, ſi amboiſti motus per accidens illi comperant. Hoc conſtat in eodem Chriſti corpore, quod per accidens ad motum diverſarum ſpecierum conſecratarum ſimul ſurſum movetur in uno altari, & in alio deorſum; qui motus ſunt contrarii.

Dico 5. idem mobile ſecundùm eandem partem moveri non poteſt per ſe motibus contrariis, v.g. motibus frigefactionis, & calefactionis, etiam in gradibus remiſſis; ſic v.g. idem lignum ſecundùm eandem partem ſimul frigefieri & calefieri non poteſt, ſecundùm duos frigefactionis & calefactionis gradus. Ita communiter Philoſophi contra Conimbricenſes, & aliquos alios recentiores.

Ratio facilis eſt, & clara: nam v. gr. lignum frigefieri eſt ipſum à calore recedere, & ad frigus accedere; lignum verò calefieri, eſt ipſum è contra, à frigore recedere, & ad calorem accedere; ideòque ut lignum frigefiat, tantùm debet à calore recedere, & ad frigus accedere, quantùm frigefit; & ut calefiat, tantùm è contrà debet à frigore recedere, & ad calorem accedere, quantùm calefit: ſi ergo eadem ligni pars ſecundùm duos gradus frigefieret, ſimulque calefieret, ſecundùm duos gradus ad frigus accederet, ſimulque ab eo recederet; item ſecundùm duos gradus ad calorem accederet, ſimulque ab eo recederet; quod omninò repugnat.

Objicies 1. calor & frigus in gradibus remiſſis, ver. grat. ſecundùm duos gradus, poſſunt ſimul eſſe in eadem ligni parte; ut communiter docent Philoſophi: ergo etiam frigefactionis & calefactionis motus poſſunt in eadem ligni parte ſimul eſſe.

Reſpondeo negando paritatem: calor etenim & frigus in gradibus remiſſis nullam in ſuo conceptu eſſentiali exprimunt incompatibilitatem: at frigefactionis & calefactionis motus,

etiam

etiam in gradibus remissis, pro eodem tempore, in eadem parte ligni, manifestam in suis conceptibus essentialibus exprimunt repugnantiam; videlicet accessum ejusdem partis ligni ad frigus, simulque à frigore recessum; & accessum hujusmodi partis ligni ad calorem, simulque à calore recessum, secundùm eosdem gradus, pro eodem tempore; ut ex dictis patet.

Instabis: frigefactionis & calefactionis motus suam contrarietatem sumunt à terminis, ad quos tendunt; nempè à frigore & à calore: ergo si isti termini secundùm gradus remissos in eadem ligni parte simul non repugnant, neque simul repugnant frigefactionis & calefactionis motus.

Respondeo distinguendo ant. frigefactionis & calefactionis motus suam contrarietatem sumunt à terminis, prout sunt in fieri, concedo: [illegible] contrarietatem sumunt à terminis, prout sunt facta esse, nego: quamvis verò frigus & calor facta esse (id est, quando facta sunt) simul non repugnent, secundùm gradus remissos, in eadem ligni parte; simul tamen repugnant, prout sunt in fieri; quia fiunt oppositis atque repugnantibus modis, per accessum nempè ad idem, & [recessum] ab eodem; ut explicatum est.

Objicies 2. dentur duo agentia, quorum unum frigidum secundùm duos gradus, [alterum] secundùm duos gradus calidum, eidem [ligni parti] simul applicentur; eadem ligni [pars] frigefiet secundùm duos gradus, & secundùm duos gradus calefiet; a[gentia enim] sufficienter applicata debent secundùm [illegible] agere: ergo motibus c[ontrariis] frigefactionis & calefactionis simul m[ovebi]tur [illegible] ligni pars.

Respondeo, illa duo agentia [illegible] calefactione [illegible] allatam motuum [illegible] repugnantiam.

Articulus Quintus.

Quædam circa motum localem curiosè quæruntur.

Quæres 1. an ſit vis motrix in corporibus, & quid ſit illa vis? Putavere quidam veteres, ſubſtantiam omnem corpoream vivere, vita ſomno & torpori obnoxia. Hujus vitæ quaſi vigiliam docuere eſſe, cùm corpus, vel excitatum ab aliis, vel quaſi ex ſe ſe expergefactum, nititur moveri. Somnum verò ejuſdem vitæ dixere, cùm vis motrix corporum otioſa torpet, nullumque motum ipſa molitur. At hæc opinio pulchrum eſt figmentum. In corporibus ergo eſſe vim motricem, qua loco moventur, experientia quidem conſtat; at eſſe potentiam vitalem, & omnia corpora vivere, ſomnium eſt. Sed quid tandem ſit illa vis motrix corporum, difficilè explicatur.

Reſpondet Carteſius in ſuis ad Henricum Morum reſponſionibus, vim motricem corporum eſſe modum; atque *hoc nomine* rem ſatis ſuperque explicaſſe cenſet. Attamen Carteſium *nomine modi* naturam virtutis motricis corporum ſatis ſuperque non expoſuiſſe, ex eo liquet, quòd ſtatim meritòque à Carteſio quæri poteſt, quid ſit ille modus, & unde in corporibus naſcatur? ſicque ſupereſt Carteſio tota difficultas enodanda.

Deinde falſum eſt, vim motricem corporum eſſe purum modum; etenim purus modus nequit agere, ſed ſolùm modificare poteſt; vis autem motrix corporum agit, ut patet in vi motrice lapidis, qua activè ſurſum pellitur.

Relicto itaque Carteſii explicandi modo, dicendum eſt, vim motricem corporum eſſe qualitatem quandam motuum corporeorum effectricem. Quæ quidem qualitas interdum eſt

corpo-

us innata, ut est gravitas corporum gra-
vel levitas corporum levium; quando-
est extrinsecùs impressa, ut est virtus
corporum gravium, v. gr. lapidum sur-
ctorum.

es 2. qua ratione moveantur, globus è
o bellico excussus, sagitta arcu emissa,
mpetu concitatus, & ferrum à magne-
ctum? Ut quæstioni fiat satis. Notandum
plicem esse in corporibus vim loco-motri
aturaliter ipsis inditam. Alia namque e
sita, qua unumquodque corpus in locu
m inclinatur, ut v.g. lapis in centru
t elastica, qua corpus nititur ad debi
n suarum explicationem aut situatio
ndam; qualis cernitur in arcu inflex
mis compresso, &c. Alia denique
ca, qua certa quædam corpora e
orporibus amicis se se adjungere;
eti, & palea electro, se se adjung
Hoc prænotato
espondeo dicendo, flammam
am ex pyrio pulvere in tormento
escente, dum nititur ad obtin
partium suarum explicatione
iere obstantem globum. Sic
cus se se in debitum situm
gittam. Sic pariter exhal
plicans, vertitur in
m verò à magnete
issa, attractum
ad amicum tendit
Quæres 3. cur
lapidis in fit
quam princip
causam in
Quidam plures
quadam
centrum
cium corporalia

ſui motus centro viciniora, quàm in principio; idcircò tunc illa vi magnetica validiùs ad centrum trahuntur, celeriùſque moventur. Alii cenſent, gravitatem corporum creſcere vel roborari ex viciniori ad centrum acceſſu; gravia verò corpora in progreſſu & in fine ſui motus, viciniùs ad centrum accedunt, quàm in principio ejuſdem motus; ideòque tunc creſcit magis, magiſque roboratur illorum gravitas; ſicque velociùs moventur. Alii exiſtimant, aerem inter cadentem lapidem & terram ſuppoſitum, motui ipſius lapidis reſiſtere, qui cùm tantò ſit in minore copia, quantò lapis cadendo propiùs, terram attingit, minùs quoque reſiſtit; quo fit, ut lapis liberiùs, proindèque velociùs, moveatur.

Omnes hæ opiniones ſunt probabiles. Faciliùs tamen & veriùs res explicatur, ſi dicatur, vim loco-motricem æqualem, validiùs & celeriùs movere corpus, quod jam eſt in motu, quàm quod eſt in quiete; cùm etenim vis loco-motrix conatu ſecundo aliquid afferat ad motum, fit, ut quia ſecundus iſte conatus am reperit motum à primo conatu productum, illum non producat, ſed magis magiſque urgeat; ſic verb. grat. ſi globum ſupra planum poſitum, repetitis ictibus, iiſque omninò æqualibus, moveas; clarè ſenties, celeriùs moveri ex ſecundo ictu, quàm ex primo; itidem velociùs ex tertio, quàm ex ſecundo; & ita ſuccedenter, donec tandem illius globi motus velociſſimus evadat: cùm ergo vis loco-motrix corporis gravis ad terram deſcendentis ſemper ad motum conetur (eſto æqualis ſemper ſit, & æqualis ejus conatus) neceſſe eſt, ut cum primo conatu incœperit caſum ſeu motum, eum ſuccedenti vel continuato conatu augeat, ſicque deinceps, donec celerrimus fiat. Et hinc eſt, cur motus ille ſit in progreſſu & in fine celerior,

teriale atque corporeum, ut eſt *Ævum* Cælorum.

Denique tempus ſic poteſt definiri: *Tempus eſt duratio rei ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſive ſecundùm ſuam entitatem, mutabilis.* Senſus eſt, tempus eſſe durationem rei in ſua entitate mutabilis ſive corruptibilis ſecundùm ſuum *eſſe* exiſtentiæ: hujuſmodi eſt duratio omnium rerum corruptibilium; ſive ſint ſubſtantiæ, ſive accidentia; ſive ſint corporeæ, ſive ſpirituales; (cujuſmodi ſunt actiones liberæ Angelorum, quæ cùm ſint in ſuo *eſſe* contingentes, ſunt quoque in eo corruptibiles, ita ut poſſint eſſe & non eſſe.) Hinc inferes, tempus aliquid eſſe corporeum, (ut eſt tempus ſeu duratio animalis, arboris, &c.) aliud incorporeum & ſpirituale, (ut eſt tempus, ſive duratio actionis liberæ Angeli.)

Ariſtoteles 4. Phyſic. cap. 11. textu 101, ſtrictiùs accipit tempus, prout nempè ſpecialiter eſt duratio motus; ipſumque ſic definit: *Tempus eſt numerus motus, ſecundùm prius & poſterius.* Appellatur tempus, *numerus motus*, id eſt, menſura motus; numerus quippe eſt menſura quoad nos notior atque frequentior; communiter enim ſolemus res per numeros menſurare; ſic dicimus, *pannum decem ulnas habere.* Eſt ergo tempus, numerus motus ſecundùm prius & poſterius, id eſt, tempus eſt menſura ſeu duratio motus partes priores & poſteriores habentis. Ex quo colligitur, tempus debere etiam habere partes priores & poſteriores, (quarum nempè una priùs ſit quàm altera) ut poſſit motui coextendi.

Quæres 1. quotuplex ſit tempus? Ut reſpondeatur; ſciendum eſt, duobus modis ſumi poſſe tempus; in primis namque ſumi poteſt pro duratione intrinſeca cujuslibet rei in ſua entitate corruptibilis ſecundùm ſuum *eſſe* exiſtentiæ; & hoc modo acceptum tempus eſt multiplex, totque ſunt tempora intrinſeca, quot ſunt res in ſua

Quando verò ſubdit Angelicus Doctor, tempus ſecundùm rationem eſſe alterum, ſeu diſtinctum, à motu; per *rationem* non intelligit ſolam rationis diſtinctionem; ſed propriam temporis vel motus eſſentialem rationē, propriamque definitionem; adeò ut quamvis tempus & motus entitativè non differant, (in ſenſu explicato) ex propriis tamen rationibus eſſentialibus, propriiſque definitionibus, realiter modaliter diſtinguantur.

Objic. 2. hoc ipſo, quòd res creata conſervatur, ſecluſo omni alio realiter ab ipſa re conſervata diſtincto, res ipſa creata & conſervata durat, cùm eo ipſo in *eſſe* permaneat: ergo duratio non eſt aliquid realiter à re creata & conſervata diſtinctum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. hoc ipſo, quòd res creata conſervatur, ſecluſo omni alio realiter ab ipſa re conſervata diſtincto, res ipſa creata & conſervata durat duratione fundamentali, concedo: durat duratione formali, nego; unde tunc res creata & conſervata concipitur quidem ut permanens in *eſſe* permanentia fundamẽtali, non tamem permanentia formali. Quando autem in concluſione noſtra aſſerimus, durationem rei creatæ & conſervatæ, ſive ejus in *eſſe* permanentiam, realiter ab illa diſtingui, loquimur de duratione ſeu de permanẽtia formali, non verò de fundamẽtali.

Objices 3. hoc ipſo, quòd uni parti motus altera pars additur, excluſo omni alio realiter à motu diſtincto, durat motus; quandoquidem in *eſſe* continuatur: ergo duratio motus non eſt aliquid realiter ab ipſo diſtinctum.

Reſpondeo diſtinguendo ſimiliter ant. hoc ipſo, quòd uni parti motus altera pars additur, excluſo omni alio realiter à motu diſtincto, durat motus duratione fundamentali, concedo: durat motus duratione formali, nego. Unde concipitur quidem tunc motus, ut in *eſſe* continuatus continuatione fundamentali, non tamen continuatione formali.

Obji-

Objicies 4. numerus numeratus realiter à re numerata non distinguitur; sic v. g. numerus numeratus pecuniæ, realiter à pecunia numerata minimè distinguitur: atqui ex Aristotele 4. Physic. cap. 11. textu 101. tempus est numerus numeratus motus: ergo tempus (sive duratio motus) realiter à motu non distinguitur. Hinc D. Thomas loco citato textu 98. lect. 17. explicans Aristotelem, sic ait: *Ostendit, quòd motus, tempus sit; quia numerus motus.*

Respondeo distinguendo ma. numerus, ut *quo* numeratus, realiter à re numerata non distingu itur, concedo: numerus, ut *quo* numeratus, realiter à re numerata non distinguitur, nego. Distinguendus igitur est duplex numerus numeratus: alius namque est numerus, ut *quod* numeratus, (estque id, quod numeratur, sive sunt res numeratæ, ut hæ pecuniæ numeratæ) alius est numerus, ut *quo* numeratus (estque id, quo res numerantur, sive id, quo res dicuntur numeratæ, ut sunt calculi, quibus pecunias numeramus). Numerus ergo, ut *quod* numeratus, non distinguitur quidem realiter à re numerata, benè tamen numerus ut *quo* numeratus; clarum enim est v. g. calculos distingui realiter à pecuniis numeratis. Tempus verò est numerus ut *quo* numeratus motus, hoc est, est id, quo partes priores & posteriores motus numerantur, seu mensurantur. Quando autem ait D. Thomas loco citato, Aristotelem ostendere, motum esse tempus, sive motum non distingui à tempore, quia tempus est numerus motus; vult duntaxat, motum & tempus non differre realiter entitativè; licèt tempus realiter modaliter distinguatur à motu, sicut numerus à re numerata.

Articulus Secundus.

Qua ratione exiſtat tempus?

§. I.

Quædam prænotantur, ſententiæ referuntur, & vera eligitur ac probatur.

NOtandum eſt 1. ex infrà dicendis, continuum non componi ex ſolis partibus, vel ex ſolis indiviſibilibus, ſed ex partibus per indiviſibilia copulatis & terminatis, eo ordine, ut una pars cum altera copuletur, medio indiviſibili aliquo, quo utraque pars illa etiam terminatur.

Præterea notandum eſt, duo eſſe in continuo partium genera. Aliæ appellantur *aliquotæ*, determinatæ, & deſignabiles; quia ſunt alicujus determinatæ & deſignabilis extenſionis. Aliæ dicuntur indeterminatæ, indeſignabiles, & *proportionales*; quoniam ſunt indeterminatæ & indeſignabilis extenſionis, minoris, & minoris in infinitum, ita ut nulla unquam ex eis ſecundùm ſe totam determinari vel deſignari queat.

Notandum eſt inſuper, duplex eſſe continuum; unum permanens, & aliud ſucceſſivum. Continuum permanens eſt illud, cujus partes & indiviſibilia ſimul exiſtunt, aut ſimul exiſtere poſſunt; hujuſmodi ſunt linea, ſuperficies, & corpus. Continuum ſucceſſivum eſt illud, quod eſt in continuo partium & indiviſibilium fluxu; & ejuſmodi ſunt motus & tempus; motus namque conſiſtit in continuo fluxu partium & indiviſibilium, quæ *mutata eſſe* nuncupantur; eó quòd in unoquoque illorum indiviſibilium, ſubjectum non movetur, ſive non mutatur, ſed mutatum eſt. Tempus verò in continuo fluxu par-

partium & instantium positum est. His præmissis.

Prima sententia generaliter asserit, tempus nunquam esse præsens vel existens nisi secundùm instans; ita ut partes futuræ, & partes præteritæ temporis, nunquam aliter fiant præsentes, quàm per instans præsens, quo inter se copulantur, & quo una inchoatur, alteraque terminatur. Ita docent Complutenses, & alii plures ex Thomistis.

Secunda sententia generatim asseverat, tempus & secundùm partes, & secundùm instantia, ex æquo successivè existere ac præsens esse; adeò ut quemadmodum instantia temporis interdum sunt ratione sui præsentia, sic etiam ejus partes futuræ vel præteritæ sint quandoque vel fuerint ratione sui præsentes. Ita Durandus, Suarez, Conimbricenses, & plures alii recentiores.

Tertia tandem sententia distinguit inter partes *indeterminatas temporis*, & *ejus partes determinatas*; fateturque, partes determinatas & *designabiles* temporis nunquam ratione sui existere, aut præsentes esse; affirmat tamen, partes indeterminatas & proportionales temporis fieri successivè ratione sui præsentes; eo simili modo, quo instantia fiunt successivè ratione sui præsentia. Hanc sententiam tuentur Hervæus, Masius, Mailhat, & alii ex Thomistis non pauci.

Dico 1. partes determinatæ & designabiles temporis ratione sui nunquam existunt, sed fiunt præsentes ratione instantis præsentis ipsas inter se copulantis; ita ut nihil unquam in tempore præsens determinari aut designari possit, præter instans.

Prob. 1. ex Aristotele 4. Physic. cap. 11. text. 105. ubi sic fatur: *Existentia temporis est existentia instantis.* Et 5. Physic. textu 105. *Nihil*, inquit, *est temporis*, (scilicet præsens) *nisi nunc*,

quod eſt indiviſibile. Quod ibidem explicat & approbat D. Thomas lect. 18. quam etiam doctrinam tradit S. Doctor ibi, lect. 23. eamque repetit 1. p. q. 46. a. 3. ad 3. & aliis innumeris in locis.

Prob. 2. ratione fundamentali, qua utitur S. Thomas opuſc. 44. cap. 1. ſi aliqua determinata pars temporis ratione ſui exiſteret, & ratione ſui foret præſens, ſimul eſſent plures temporis partes; nam, ut infrà patebit, quælibet pars determinata continui, plures alias complectitur partes, in quas diviſibilis eſt; ac proinde quælibet determinata pars temporis (quod eſt continuum aliquod) eſt diviſibilis in plures alias, quas continet, partes; proindèque, ſi aliqua determinata temporis pars ratione ſui exiſteret, ac ratione ſui foret, præſens, plures temporis partes in illa contentæ ſimul eſſent præſentes: atqui plures temporis partes ſimul præſentes eſſe non poſſunt; etenim, ut fatentur omnes, tempus eſt ens ſucceſſivum; repugnat verò, ut plures entis ſucceſſivi partes ſint ſimul, cùm id ſoli enti permanenti competat, & in eo præcipuè ab ente ſucceſſivo diſtinguatur: ergo &c.

Reſpondent Adverſarii, ex eo, quòd pars determinata temporis ſit ratione ſui præſens, ſequi quidem, ut plures temporis partes ſint præſentes fluenti præſentia, non tamen præſentia permanenti; quod eſſet neceſſe, ut ſimul forent.

Sed contra ſic argumentor: quando una ex illis partibus temporis præſens eſt præſentia fluenti, vel aliæ partes ſunt ſimul cum illa præſentes præſentia fluenti, vel non ſunt præſentes; ſed una futura eſt, & altera præterita? ſi primum dicatur: ergo ſaltem pro brevi & fluente morula plures temporis partes ſunt ſimul præſentes; quod repugnat ſucceſſioni temporis: ſecundum verò dici ab Adverſariis non poteſt, quia

cùm

cùm partes illæ temporis (de quibus loquimur) in parte determinata præsenti contineantur, (ut ex ipsis Adversariis suppono) debent omnes esse præsentes.

Dico 2. partes indeterminatæ & proportionales temporis successivè fiunt ratione sui præsentes.

Prob. & explicatur: ex doctrina Aristotelis & D. Thomæ infrà tradenda, imò & ex ratione demonstrativa, (quam pariter infrà trademus) continuum non constat ex solis partibus, vel ex solis indivisibilibus; sed & ex partibus, & ex indivisibilibus, eo ordine, ut uni parti immediatè succedat aliquod indivisibile, & isti immediatè succedat pars, & sic deinceps, donec totum continuum aliquo indivisibili ultimò terminetur: cùm igitur tempus sit aliquod continuum, ut evidens est; debent in tempore esse partes & indivisibilia seu instantia, eo ordine, ut instanti immediatè succedat pars; quando igitur instans præsens transiit, debet illi pars immediatè, & ita ratione sui, succedere, atque in ejus locum subrogari, proindèque immediatè & ratione sui debet fieri præsens; cui posteà debet immediatè succedere instans præsens, & sic deinceps per totum tempus: ergo non solùm temporis instantia, verùm etiam ejus partes, saltem indeterminatæ & proportionales, fiunt successivè ratione sui præsentes.

Dices: hæc ratio nimis probat; probat namque, etiam partes determinatas temporis fieri ratione sui præsentes; quandoquidem instantibus præsentibus immediatè succedunt determinatæ temporis partes.

Respondeo negando, allatam conclusionis rationem nimis probare; falsum quippe est, partes determinatas temporis immediatè instantibus præsentibus succedere; etenim partes determinatæ temporis instantia non tangunt, (& ita ipsis non succedunt) nisi mediis partibus propor-

exiſtentium, ex quibus intrinſecè componuntur; altera extrinſeca, quæ competit eis ratione inſtantis exiſtentis atque præſentis ipſas copulantis (repugnat namque, ut duo aliqua extrema per vinculum præſens copulentur, niſi per illud fiant aliquo modo præſentia, proindeque & exiſtentia.) Licèt igitur fieri non poſſit, ut determinatæ partes temporis ſimul exiſtant exiſtentia intrinſeca; minimè tamen repugnat, ut ſimul exiſtant exiſtentia extrinſeca inſtantis exiſtentis atque præſentis, quæ cum indiviſibilis ſit, ipſa eſt ſimul tota.

Ad id, quod additur, reſpondeo ex diſtinctione data, concedendo eſſe abſurdum, dicere, futurum & præteritum in eodem inſtanti exiſtere exiſtentia intrinſeca: at negando, eſſe ullo modo abſurdum, dicere futurum & præteritum in eodem inſtanti exiſtere exiſtentia ſolùm extrinſeca, in ſenſu explicato.

Inſtant 4. quod diviſibile eſt, nequit per exiſtentiam indiviſibilem exiſtere; debet ſiquidem inter rem exiſtentem, & exiſtentiam, eſſe proportio: atqui partes determinatæ temporis ſunt diviſibiles, exiſtentia verò inſtantis eſt indiviſibilis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod diviſibile eſt, nequit per intrinſecam exiſtentiam indiviſibilem exiſtere, concedo: nequit per extrinſecam exiſtentiam indiviſibilem exiſtere, nego. Etenim ſicut inter diviſibiles partes determinatas temporis, & inſtans præſens quantumvis indiviſibile, eſt ſufficiens proportio, ut per ipſum copulentur; ita etiam inter partes illas diviſibiles, & indiviſibilem inſtantis præſentis exiſtentiam, ſufficiens invenitur proportio, ut per ipſam extrinſecè exiſtant.

Inſtant 5. quod nondum eſt, non exiſtit; & quod fuit, ampliùs non exiſtit: atqui quando inſtans eſt præſens, determinata pars futura tempo-

poris nondum est, & determinata pars ejus præterita jam fuit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod nondum est, non existit; & quod fuit, amplius non existit: si sint res non continuæ & disparatæ, concedo: si sint res continuæ, per vinculum præsens atque existens copulatæ, nego: nam quamvis tunc non existant existentia sibi intrinseca, existunt tamen per extrinsecum vinculi præsentis & existentis existentiam. Licet autem quando instans est præsens, determinata pars futura temporis nondum sit, & determinata pars ejus præterita jam fuerit, secundum existentias sibi extrinsecas; nihilominus quia partes illæ non sunt disparatæ, sed potius per vinculum aut instans præsens, ac existens, continuatæ & copulatæ, extrinsecè per existentiam illius existunt.

Instant 6. si determinata pars futura temporis, & determinata pars ejus præterita, per idem instans præsens existerent, eamdem haberent existentiam (nimirum unius & ejusdem instantis existentiam:) atqui determinata pars futura temporis, & determinata pars ejus præterita, eamdem non habent existentiam, sed potius realiter distinctas habent existentias: ergo &c. Ma. clara est. Prob. mi. existentia quæ nondum est, realiter distinguitur ab ea, quæ jam fuit & periit: atqui existentia determinatæ partis futuræ temporis nondum est, existentia vero determinatæ partis ejus præteritæ jam fuit & periit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. si determinata pars futura temporis, & determinata pars ejus præterita, per idem instans præsens existerent, eamdem haberent existentiam extrinsecam, nimirum unius & ejusdem instantis præsentis, concedo: eamdem haberent existentiam intrinsecam, nego; ut enim constat ex dictis, existentia instantis præsentis determinatæ temporis partis

futuras & præteritas copulantis non eſt ipſis intrinſeca, ſed extrinſeca tantùm. Ad prob. mi. conceſſa maj. diſtinguo mi. atqui exiſtentia intrinſeca determinatæ partis futuræ temporis nondum eſt, exiſtentia verò intrinſeca determinatæ partis ejus præteritæ jam fuit & periit, concedo: atqui exiſtentia extrinſeca determinatæ partis futuræ temporis nondum eſt, exiſtentia verò extrinſeca determinatæ partis ejus præteritæ jam fuit & periit, nego; ut enim ex dictis patet, exiſtentia extrinſeca determinatæ partis futuræ temporis, & determinatæ ejus partis præteritæ, eſt exiſtentia inſtantis præſentis, quæ actu eſt, nec periit.

Inſtant 7. ſi determinata temporis pars futura, & determinata ejus pars præterita, per exiſtentiam inſtantis præſentis exiſterent, una ex hujuſmodi partibus non eſſet ampliùs futura, nec altera præterita, ſed ambæ eſſent præſentes; quandoquidem per exiſtentiam præſentem exiſterent: atqui hoc apertè abſurdum eſt: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. etenim ut aliquid dicatur propriè & ſimpliciter præſens, ſatis non eſt, ut per exiſtentiam quomodocumque præſentem exiſtat; ſed eſt neceſſe, ut exiſtentia præſens, qua exiſtit, ſit ipſi intrinſeca: quantumvis verò determinata temporis pars futura, & determinata ejus pars præterita, per præſentem exiſtentiam inſtantis exiſtant; hæc tamen exiſtentia præſens, non eſt eis intrinſeca, ſed extrinſeca tantùm; ut conſtat ex dictis.

Inſtant 8. determinata temporis pars futura, & determinata ejus pars præterita, non exiſtunt per *non eſſe* temporis: atqui ex communi Philoſophorum loquendi modo, inſtans eſt *non eſſe* temporis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. determinata temporis pars futura, & determinata ejus pars præterita, non exiſtunt per *non eſſe* temporis: ſi

ſit

sit purum *non esse* temporis, concedo: si sit *non esse* temporis quantùm ad essentiam, sit verò *esse* temporis quantùm ad existentiam, nego. Instans verò præsens est quidem *non esse* temporis, quantùm ad essentiam: quia essentia temporis non convenit instanti, tempus quippe est essentialiter successivum, instans autem est indivisibile & totum simul: attamen instans præsens est aliquod *esse* temporis quantùm ad existentiam, quatenùs cùm per instans præsens, pars futura, & pars præterita temporis, copulentur, per ipsum quodammodò præsentes, & ita existentes, saltem extrinsecè, fiunt; ut suprà dictum est.

Instant 9. si tempus per instans dumtaxat existeret, per instans dumtaxat duraret: atqui hoc ridiculum est: ergo &c.

Respondeo negando suppositum argumenti; supponit namque argumentum, nos docere tempus per instans dumtaxat existere; quod ex secunda conclusione patet esse falsum. Tempus itaque existit, & per instantia, & per proportionales partes; & prout in illis successivè præsentibus continuatur, durare censetur.

Instant 10. ita se habet instans ad tempus, sicut punctum ad lineam. ergo sicut existit linea, non modò secundùm puncta, sed etiam secundùm determinatas partes; sic etiam tempus debet existere, non tantùm secundùm instantia, sed etiam secundùm determinatas partes.

Respondeo distinguendo ant. concedo enim, ita se habere instans ad tempus, sicut punctum ad lineam, quantùm ad munus copulandi & terminandi partes; reverà namque, quemadmodum partes lineæ per puncta copulantur & terminantur, sic pariter temporis partes per instantia copulantur & terminantur: at nego, ita se habere instans ad tempus, sicut punctum ad lineam, quantùm ad determinatam existentiam; si etenim tempus non solùm secundùm instans,

ſtans, verùm etiam ſecundùm aliquam partem determinatam, exiſtentiam determinatam haberet, ſive ſecundùm determinatam partem exiſteret, foretque præſens, ſimul eſſent præſentes plures temporis partes, (ut ſuprà oſtenſum eſt) quod ſucceſſioni temporis planè repugnat. Lineæ verò minimè repugnat, ut plures ejus partes ſint ſimul præſentes, cùm ipſa ſit ens permanens, cujus partes poſſunt eſſe ſimul: ideòque nihil impedit, ne linea determinatam habeat exiſtentiam, non ſolùm ſecundùm puncta, ſed etiam ſecundùm determinatas partes.

Inſtant 11. quod ratione ſui producitur, ratione ſui exiſtit; quoniam productio ad exiſtentiam terminatur: atqui partes determinatæ temporis ratione ſui producuntur, non verò ſolùm ratione inſtantium: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo; quamvis enim concederetur, determinatas temporis partes ratione ſui produci ordine intentionis, quatenùs comparativè ad inſtantia, ratione ſui, ſeu magis præcipuè, ab agente intenduntur, eò quòd ſunt inſtantibus perfectiores: attamen ordine executionis, productio temporis primariò & immediatè ad inſtantia & partes proportionales terminatur, & iſtis mediantibus, ad partes determinatas; ideòque ip ipſa executione, inſtantia & proportionales temporis partes immediatè & ratione ſui exiſtentiam accipiunt; partes verò determinatæ ſolùm mediatè, mediatione nimirum & ratione inſtantium ac proportionalium partium.

Objiciunt 1. contra 2. concluſionem, Ariſtotelem & D. Thomam perpetuò aſſerere, nihil de tempore nos habere præſens, præter *nunc indiviſibile*, ſeu inſtans: ergo partes indeterminatæ & proportionales temporis non fiunt ſucceſſivè ratione ſui præſentes.

Reſpondeo 1. diſtinguendo & explicando Ariſtotelem & D. Thomam; concedo namque, ex

eo-

orum mente, nihil de tempore nos habere præ-
ens determinatum & designabile, præter nunc in-
ivisibile seu instans; at nego, ex eorum mente,
ihil de tempore nos habere præsens indetermi-
atum, indesignabile, & proportionale, præ-
er nunc indivisibile seu instans.

Respondeo 2. *nunc indivisibile*, seu instans temporis, dupliciter accipi posse; nempè, vel pro eo, quod quantùm ad substantiam aut entitatem suam, est indivisibile; vel pro eo, quod licèt quantum ad substantiam sit divisibile, est tamen quantùm ad modum se habendi, indivisibile in tempore; & hujusmodi est indeterminata, indesignabilis, & proportionalis pars temporis; ut statim dicetur. Quando itaque Aristoteles & D. Thomas asserunt, nihil de tempore nos habere præsens, præter *nunc indivisibile*, seu instans; de *nunc indivisibili*, sive de instanti, vel primo, vel secundo modo, usurpato, id intelligendum est.

Objiciunt 3. si aliqua indeterminata, proportionalis, indesignabilis pars temporis ratione sui esset præsens, plures temporis partes simul essent præsentes; quandoquidem pars illa esset in plures alias divisibilis: atqui non possunt plures temporis partes simul esse præsentes, ut suprà probatum est: ergo &c.

Respondeo, partem indeterminatam, proportionalem, & indesignabilem temporis, dupliciter accipi posse. Primò, ut pars est; secundò, ut est indeterminata, proportionalis, & indesignabilis, id est, prout est minor & minor in infinitum; sub qua ratione immediatè succedit instanti præsenti, & veluti ipsum tangit. Primo modo sumpta, est in alias partes divisibilis. Secundo autem modo accepta, est formaliter indivisibilis, quia sic sumpta tangit immediatè instãs indivisibile; immediatè verò tangens, & immediatè tactum, proportionentur necesse est. Hoc præmisso, sic in forma.

Respondeo, distinguendo maj. si aliqua indeter-
mi-

etiam *non communicantes*, quia una non communicat cum altera, id eſt, una non includitur in alia: ſic verb. grat. ſi ulna in quinque palmos dividatur, quinque palmi erunt partes aliquotæ, determinatæ, deſignabiles, & *non communicantes* ulnæ, quia in primis quilibet palmus aliquam determinatam & deſignabilem ſibi vendicabit extenſionem; & præterea unus non communicabit cum altero, ſive unus non includetur in alio.

Partes verò proportionales, quæ etiam indeterminatæ, indeſignabiles, & *communicantes* nominantur, illæ ſunt, quæ indeterminatam & indeſignabilem habent extenſionem minorem, & minorem in infinitum; & dicuntur *communicantes*, quia partes proportionales communicant cum aliquotis, ſive in eis includuntur. Vocantur verò *proportionales*, ſeu inæquales, quia reipſa æquales non ſunt, ſed potiùs inæquales, minores ſcilicet, atque minores in infinitum, ſervata tamen aliqua proportione inter ipſas & partes aliquotas, quarum ſunt medietates: ſic verb. grat. ſi ulna dividatur in quinque palmos, & ſinguli palmi dividantur in ſemipalmos, ſemipalmi in duos digitos, digiti in ſemidigitos, & ſic deinceps uſque in infinitum; ſemipalmi, ſemidigiti, &c. erunt partes proportionales, indeterminatæ, indeſignabiles, & *communicantes* ulnæ diviſæ.

Notandum eſt 2. indiviſibilia continui quinque ſolere diſtingui. Primum indiviſibile eſt *punctum*, quod eſt omnis extenſionis & diviſibilitatis expers. Secundum indiviſibile eſt *linea*, quæ licèt ſit in longum extenſa & diviſibilis, attamen in latum inextenſa & indiviſibilis eſt. Tertium indiviſibile eſt *ſuperficies*, quæ in latum extenſionem quidem habet atque diviſibilitatem; at in profundum nullam ſibi vendicat extenſionem, nullamque diviſibilitatem. Quar-

tum

tum indivisibile est *mutatum esse*, quod in prius & posterius dividi non potest. Quintum denique indivisibile est *instans*, quod in *ante*, & *post*, dividi nequaquam potest. His prænotatis.

Quæritur hic à Philosophis, an continuum ex solis indivisibilibus componatur; v.gr. linea ex solis punctis, superficies ex solis *lineis*, corpus ex solis superficiebus, motus ex solis mutatis esse, & tempus ex solis instantibus; an verò quodlibet continuum constet ex partibus aliquotis in partes proportionales semper divisibilibus?

Circa celebrem hanc difficultatem tres sunt Philosophorum sententiæ. Prima docet, quodlibet continuum ex solis indivisibilibus constare. Ita docuere Zeno Dux Stoicorum, Pytagoras, Democritus, Leucippus, & alii.

Secunda sententia primam temperat, asseritque, continuum non componi ex quibuscumque indivisibilibus; sed ex *indivisibilibus*, quæ sint virtualiter extensa & divisibilia; adeò ut quodlibet possit divisibili spatio respondere; eo proportionali modo, quo Angelus quantumvis in sua entitate formaliter inextensus & indivisibilis, potest tamen divisibile spatium occupare, ratione virtualis suæ extensionis atque divisibilitatis. Hæc indivisibilia solent *inflata puncta* nuncupari. Istam sententiam tuentur Cardinalis Joannes De Lugo, & aliqui alii scriptores recentiores.

Tertia sententia fatetur quidem, continuum permanens (ut sunt linea, superficies, & corpus mathematicum) conflari ex partibus in infinitum divisibilibus; affirmat tamen, continuum successivum ex meris indivisibilibus componi, nempè motum ex solis *mutatis esse*, & tempus ex solis instantibus aut momentis. Hanc sententiam defendunt aliqui hujus ætatis scriptores.

Quarta tamdem sententia est Aristotelis & omnium

nium Peripateticorum aſſerentium, omne continuum, ſive permanens, ſive ſucceſſivum, eſſe ex partibus ſemper & in infinitum diviſibilibus compoſitum. Pro hac ultima ſententia, contra præcedentes.

Dico: omne continuum, ſive permanens, ſive ſucceſſivum, ex ſolis indiviſibilibus non conſtat, ſed ex partibus in infinitum diviſibilibus. Ita diſertè docet Ariſtoteles pluribus in locis, & præſertim lib. 6. Phyſic. cap. 1 ubi ſic definit continuum: *Continuum eſt id, quod eſt diviſibile in ſemper diviſibilia.* Ariſtotelem ſequitur D. Thomas iiſdem in locis, & præcipuè loco ultimò citato lect. 1. & 2.

Prob. 1. ratione fundamentali: omne continuum apud Philoſophos idem eſt, ac extenſio continua: atqui extenſio continua ex ſolis indiviſibilibus non conſtat: ergo &c. Ma. certa & evidens eſt. Prob. mi. cùm totum nihil habeat, præter id, quod à partibus componentibus accipit; tota extenſio, ſeu tota quantitas continua, debet ſuam deſumere extenſionem ab iis, ex quibus componitur: atqui tota quantitas continua nequit ab indiviſibilibus ſolis ſuam deſumere extenſionem: ergo &c. Prob. mi. tota quantitas continua nequit deſumere extenſionem ab iis, quæ omni prorſus extẽſione carent: atqui indiviſibilia omni prorſus extenſione carent: ergo &c. Maj. clara videtur: ſicut enim ſubjectum recipere nequit calorem ab eo, quod omni prorſus caret calore, & quod reipſa frigidum eſt; ita ſimiliter tota quantitas continua accipere nequit extenſionem ab iis, quæ omni planè extenſione carent, & revera ſunt inextenſa. Prob. verò mi. ſicut diviſibile & extenſum convertuntur, eò quòd diviſibilitas eſt proprietas extenſionis; ita quoque indiviſibile & inextenſum convertuntur, quoniam indiviſibilitas eſt quædam veluti inextenſionis proprietas: ergo cùm indiviſibilia, de quibus loquimur, ſint purè indiviſibilia, ſunt

etiam

etiam purè inextensa, proindèque omni prorsùs extensione carent.

Respondent 1. plures ex adversariis, singula indivisibilia continuam extensionem componentia, non esse quidem formaliter extensa, benè tamen radicaliter, quatenus sunt ipsius extensionis continuæ radix; eo simili modo (inquiunt) quo dici potest, singulas unitates numerum constituentes, non esse numerum formaliter, benè tamen radicaliter, prout sunt ipsius numeri radix.

Sed contra: est quippe manifesta inter extensionem continuam, & numerum disparitas: numerus namque non consurgit ex extensione suarum partium, sed ex distinctione unitarum; unde hoc ipso, quòd singulæ unitates sunt distinctæ (quamvis inextensæ sint & indivisibiles) aptæ sunt ad numerum constituendum, possuntque dici ipsius numeri radix; ideòque non ineptè dici possunt radicaliter numerus: at tota extensio continua resultat ex extensione continua suarum partium, ideòque si partes istæ sint formaliter in se ipsis, aut in sua entitate inextensæ & indivisibiles inextensione & indivisibilitate continua (ut docent adversarii) non videtur, qua ratione possint, totam extensionem continuam componere, & esse ipsius radix; proindèque non apparet, quomodo verè & propriè dici possint radicaliter extensæ continua extensione?

Respondent 2. alii, singula indivisibilia continuum componentia esse virtualiter extensa (modo supra explicato) & hoc esse satis, ut totam extensionem continuam componant.

Sed contrà sic argumentor: non apparet in primis, quo pacto indivisibile, v. gr. lineæ, quod est punctum, dici possit virtualiter extensum. Nam quòd Angelus sit virtualiter extensus, hoc ex eo oritur, quòd est rebus formaliter extensis, materialibus, & corporeis, superior atque præstantior; hinc namque fit, ut virtualiter coextendi possit spatio seu loco materiali & corporeo

formaliter extenſo, formaliterque diviſibili: at punctum non eſt formali extenſione continua præſtantius, imò potiùs eſt illa longè imperfectius; quo merito igitur, quo jure, erit virtualiter extenſum?

Præterea, ſicut aqua eſt totum homogeneum, ſic linea, v. g. (& quævis alia extenſio continua) eſt pariter totum aliquod homogeneum: eſt autem apud Philoſophos hæc totius homogenei conditio, ut totum & partes eodem nomine communi appellentur (ut patet in aqua; etenim & tota aqua, & quælibet pars aquæ, aqua vocatur) cùm ergo tota linea formaliter extenſa nominetur, etiam ſingulæ ejus partes nominentur formaliter extenſæ, neceſsè eſt; proindèque ſatis non eſt, ut ſint aut nominentur virtualiter extenſæ; ſubindèque, eſto, puncta in linea ſint virtualiter extenſa; propterea tamen partes ipſam componentes dici nequaquam poſſunt.

Dices cum adverſariis: eſto, puncta præcisè ſumpta lineam componere nequeant, benè tamen ut inflata.

Sed contra: Paradoxum eſt, ut punctum, quod nullas in ſe habet partes, poſſit inflari; inflatio quippe alicujus rei fieri non poteſt, niſi per partium ejus explicationem. Nec dicant adverſarii, punctum habere virtuales partes, eo ſimili modo, quo eas habet Angelus. Hoc namque jam impugnatum eſt & confutatum. Et ſanè, quæ comparatio inter punctum, & Angelum? Deinde, eſto punctum virtuales habeat partes, ſi hanc ob cauſam inflari poteſt; ergo ſimiliter Angelus, qui partes habet virtuales, poterit inflari; quid abſurdius?

Hinc facilè refellitur antiqua reſponſio Anaxagoræ, & ejus diſcipulorum dicentium, finita puncta non poſſe quidem lineam conſtituere, benè tamen puncta infinita. Facilè, inquam, refellitur: oſtenſum enim eſt, punctum omni prorsùs extenſione carere: ſicut ergo infiniti cæci,

quia

quia facultate videndi carent, unum *videntem* facere nequeunt; ita infinita puncta, quoniam sunt omnis extensionis continuæ expertia, unam extensionem continuam, v. g. unam lineam, constituere non possunt.

Prob. 2. alia ratione etiam præcipua: ea, ex quibus continuum componitur, debent ipsum extendere, ita ut unum additum alteri faciat majus & extensius: atqui sola indivisibilia non possunt extendere continuum, neque potest unum additum alteri facere majus & extensius: ergo &c. Ma. certa & evidens est. Prob. min. si unum indivisibile additum alteri faceret majus & extensius, duo indivisibilia immediatè unita deberent majorem occupare locum, quàm unum indivisibile solum; quò enim aliquid est majus & extensius, eò majorem debet occupare locum: atqui duo indivisibilia immediatè unita majorem non occupant locum, quàm unum solum: ergo &c. Prob. min. quando duo aliqua se se penetrant, ambo unita majorem non occupant locum, quàm unum solum; in hoc quippe consistit penetratio duorum: atqui duo indivisibilia immediatè unita se se penetrant: ergo &c. Prob. min. *quæ se tangunt secundùm sua tota, se se penetrant*; atqui duo indivisibilia immediatè unita se tangunt secundùm sua tota: ergo &c. Maj. est definitio eorum, quæ se penetrant; min. verò facilè suadetur: duo indivisibilia immediatè unita nullas habent partes, quin in eas essent divisibilia; ergo nequeunt secundùm partes se se tangere; sed secundùm sua tota se se tangant necesse est.

Respondent quidam Zenonis Discipuli, duo indivisibilia, v. g. duo puncta immediatè unita, non se penetrare, neque se tangere secundùm sua tota, neque secundùm diversas partes (quia nullas habent partes) sed secundùm diversas facies: fingunt namque in puncto quatuor aut octo indivisibili varias facies, quarum una respicit su-

tum, ſecunda Occaſum, tertia Septentrionem, quarta Meridiem, quinta ſurſum, ſexta deorſum &c.

Sed hæc Zenoniſtarum reſponſio, figmentum eſt planè abſurdum; qua ratione enim fieri vel concipi poteſt, ut quod nullas habet partes, varias habeat facies? diverſæ ſiquidem facies eidem rei convenire non poſſunt, niſi ſecundùm diverſas latera, proindè niſi ſecundùm diverſas partes.

Reſpondent alii, puncta (& alia ejuſmodi indiviſibilia) in continuo immediatè unita virtuales habere partes; adduntque puncta illa non ſe tangere ſecundùm ſe tota, ſed ſecundùm diverſas partes virtuales.

Sed contra: in primis namque ſuprà oſtenſum eſt, puncta non eſſe virtualiter extenſa, virtualiterque diviſibilia, proindèque nec virtuales habere partes.

Præterea, eſto ſint in puncto virtuales partes; hæ tamen partes realiter à puncto, vel à ſe invicem, non diſtinguuntur (alioquin non eſſent partes virtuales, ſed reales) neque una eſt realiter extra aliam (alioquin punctum foret realiter extenſum, realiterque diviſibile) ergo nihil impedit, ne duo puncta immediatè unita ſe ſe realiter tangant ſecundùm ſe tota, ac realiter ſe ſe penetrent.

Prob. 3. ex evidenti abſurdo: ſi linea, v.g. ex ſolis conſtaret punctis, non omnis linea eſſet diviſibilis in partes æquales: atqui omnis linea eſt diviſibilis in partes æquales; ut patet etiam ad ſenſum: ergo &c. Prob. ma. fiat hypotheſis, in qua detur linea ex novem punctis ſolùm compoſita, hæc linea nunquam in partes æquales dividi poterit; dividatur enim in duas partes; neceſſe erit, ut in una parte ſint quatuor puncta, & in alia quinque (niſi fortè dicatur, nonum punctum tunc ſecari in duas partes; quod ridiculum eſt) ſicque partes neceſſariò erunt inæquales. Alia ſunt innumera abſurda, quæ ex adverſariorum

ſen-

sententia apertissimè colliguntur, quæ passim apud nostræ conclusionis defensores inveniuntur, quæque brevitatis causa omitto.

Dicendum est igitur cum Aristotele, & D. Thoma, locis suprà citatis, continuum non constare ex solis indivisibilibus; sed potiùs omne continuum, sive permanens, sive successivum, componi ex partibus aliquotis in partes proportionales semper & in infinitum divisibilibus. Idcircò autem quælibet pars continui debet esse in alias partes saltem proportionales semper & in infinitum divisibilis, quia si semel daretur aliqua pars continui, quæ ulteriùs in alias partes dividi non posset, continui pars non foret, sed potiùs aliquod indivisibile.

§. II.

Satisfit adversariorum argumentis.

Objiciunt 1. ex Aristotele 1. topic. ca. 14. *Ita se habet punctum ad lineam, sicut unitas ad numerum*: ergo sicut numerus ex solis unitatibus conflatur, sic etiam linea ex solis indivisibilibus punctis componitur.

Respondeo, solutionem in ipso Aristotelis textu inveniri. Unde sic distinguo ant. ita se habet punctum ad lineam, sicut unitas ad numerum: quantùm ad rationem principii, concedo; sicut enim unitas est numeri principium, ita punctum est pari modo principium lineæ: quantùm ad rationem partis componentis, adeò ut quæmadmodùm solæ unitates sunt partes numerum componentes, ita similiter sola puncta sint partes lineam in ratione extensionis continuæ constituentes, nego. Cujus disparitatis ratio suprà jam allata est.

Objiciunt 2. præsertim contra 1. concluſ. probationem: indivisibile non caret omni extensione:

ergo nihil impedit, ne continuum ex ſolis indiviſibilibus componatur. Conſeq. patet ex dictis in probatione citata. Prob. ant. inſtans eſt aliquid indiviſibile, & tamen non caret omni longitudine, proindèque nec extenſione: ergo indiviſibile non caret omni extenſione. Prob. ant. quod durat per horam, & per inſtans terminativum horæ, longiùs durare cenſetur, quàm id, quod tantùm durat per horam: ergo inſtans non caret omni longitudine.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego, inſtans non carere omni longitudine. Ad prob. in contrarium diſtinguo ant. quod durat per horam, & per inſtans terminativum horæ, longiùs durare cenſetur, quàm id, quod tantùm durat per horam: longiùs durare cenſetur, per aliquam durationis terminationem planè inextenſam & indiviſibilem, concedo: longiùs durare cenſetur, per aliquam durationis extenſionem, proindèque per aliquam longitudinem additam, nego.

Objiciunt 3. præcipuè contra 2. probationem concluſionis: nihil vetat, ne indiviſibilia ſint in continuo immediatè unita, ipſumque totum continuum ſola componant: ergo reipſa ipſum totum ſola componunt. Prob. ant. ſi aliquid impediret, ne indiviſibilia eſſent in continuo immediatè unita, maximè quia ſic in continuo poſita ſe ſe penetrarent; proindèque majus non facerent, nec extenſius: atqui quamvis indiviſibilia ſint in continuo immediatè unita, & ſeſe tangentia, propterea non ſe penetrant: ergo &c. Maj. conſtat ex proba. citata. Prob. min. in contactu duorum corporum, indiviſibilia ipſorum terminativa, immediatè ſunt unita, & ſeſe tangentia; nec tamen ſe penetrant, imò potiùs impediunt corporum illorum penetrationem; ut infrà dicetur: ergo quamvis indiviſibilia ſint in continuo immediatè unita, & ſeſe tangentia, propterea non ſe penetrant.

Reſ-

Respondeo negando ant. ad cujus prob. concessa *maj.* nego *min.* Ad prob. ejus, nego, indivisibilia duorum corporum terminativa immediatè unita & se se immediatè tangentia non se penetrare; cùm enim se tangant secundùm se tota, penetrent se necessè est. Nec refert, quòd indivisibilia illa impediant corporum penetrationem; hanc siquidem penetrationem impediunt, non quia se non penetrent, sed quia hoc corporibus præbent, ut ipsa corpora non se tangãt secundùm se tota, sed secundùm solas extremitates, quę sunt indivisibilia ipsorum corporum terminativa.

Instant: punctum secundùm se totum tangit partem lineæ, cui immediatè unitur, & tamen (secundùm nos) cum illa non penetratur: ergo similiter, si in linea punctum immediatè uniretur puncto, unum cum alio non penetraretur.

Respondeo negando paritatem; penetratio quippe debet necessariò esse mutua, ideòque ad penetrationem necessariò desideratur, ut ambo extrema tangant se secundùm se tota; nec sufficit, ut unum dumtaxat tangat alterum secundùm se totum: licèt autem punctum immediatè unitum parti lineæ, ipsam tangat secundùm se totam; non tamen vicissim pars illa secundùm se totam tangit punctum, sed duntaxat secundùm aliquid sui minus, & minus, in infinitum: at si in linea punctum immediatè uniretur puncto, ambo illa puncta immediatè unita tangerent se mutuò secundùm se tota (ut ostensum est) ideòque penetrarentur.

Objiciunt 4. & ampliùs instant: detur globus perfectè sphæricus, detur quoque corpus perfectè planum; istud corpus perfectè planum erit aliquod continuum, quod ex solis constabit punctis immediatè unitis; quod sic probant: ponatur globus ille perfectè sphæricus supra corpus perfectè planum, tanget ipsum in solo puncto; ut docent Aristoteles 1. de anima cap. 1. textu 13. & Euclid. lib. 3. propos. 13. volvatur ergo globus

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO

ſupra planum, & moveatur motu continuo, tanget planum ſucceſſivè in ſolis punctis immediatè unitis; ſi enim contingeret, ut globus perfectè ſphæricus, & corpus perfectè planum, ſeſe in partibus tangerent, deberent illæ partes ſibi mutuò proportionari; quod omninò repugnat: omnis quippe pars globi perfectè ſphærici curva eſt, & omnis pars corporis perfectè plani eſt plana; curvũ autem & planũ proportionari non poſſunt.

Reſpondeo negando, globum perfectè ſphæricum, vel corpus perfectè planum, ex ſolis punctis immediatè unitis componi. Ad prob. in contrarium, reſpondeo concedendo quidem, quòd ſi globus perfectè ſphæricus quieſcat ſupra corpus perfectè planum, tangat ipſum in ſolo puncto; at ſi globus perfectè ſphæricus ſupra corpus perfectè planum motu continuo moveatur, dico quòd ſeſe tangent ſucceſſivè in punctis, & in partibus proportionalibus immediatè poſt puncta ſuccedentibus. Quòd ſi inſtent adverſarii, partem tangentem, & partem tactam debere ſemper ſibi mutuò proportionari; dico hoc eſſe verum de parte tangente, & parte tacta, in quiete exiſtentibus, non autem de ipſis in motu conſtituris. Motus ſiquidem ſupplere poteſt tangentis & tacti improportionem; ut patet in globo non perfectè ſphærico, cujus partes ſunt inæquales; cujus nimirum partes, aliæ ſunt curvæ, aliæ paululùm acutæ, & ita ad tangendum corpus planum in quiete improportionatæ; hæc enim improportio per motum ſuppleri poteſt: unde ſi globus ille non perfectè ſphæricus ſupra corpus planum moveatur, tanget planum, & in partibus curvis, & in partibus acutis, licèt aliunde improportionatis: & ita ſimili modo, quamvis partes proportionales globi perfectè ſphærici, & corporis perfectè plani, immediatè poſt puncta ſuccedentes, ſint in quiete ad ſeſe tangendas improportionatæ; hæc tamen improportio per motum ſuppleri poteſt, adeò ut per motum ſeſe tangere poſſint.

Obji-

Objiciunt 5. & iterùm instant: si puncta in linea non essent immediatè unita, sed inter duo puncta mediaret pars, hanc punctum immediatè tangere deberet, ut patet: atqui punctum nequit immediatè partem tangere: ergo &c. Prob. min. inter tangens & tactum (saltem in quiete) debet esse proportio: atqui inter punctum, & partem lineæ, nulla est proportio; quandoquidem punctum est indivisibile & inextensum, pars verò lineæ est divisibilis atque extensa: ergo &c.

Respondeo, partem immediatè tactam à puncto posse dupliciter considerari; nempè vel ut est pars, vel ut est proportionalis: si consideretur ut est pars, non proportionatur puncto, quoniam sic accepta est extensa, atque in alias partes divisibilis; si verò sumatur ut proportionalis est, id est, prout est minor, & minor, in infinitum, sic sumpta proportionatur puncto indivisibili & inextenso, quia sic accepta est formaliter indivisibilis & inextensa; ut *in ultimo artic. præcedentis quæst.* §. 11. *in responsione ad 3. objecti.* dictum est. Hoc præmisso.

Sic in forma respondeo distinguendo maj. si puncta in linea non essent immediatè unita, sed inter duo puncta mediaret pars, hanc punctum immediatè tangere deberet, ut est proportionalis, concedo: hanc punctum immediatè tangere deberet, ut pars est, nego ma. & eodem modo distincta min. neganda est conseq. Ad prob. min. concessa maj. distinguo min. atqui inter punctum & partem lineæ, ut pars est, nulla est proportio, concedo: atqui inter punctum, & partem lineæ, ut proportionalis est, nulla est proportio, nego.

Instant: si inter primum & secundum punctum lineæ, mediaret pars, hæc pars non esset continua: atqui omnis pars lineæ (sicut & cujuslibet alterius continui) est necessariò continua: ergo &c. Prob. maj. omne continuum debet habere in se indivisibilia continuativa (ut infrà

dicetur:) atqui pars illa non haberet in ſe indiviſibilia, ſive puncta continuativa, quandoquidem (ut ſupponitur) inter primum, & ſecundum punctum continuativum, ipſa mediaret: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. ad cujus prob. conceſſa ma. nego min. licèt enim pars illa non haberet in ſe indiviſibilia, ſive puncta continuativa determinata; quandoquidem (ut ſupponitur) inter primum & ſecundum punctum determinatum ipſa mediaret; attamen pars illa, ſicut in ſe complecteretur plures indeterminatas partes in infinitum diviſibiles; ita & in ſe contineret plura indiviſibilia ſeu puncta indeterminata, illarum partium indeterminatarum continuativa.

Dices cum adverſariis: figatur baculus in terra, ea ratione, ut una ejus medietas ſit in terra, & in aere medietas altera; tunc ſuperficies terræ, & ſuperficies aeris, immediatè ſibi mutuò unitæ debebunt reſpondere duabus ſuperficiebus in baculo immediatè unitis: ergo cùm duæ ſuperficies ſint in profundum indiviſibiles, erunt in baculo duo indiviſibilia immediatè unita.

Reſpondeo negando, in illa hypotheſi dari in baculo duas ſuperficies immediatè unitas; ſicut enim quando duo corpora immediatè ſe ſe tangunt ſecundùm ſuperficies ſuas, duæ ſuperficies duorum illorum corporum immediatè unitæ, aut contiguæ, reſpondent uni & eidem ſuperficiei aeris ambientis, adeò ut iſta aeris ſuperficies ſecundùm duas medietates ſuas per eandem lineam unitas correſpondeat duabus corporum illorum ſuperficiebus immediatè contiguis: ita pariter in præfata hypotheſi, una & eadem baculi ſuperficies ſecundùm duas medietates ſuas per eamdem lineam copulatas correſpondet ſuperficiebus terræ & aeris immediatè contiguis.

Objiciunt 6. contingere poteſt, ut continuum in omnes omninò ſuas partes dividatur: ergo continuum non conſtat ex partibus in infinitum diviſibilibus. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant.

detur

detur vitrum perfectè planum, quod super tabulam etiam perfectè planam ponatur, & supra vitrum illud magna moles aliqua æqualiter cadat, vitrum in omnes omninò partes suas dividetur; cùm non sit futura ratio, cur potius in aliquas, quàm in alias, dividatur. Similiter: detur aliqua carta, quæ concipiat ignem per ultimam partem, cujus partes flamma successivè lambat; in hac hypothesi, flamma dividet tamdem cartam in omnes omninò ejus partes, dividendo inflammatas partes à non inflammatis.

Deinde, esto virtute creata & finita fieri non possit, ut continuum in omnes omninò partes dividatur, id tamen divina & infinita virtute Dei fieri potest: tum quia sicut continuum est in omnes omninò partes suas extensum, ita in illas omnes divisibile est; proindèque actualis divisio continui in omnes omninò ejus partes, saltem ex divina & infinita virtute Dei, possibilis est: tum quia Deus cognoscit distinctè omnes omninò partes continui: ergo potest continuum in omnes illas partes dividere: tum quia Deus cognoscit clarè omnes omninò divisiones continui possibiles; nihil quippe est possibile, quod ignoret Deus: ergo ultra illas non est possibilis alia continui divisio (alioquin non omnes continui divisiones possibiles Deus cognosceret) proindèque sic Deus potest continuum dividere, ut ulteriùs dividi non possit; in qua hypothesi in omnes omninò partes dividetur, ut patet: tum quia potest Deus v. g. omnia puncta lineæ partes copulantia destruere, in qua hypothesi, linea in omnes omninò partes suas dissolvetur; ut patet: tum denique quia partes continui à se mutuò essentialiter non pendent: ergo possunt omnes omninò divinitùs ab invicem separari.

Respondeo distinguendo ant. contingere potest, ut continuum in omnes omninò suas partes determinatas dividatur, esto ant. contingere potest, ut continuum in omnes omninò suas

partes proportionales dividatur, nego ant. quantuncumque enim continuum dividatur, nunquam tamen devenietur ad ultimam partem proportionalem; ſed partes determinatæ, in quas fiet ipſa continui diviſio, erunt in partes proportionales ſemper in infinitum diviſibiles. Unde neganda eſt conſeq. Ad prob. ant. reſpondeo, in utraque illa hypotheſi futuram eſſe vitri vel cartæ diviſionem in omnes determinatas partes, non tamen in omnes proportionales partes.

Quòd ſi quæras rationem, ob quam fiet diviſio, potiùs in omnes determinatas partes, quàm in omnes proportionales partes? Reſpondeo, diviſionem ita eſſe futuram, quia natura continui (qualis eſt vitri vel cartæ natura) aliam diviſionem pati non poteſt.

Dices cum adverſariis: in ſecunda hypotheſi, ignis inflammabit, non tantùm determinatas, ſed etiam proportionales cartæ partes: ergo carta in omnes omninò partes etiam proportionales dividetur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. in ſecunda hypotheſi, ignis inæqualiter inflammabit, non tantùm determinatas, ſed etiam proportionales cartæ partes; inflammando nimirum immediatè & diſtinctè determinatas partes, & ſolùm mediatè ac confusè proportionales partes, prout nempè iſtæ partes confusè in partibus determinatis inflammandis vel inflammatis includuntur, tamquam earum medietates, concedo: in ſecunda hypotheſi, ignis æqualiter inflammabit, non tantùm determinatas, ſed etiam proportionales cartæ partes; inflammando ſcilicet immediatè & diſtinctè, non modò determinatas partes, ſed etiam proportionales, ipſas veluti enumerando, nego ant. & conſeq.

Ad id, quod additur, nego, divina & infinita virtute Dei fieri poſſe, ut continuum in omnes omninò partes, tam determinatas, quàm proportionales, dividatur, adeò ut non ſit diviſibile amplius;

pliùs; hoc quippe manifestam implicat contradictionem, ad quam divina & infinita virtus Dei se non extendit.

Ad 1. probationem in contrarium, respondeo cum distinctione; & concedo, quòd sicut continuum est in omnes partes suas, tum determinatas, tum proportionales, extensum, ita successivè & divisivè est in illas omnes divisibile; ita ut facta quavis in partes determinatas divisione, possint successivè fieri in partes proportionales aliæ, & aliæ divisiones in infinitum: at nego, continuum esse in omnes partes suas, tum determinatas, tum proportionales, simul & collectivè divisibile, adeò ut ad ultimam partem etiam proportionalem possit tandem deveniri. Unde actualis divisio continui in omnes omninò ejus partes collectivè & simul facienda, nec etiam divina & infinita virtute Dei possibilis est.

Ad 2. prob. distinguo ant. Deus cognoscit distinctè omnes omninò partes continui, ut successivè in infinitum divisibiles, concedo; Deus cognoscit distinctè omnes omninò partes continui ut collectivè & simul divisibiles, nego ant. & similiter distinguo consequens: ergo potest Deus successivè & divisivè continuum in omnes illas partes dividere, concedo: ergo potest Deus collectivè & simul continuum in omnes illas partes dividere, nego.

Ad 3. prob. distinguo iterum ant. Deus cognoscit clarè omnes omninò divisiones continui, ut divisivè & successivè possibiles, concedo: ut collectivè & simul possibiles, nego ant. & concesso 1. consequenti, quòd videlicet ultra divisiones continui clarè à Deo cognitas, non sit possibilis alia continui divisio, ita distinguo 2. consequens: sic Deus potest divisivè & successivè continuum dividere, ut ulteriùs dividi non possit, concedo (Deus quippe potest divisivè & successivè continuum in infinitum dividere; continuum verò ulteriùs, quàm in infinitum, dividi

non

ſionem. 2. ſi partes continuum componentes eſſent infinitæ, daretur in continuo infinita multitudo, utpotè ex infinitis partibus conſurgens.

Reſpondeo diſtinguendo ant. partes aliquotæ continuum componentes non ſunt infinitæ, concedo: (ſunt quippe ſemper in certo & determinato numero, majori, vel minori, juxta majorem vel minorem continui, quod componunt, extenſionem) partes proportionales continuum componentes non ſunt infinitæ, nego ant. & diſtinguo ſimiliter conſequens: ergo ad ultimam aliquotam deveniri poteſt, concedo: ergo ad ultimam proportionalem deveniri poteſt, nego. Unde nequit quidem continuum in infinitum dividi ſecundùm partes aliquotas; benè tamen ſecundùm partes proportionales.

Ad 1. prob. ant. cum pari diſtinctione reſpondeo: ſi partes aliquotæ continuum componentes forent infinitæ, continuum foret infinitè extenſum, concedo: ſi partes proportionales continuum componentes forent infinitæ, continuum foret (propriè) infinitè extenſum (ſeu infinitè magnum) nego. Ratio diſparitatis eſt, quòd partes aliquotę continui novas ſecum afferunt extenſiones adæquatè diſtinctas, quarum una non includitur in alia (ſic v. g. quarta pars ulnæ novam ſecum affert extenſionem, ab extenſione tertiæ partis adæquatè diſtinctam, adeò ut in ea non includatur; & idem fit in tertia parte reſpectu ſecundæ, & in ſecunda reſpectu primæ,) & ideò dum una additur alteri, creſcit continuum, & quò plures adduntur, eò magis creſcit; ideòque ſi in infinitum adderentur & multiplicarentur, continuum creſceret in infinitum, & fieret infinitè extenſum, atque infinitè magnum. At licèt ſingulæ partes proportionales aliquam ſecum afferant extenſionem, extenſio tamen unius adæquatè non diſtinguitur ab extenſione alterius; ſed una in alia includitur, nempè minor in majori, & omnes ſimul in parte aliquota, aut in par-

partibus aliquotis, tanquam earum medietatibus, unde licèt partes aliquotæ ex partibus proportionalibus, sicut ex medietatibus, componantur, ex illarum tamē multiplicatione non crescunt, sicut nec crescit continuum, neque enim crescit vel decrescit, v.g. ulna, ex eo, quòd plures vel paucioresmedietates in ipsa concluduntur. Tum maximè quia incrementum non fit in continuo, nisi ex addita extensione determinata; licet autem singulæ partes proportionales continui addant aliquam extensionem, non tamen determinatam, sed duntaxat indeterminatam.

Dices cum Adversariis: partes proportionales in continuo ita se habent, ut una addita alteri faciat majus & extensius; alioquin continuum non componerent, ut ex dictis patet: ergo si partes proportionales in continuo in infinitum multiplicentur, infinitam magnitudinem & extensionem constituent.

Respondeo distinguendo ant. partes proportionales in continuo ita se habent, ut una addita alteri faciat majus & extensius; per modum *includentis & inclusæ*, concedo: ita se habent, ut una addita alteri faciat majus & extensius; per modum *excludentis & exclusæ*, nego. Quamvis itaque una pars proportionalis addita alteri in continuo faciat majus & extensius, quatenùs una addita alteri determinatam componit partem, quæ semper est omni parte proportionali major & extensior; attamen una alteram non excludit, sed potiùs una aliam includit; ut autem partes in infinitum multiplicatæ faciant aliquid propriè infinitum in magnitudine & extensione, necessè est, ut una alteram excludat; sive est necessè, ut una non includatur in altera; ut constat ex dictis.

Ad 2. prob. ant. respondeo ex doctrina, quam tradit D. Thomas in 4. distinct. 10. q. 1. a. 3. quæst. 1. & 3. part. quæst. 76. art. 3. ad 1. distinguendo: si partes proportionales continuum compo-

nen-

proportionales in uno tritici grano, quot in toto terræ globo; evidentiſſimum tamen eſt, longè plures eſſe aliquotas aut determinatas partes in immēſo terræ globo, quàm in parvo tritici grano.

Vel etiam ex doctrina, quam tradit D. Thomas 3. p. q. 10. a. 3. ad 3. dici poteſt, non eſſe quidem formaliter plures in toto terræ globo proportionales partes, quàm in uno tritici grano; ſicut enim proportionales partes in toto terræ globo formaliter carent termino, ita & in uno tritici grano: attamen debet dici eſſe materialiter plures proportionales partes in immenſo terræ globo, quàm in parvo tritici grano; quia ob majorem globi terræ materiam ſive molem, plures ſunt in eo aliquotæ partes, quàm in tritici grano; unde cùm in qualibet determinata parte, ſive in qualibet aliquota parte, ſint incluſæ proportionales partes infinitæ, fit inde, ut ob majorem illam globi terræ materiam, ſint in eo plures proportionales partes, quàm in tritici grano.

Urgebis 2. ſi in ſpatio, v. g. eſſent infinitæ proportionales partes, ſpatium pertranſiri non poſſet; infinitum namque pertranſiri non poteſt: atqui hoc apertè abſurdum eſt: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi in ſpatio eſſent infinitæ proportionales partes, ſpatium pertranſiri non poſſet; immediatè per partes proportionales, eas enumerando, & ad ultimam deveniendo, concedo: ſpatium pertranſiri non poſſet per aliquotas partes, in quibus proportionales partes concluduntur, nego; cùm enim aliquotæ partes in ſpatio ſint finitæ, omnes percurri poſſunt, proindèque ſpatium per illas pertranſiri poteſt.

Urgebis 3. ſi in motu, v. g. eſſent infinitæ partes proportionales, motus incipere vel deſinere nunquam poſſet: atqui hoc abſurdum eſt: ergo &c. Prob. ma. ut motus incipiat vel deſinat, requiritur neceſſariò, ut in eo ſit pars prima, & pars ultima: atqui ſi partes ejus ſint infinitæ, inter illas nulla erit prima, & nulla ultima: ergo &c.

Reſ-

Respondeo distinguendo ma. si in infinitæ partes proportionales, mo vel desinere nunquam posset, per pr partes, concedo : motus incipere, indivisibile initiativum, & desinere indivisibile terminativum, nunquam go; quamvis etenim in motu nulla si nalis pars prima, & nulla ultima; in datur primum indivisibile initiativu ultimum indivisibile terminativum; tetur.

Urgebis 4. sequeretur ex nostra sent bile velox nunquam assequi posse mob quam sequelam sic probant aliqui r supponamus, (inquiunt) v.gr. Achi triduplò velociùs testudine super ide rursus eundem terminum, ita ut teli dit Achillem quatuor passibus initio Supposito. Incipiant simul moveri Ac tudo. Cùm Achilles quatuor confic quibus testudo ipsum præcedet, tunc t ficere poterit duos passus, necdum at Achille. Deinde, cùm Achilles duo passus, quibus iterum præcedetur à testudo conficere poterit unum passum attingetur ab Achille. Posteà rursus les unum conficiet passum, quo adhu tur à testudine, tum testudo conficer midium passus : & sic deinceps in inf ut testudo nunquam attingatur ab A niam infinita sunt (secundùm nos) dimidia in plano percurrenda, quo testudo Achillem semper præcedere

Respondeo negando sequelam. Ac Achillis & testudinis, dico testitud quidem longo tempore ea præstare, stantia recensentur; non tamen brev re, quod erit satis cursui Achillis, dinem statim non solùm attinget, præcedet.

Obſervandum tamèn eſt ex D. Thoma 1. Phyſic. lect. 9. ad intelligentiam eorum, quæ de continuo dicta ſunt, quèd quando in Schola Peripateticorum aſſeritur, continuum eſſe in infinitum diviſibile; hoc de continuo, non phyſicè, ſed mathematicè conſiderato, intelligendum eſt. Duobus itaque modis continuum conſiderari poteſt, phyſicè nimirum, vel mathematicè. Continuum ſumitur phyſicè, ſi accipitur ſecundùm naturam phyſicam ex materia & forma compoſitam in eo contentam. Attenditur verò mathematicè continuum, dum natura continuę quantitatis in ipſo contenta conſideratur, circa quam Mathematici præſertim occupantur. Si igitur continuum v. gr. lignum, phyſicè aut ſecundùm phyſicam ligni naturam conſpiciatur, in infinitum dividi non poteſt; poteſt enim lignum in tam minutas partes dividi, ut tandem phyſica ligni natura pereat, lignumque ipſum in cineres convertatur. Attamen, ſi continuum mathematicè ſecundùm naturam continuæ quantitatis accipiatur, exigit ut poſſit in infinitum dividi, ita ut nulla unquam diviſione veluti ſatietur.

Articulus Secundus.

An indiviſibilia tam copulantia, quàm terminantia, ſint in continuo verè realiterque ponenda?

§. I.

Quibuſdam præmiſſis, relatiſque ſententiis, veritas explanatur.

NOtandum eſt, nomine *indiviſibilis* copulantis, vel terminantis, hìc intelligi id, quod diviſibiles continui partes inter ſe nectit copulatque, vel terminat & claudit, quarum tamen diviſibilitate caret. Quintuplex autem eſt hujuſmodi indiviſibile. Primum eſt *punctum* in linea, ſecundum eſt *linea* in ſuperficie, tertium eſt *ſuperficies* in corpore, quartum eſt *mutatum eſſe* in motu, quintum eſt *inſtans* in tempore. Quæ omnia indiviſibilia in *articulo præcedenti* §. 1. *Notabili* 2. fuere explicata. Quæritur ergo, utrum puncta in linea, lineæ in ſuperficie, ſuperficies in corpore, mutata eſſe in motu, & inſtantia in tempore, verè rèaliterque inveniantur, quibus partes eorum poſitivè, & copulentur, & terminentur.

Circa hanc difficultatem non parva eſt Philoſophorum controverſia; unde multiplex eſt illorum ſententia. Prima abſolutè negat, dari realiter ulla in continuo indiviſibilia, ſive copulantia, ſive terminantia: ita docent Durandus, & Nominales. Secunda ſententia, indiviſibilia copulantia admittit, & terminantia rejicit: ita Hurtadus. Tertia ſententia, è contra rejectis indiviſibilibus copulativis, agnoſcit in continuo indiviſibilia terminativa: ita Fonſeca. Quarta tandem ſententia aſſerit, eſſe verè ac realiter ponenda in continuo indiviſibilia poſitiva, tam copulativa, quàm terminativa; quæ in linea ſint puncta, in ſuperficie ſint lineæ, in corpore ſint ſuperficies, in motu ſint mutata eſſe, & in tempore ſint inſtantia: aſſeveratque eadem ſententia, indiviſibilia illa realiter modaliter diſtingui à partibus per ipſa copulatis vel terminatis. Hanc ſententiam tuetur utraque Angelici & ſubtilis Doctoris Schola; quā etiam ſequuntur Suarez, & alii plures Recentiores. Pro hac ultima ſententia.

Dico: dantur verè realiterque in continuo indiviſibilia, tam copulantia, quàm terminantia, à partibus copulatis & terminatis realiter modaliter diſtincta.

Prob. 1. ex Ariſtotele, qui cap. de quant. ſic ait: *Linea continua eſt; licet enim communem ſumere terminum, ſcilicet punctum, quo ejus partes conjungantur.* Quibus verbis clarè admittit indi-

natæ, indeſignabiles, & proportionales: ut ex dictis in *articulo præcedenti* patet: atqui corpora contigua non tangunt ſe duntaxat ſecundùm partes indeterminatas, indeſignabiles, & proportionales: ergo &c. Prob. mi. pars indeterminata & indeſignabilis determinari vel deſignari non poteſt, ut conſtat: atqui id, in quo corpora contigua ſe tangunt, determinari aut deſignari poteſt, etiam ad ſenſum, v. g. ad viſum nonnunquam, vel ad tactum, ſi v. g. culter inter ipſa ſcrutando ponatur; ut experientia probari poteſt: ergo &c.

Dices cum Adverſariis: indiviſibilia corporum terminativa poſſunt (ſecundùm nos) naturaliter ſe ſe immediatè tangere: ergo & extremæ eorum partes.

Reſpondeo negando paritatem: ex eo ſiquidem, quòd indiviſibilia corporum terminativa immediatè ſe ſe tangant, non ſequitur propriè penetratio; quoniam ea tantùm propriè poſſunt penetrari, quæ propriè occupant locum: indiviſibilia verò propriè non occupant locum; cùm enim omnis locus ſit diviſibilis, per indiviſibile propriè occupari non poteſt: at extremæ partes corporum cùm ſint diviſibiles, propriè occupant locum; unde ſi immediatè ſe naturaliter tangerent, naturaliter propriè ſe ſe penetrarent; quod dici non poteſt.

Prob. 5. detur globus ſphæricus eo perfectioni modo, quo fieri poteſt; & ponatur ſupra planum, quod etiam ſit planum eo perfectiori modo, quo fieri poteſt; globus ille, & hujuſmodi planum tangent ſe ſe in duobus punctis (& ita in duobus indiviſibilibus) terminativis: ergo dabuntur in ejuſmodi corporibus puncta (& ita indiviſibilia) terminativa. Ant. eſt doctrina ipſa Ariſtotelis 1. de Anima cap. 1. textu 13. & omnium Mathematicorum, cum Euclide, lib. 3. propoſit. 13. & præterea ſic prob. globus ille, & hujuſcemodi planum, tangent ſe, vel in duabus par-

partibus extremis, vel in duobus punctis terminativis: atqui non tangent se in duabus partibus extremis: ergo in duobus punctis terminativis. Ma. clara est. Prob. mi. juxta constantem Mathematicorum doctrinam, & quotidianam experientiam, quæ immediatè se tangunt, proportionantur: atqui pars globi perfectè sphærici, & pars corporis perfectè plani, nequeunt proportionari: ergo &c. Prob. mi. omnis pars globi perfectè sphærici debet esse curva, & omnis pars corporis perfectè plani debet esse plana, ut patet: atqui *curvum*, & *planum*, nequeunt proportionari; ut patet: ergo &c.

Simile argumentum fieri potest de cylindro perfecto (sive de columna perfectè rotunda:) si etenim perfectus cylindrus ponatur supra perfectè planum, cylindrus ille, & planum illud perfectum, tangent se immediatè, non in partibus extremis (quia nulla pars cylindri perfectè rotundi plana est; è contra verò nulla est pars in corpore perfectè plano, quæ non sit plana; *non planum* autem, & *planum*, non proportionantur; proindeque tangere se immediatè nequaquam possunt) sed in duabus lineis indivisibilibus in latum, ipsorum terminativis: ergo dabuntur in corporibus illis lineæ indivisibiles in latum, ipsorum terminativæ.

Denique si unum corpus perfectè planum poneretur supra aliud corpus perfectè planum, naturaliter tangerent se immediatè duo illa corpora, ut liquet; at non in profundum, alioquin se penetrarent; sed solùm in latum, sive in duabus superficiebus in latum quidem extensis & divisibilibus, sed in profundum inextensi & indivisibilibus, hujusmodi corporum terminativis: ergo darentur in ejusmodi corporibus superficies in profundum inextensæ & indivisibiles.

Hoc argumento ita Adversarii percelluntur, ut plures ex illis negent, posse dari globum perfectè sphæricum; quia, inquiunt, dato globo quã-

tumcumque ſphærico, ſive data ſphæra quantumcumque perfecta, poteſt perfectior, & perfectior in infinitum dari. Et eodem modo loqui tenentur de cylindro & corpore plano, quòd nempè nullus cylindrus perfectè rotundus, vel nullum corpus perfectè planum dari poſſit.

At hæc reſponſio & doctrina communiter ab aliis rejicitur; & meritò: ſi enim dari non poſſit globus perfectè ſphæricus, ſeu perfecta ſphæra, quia perfectior, & perfectior in infinitum effici poteſt: ſequeretur, non poſſe dari perfectum Angelum, vel perfectum hominem; quoniam dato Angelo, vel homine quantumcumque perfecto, poteſt perfectior, & perfectior in infinitum dari.

Reſpondent 2. alii cum Conimbricenſibus, globum perfectè ſphæricum, poſitum ſupra planum, non tangere illud poſitivè, ſed tantùm negativè, quatenùs ab illo non diſtat.

Sed hæc reſponſio non magis ſatisfacit, & meum eſt paradoxum: quo pacto etenim fieri poteſt, ut duo corpora ad contactum apta, à ſe mutuò non diſtent, & poſitivè mutuò ſe ſe immediatè non tangant?

Reſpondent 3. alii communiter, concedendo, globum perfectè ſphæricum poſitum ſupra planum, & planum ipſum, ſe ſe quidem tangere poſitivè; at non in punctis phyſicis, realibus, & poſitivis; ſed duntaxat in punctis moralibus, virtualibus, & negativis; ſive quod idem eſt, in partibus inadæquatis, minoribus, & minoribus in infinitum.

Sed contra 1. ſic argumentor: contactus phyſicus, realis, & poſitivus, debet fieri in aliquo phyſico, reali, & poſitivo; ut patet: atqui contactus mutuus globi & plani eſt phyſicus, realis, & poſitivus; ut liquet etiam ad oculum: ergo fieri debet in aliquo phyſico, reali, & poſitivo; nimirum in punctis phyſicis, realibus, & poſitivis.

2. Pun-

2. Puncta moralia, virtualia, & negativa, sive partes inadæquatæ, minores, & minores in infinitum; sunt reipsa partes proportionales, indeterminatæ, & indesignabiles: ut autem suprà ostensum est; id in quo duo corpora contigua (cujusmodi sunt globus, & planum, se se mutuò tangentia) se tangunt, determinati & designari potest, etiam ad sensum; proindeque non est pars proportionalis, indeterminata, & indesignabilis.

Quòd verò indivisibilia continui, tum copulantia, tum terminantia; realiter modaliter saltem, à partibus copulatis & terminatis distinguantur, facilè suadetur; quod enim realiter indivisibile est (qualia sunt indivisibilia in continuo contenta, ut ex dictis constat,) nequit esse omninò idem realiter cum eo, quod realiter divisibile est (quales sunt continui partes.)

Distinguuntur igitur aliquo modo realiter indivisibilia, tum copulantia, tum terminantia; à partibus continui, tum copulatis, tum terminatis; non tamen realiter entitativè, sed tantùm realiter modaliter; quia, ob minimam & indivisibilem entitatem suam, non sunt propriè res; sed duntaxat modi aliqui, quibus continui partes in sui copulatione & terminatione modificantur.

Unde quia modus à re modificata separari non potest, ita ut separatus subsistat (eò quòd essentialiter ab ea pendeat, ob infirmitatem entitatis suæ;) indivisibilia, tam copulativa, quàm terminativa continui, nequeunt à partibus copulatis & terminatis separari, ita ut separata subsistant.

§. II.

Præcipuæ Adverſariorum objectiones ſolvuntur.

OBjiciunt 1. hæc Ariſtotelis verba, ſumpta ex lib. 8. Metaph. cap. 5. textu 14. *Cùm autem* (inquit) *quædam abſque generatione & corruptione ſint, & non ſint; ut puncta, ſi ſint quidem.* Et iſta alia verba, accepta ex 1. de Anima cap. 4. textu 71. *Puncta enim* (inquit) *in omnibus corporibus videntur eſſe.* Contendunt ſiquidem Adverſarii, Ariſtotelem illis verbis puncta in dubium revocaſſe.

Deinde 3. Metaph. cap. 5. textu 17. ait idem Philoſophus, *Superficiem eſſe in corpore, ſicut Mercurius eſt in rudi lapide*: ergo ſicut Mercurius (hoc eſt figura ſeu imago Mercurii) non eſt actu in rudi lapide; ſic etiam ſuperficies non eſt actu in corpore.

Et poſtea ſubdit Ariſtoteles: *Eadem ratio de linea & puncto eſt.* Quaſi clariùs diceret: ſicut ſuperficies non eſt actu in corpore, ita nec linea in ſuperficie, neque punctum in linea.

Præterea in lib. de animalium motione cap. 3. ait, *Puncta axem mundi terminantia* (quæ vocantur poli, ſuper quos Cœlum moveri dicitur) *nullam habere ſubſtantiam ſeu eſſentiam.*

Denique 3. de Anima cap. 6. textu 25. punctum exponit per privationem: *Punctum* (inquit) *& indiviſibile cognoſcitur, ſicut privatio.* Quaſi diceret Ariſtoteles (inquiunt Adverſarii,) punctum nihil aliud eſſe præter partem, prout ipſa exprimit ulterioris extenſionis privationem.

Hæc omnia parùm urgent, & facilè ſolvuntur. Unde ad duo prima teſtimonia, reſpondeo negando, Ariſtotelem in huiuſmodi teſtimoniis, puncta in dubium revocaſſe; etenim Ariſto-

ſtoteles in ſuo loquendi modo ſolùm innuere intendit, non eſſe certum apud omnes, puncta in continuo inveniri; ſed eſſe circa hoc duas ſententias oppoſitas, quarum una affirmat, & altera negat; affirmantem tamen ſententiam tuetur ipſe Philoſophus locis in prima concluſionis probatione allatis.

Ad teſtimonium ex 3. Metaph. deſumptum, reſpondeo, Ariſtotelem loqui de ſuperficiebus, lineis, & punctis, quæ ex diviſione partium corporis, ex diviſione partium ſuperficiei, & ex diviſione partium lineæ, reſultare ſolent: quando enim dividuntur & ſeparantur partes corporis, perit ſuperficies, quæ partes illæ anteà copulabantur; & reſultant duæ ſuperficies, diviſas & ſeparatas partes corporis terminantes, quæ antè in hujuſmodi partibus ſolùm in potentia cõtinebantur, ſicut figura Mercurii in rudi lapide. Et ſimiliter, ſi dividantur & ſeparentur ſuperficiei partes, deſtruitur linea inter illas media, qua partes illæ anteà jungebantur; & reſultant duæ lineæ terminantes, quæ etiam in ejuſmodi partibus ſolùm in potentia, ante diviſionem, reperiebantur. Et ſimili modo, dum partes lineæ ſeparantur, deſinit punctum inter iſtas partes medium, quo continuabantur; & loco ejus reſultant duo puncta partium ſeparatarum terminativa, quæ pariter in linea erant tantùm in potentia. Et hoc duntaxat vult Ariſtoteles allato in teſtimonio.

Dices cum Adverſariis: nulla afferri poteſt cauſa ſuperficierum, linearum, & punctorum, ex diviſione partium corporis, ex diviſione partium ſuperficiei, & ex diviſione partium lineæ reſultantium effectiva; quænam enim eſſet? Reſpondeo, ſufficientem hujuſmodi ſuperficierum, linearum, & punctorum, cauſam effectricem eſſe illã, quæ partes illas primò produxit; cauſa enim, quæ primò rem producit, & ei dat *eſſe*, debet etiam ipſi *dare conſequentia ad eſſe*, juxta commu-

Inſtabis 3. ſi à linea Deus auferret omnia puncta indiviſibilia, adhuc remaneret continua: ergo indiviſibila puncta copulantia ſunt ad continuationem lineæ inutilia. Prob. ant. ablatis à linea omnibus indiviſibilibus punctis; vel id, quod ex linea remaneret, indiviſibile foret, vel diviſibile? non indiviſibile, alioquin omnia indiviſibilia ablata non fuiſſent, proindèque nec omnia puncta: ſi verò, quod permaneret ex linea, diviſibile foret, utique in longum; & ita remaneret in longum extenſio, quæ ſine dubio continua eſt.

Reſpondeo negando ſuppoſitum argumenti; ſupponit namque argumentum, ablatis à linea omnibus indiviſibilibus punctis, quibus partes ejus copulantur, aliquid ex linea remanere; quod planè impoſſibile eſt: cùm etenim linea eſſentialiter exigat partes per puncta copulatas, ſi omnia puncta auferantur, pereat tota linea neceſſe eſt.

Inſtabis 4. ſi punctum in linea poſitum ejus partes copularet, hujuſmodi partes tangere deberet; ut conſtat: atqui punctum nequit partes lineæ tangere: ergo &c. Prob. min. ex Ariſt. 5. Phyſic. 3. & 6. Phyſic. 1. *Ea tantùm ſe tangunt, quorum extrema ſunt ſimul*: ergo cùm punctum extrema non habeat, utpote indiviſibile, lineæ partes tangere non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi punctum in linea poſitum ejus partes copularet, hujuſmodi partes impropriè tangere deberet, ſive ipſis tanquam nexus & terminus communis immediatè uniri deberet, concedo: hujuſmodi partes propriè tangere deberet, nego; ut enim rectè ex Ariſtotele in inſtantia dicitur, ea tantùm propriè ſe tangunt, quorum extrema ſunt ſimul; punctum verò nulla habet extrema.

Inſtabis 5. ſi darentur indiviſibilia partium continui copulativa, unumquodque ex illis eſſet in duobus ſubjectis realiter diſtinctis, nempè in duabus partibus, quas copularet; hoc autem abſurdum eſt.

Reſ-

tangere, id eſt, nequit immediatè ipſam afficere, nego: ut autem indiviſibile diviſibilem continui partem terminet, eſt ſatis, ut immediatè ipſam afficiat. Ad prob. ant. diſtinguo ſimiliter ant. Quæ propriè ſe tangunt, adæquantur, concedo: quæ impropriè ſe tangunt, adæquantur, nego. Unde ex eo, quòd indiviſibile non poſſit partem diviſibilem continui adæquare, ſequitur quidem, ut nequeat propriè eam tangere; nihilominùs manet ſemper, quòd poſſit immediatè, per modum ultimi termini, illam afficere, ſicque ipſam terminare.

Inſtabis 1. poteſt (ex nobis) punctum immediatè partem lineæ, ſecundùm aliquid minus, & minus, in infinitum afficere, abſque eo, quòd cum illa penetretur: ergo ſimiliter poteſt globus perfectè ſphæricus, abſque penetratione immediatè tangere planum, non in puncto terminante, ſed in parte in infinitum minore; & ita inutilia ſunt in globo perfectè ſphærico, vel in plano puncta terminantia.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. & paritatem. Ad penetrationem quippe requiritur, ut quæ penetrantur, mutuò ſe tangant ſecundùm ſe tota; ideoque hoc ipſo, quòd punctum non tangit, ſive non afficit partem lineæ ſecundùm ipſam totam, ſed ſecundùm aliquid ipſius, minus, & minus, in infinitum, propriè cum illa non penetratur; at ſi pars globi immediatè tangeret partem alteram ſibi in plano reſpondentem, hæ partes immediatè tangerent ſe ſecundùm ſe totas; quoniam deberent eſſe ſimul (etenim ex Ariſtotele ſuprà citato, quæ immediatè ſe tangunt, debent eſſe ſimul,) id eſt, deberent eſſe in eodem loco; quæ autem ſunt in eodem loco, tangunt ſe ſecundùm ſe tota, atque penetrantur.

Deinde, ea in quibus immediatè globus perfectè ſphæricus, & corpus perfectè planum, in quiete ſe ſe tangunt, poſſunt etiam ad ſenſum deſigna-

ſignari (ut ſuprà dicebamus:) ergo non ſunt partes indeterminatæ & indeſignabiles, in infinitum minores.

Inſtabis 2. ſupponamus, quòd dum globus perfectè ſphæricus actu tangit planum, Deus auferat à globo punctum terminans; poſt deſtructionem puncti, adhuc globus tanget planum, quia à plano non fiet diſtans; quandoquidem punctum intermedium ablatum & deſtructum non occupabat ſpatium ſeu locum: ergo globus non tangebat planum in puncto.

Reſpondeo, quòd ſi Deus à globo perfectè ſphærico actu tangente planum auferret punctum terminans, ſtatim connaturaliter aliud loco præcedentis, ex parte extrema globi perfectè ſphærici, reſultaret (eo ſimili modo, quo *in reſponſione ad* 1. *obi. ſuprà* dictum eſt;) ideòque globus perfectè ſphæricus ſemper tangeret planum in puncto. Quòd ſi Deus miraculoſa impediret, ne, ablato priore puncto terminante, aliud loco ejus ſuccederet; tunc conſequenter ad primum miraculum, aliud fieret, ſcilicet miraculoſa globi cum plano penetratio.

Inſtabis 3. cum quodam Recentiore, his verbis: libenter, inquit, peterem ab Adverſariis, an vellent expectare lapidem molarem è concavo lunæ verſus ipſos directè decidentem, ſi ſcirent, Deum ab illo lapide omnem ſuperficiem terminantem abſtuliſſe? certè non; & quare? quia percuteret, & ita tangeret.

Reſpondeo, me in ea hypotheſi non eſſe expectaturum lapidem illum; quia quantumvis ſuperficies extrema lapidem illum terminans auferretur, ſtatim connaturaliter alia reſultaret, eo ſimili modo, quo dictum eſt loco citato.

Quòd ſi Deus miraculosè impediret, ne, ablata ſuperficie extrema terminante, alia reſultaret, dico,

dico, quòd tunc lapis cadens, & in extrema parte propria ſuperficie ſpoliata me tangens, mecum in parte iſta penetraretur; unde ratione ejus me non percuteret, benè tamen ratione aliarum ſuperficierum terminantium, in aliis partibus lapidis remanentium.

Quòd ſi Deus auferret omnes omnìnò ſuperficies terminantes, tum à parte extrema, tum ab aliis omnibus lapidis partibus; tunc lapis ſic ſpoliatus, ſi divinitùs remaneret, meque tangeret, mecum ſecundùm omnes partes ſuas penetraretur; unde per accidens me nullo modo percuteret, quia ut unum aliud percutiat, neceſſe eſt, ut cum illo non penetretur, ſed violenter ipſum impellat vel premat.

Pari modo ſolvendum eſt hoc cujuſdam alterius recentioris argumentum; detur pila ferrea tormento bellico explosa contra cryſtallinum ſpeculum propria ſuperficie extrema terminante ſpoliatum; ipſum franget, proindeque & tanget. Dicendum enim eſt, quòd ablata una ſuperficie terminante, ſubitò connaturaliter alia reſultabit. Quòd ſi Deus auferat à ſpeculo illo omnes omninò ſuperficies terminantes, & impediat, ne aliæ reſultent, tunc fiet pilæ ferreæ & ſpeculi penetratio; unde per accidens ſpeculum non frangetur: repugnat namque, ut unum corpus cum alio penetretur, & cum ipſo intimò ſocietur, & tamen ipſum frangat.

Objicies 5. Indiviſibilia ſunt partibus diviſibilibus continui extrinſeca: ergo eas intrinſecè terminare non poſſunt.

Reſpondeo diſtinguendo ant. indiviſibilia ſunt partibus diviſibilibus continui extrinſeca in ratione partium intrinſecè componentium; quatenùs non ſunt in partibus diviſibilibus continui, ad modum partium ipſa intrinſecè componentium, concedo: indiviſibilia ſunt partibus diviſibilibus continui extrinſeca in ratione terminorum copulantium & terminantium, nego;

reve-

reverà namque indivisibilia in continuo posita, intrinsecè partes ejus afficiunt, ipsas copulando & terminando.

Articulus Tertius.

Quonam modo res incipiant, vel desinant?

NOtandum est 1. res alias esse permanentes, alias successivas. Res permanens ea est, cujus essentia est tota simul; ut sunt homo, leo, arbor &c. Res verò successiva est illa, quæ essentialiter in continuo fluxu posita est; ut sunt motus, & tempus.

Notandum est 2. instans initiativum, vel terminativum cujuslibet rei, posse esse duplex; videlicet vel intrinsecum, vel extrinsecum. Tunc rem in instanti intrinseco incipere censetur, quando in hujusmodi instanti primò habet suum *esse*, cùm immediatè antea (id est, in parte temporis istud instans antecedente) non haberet. Unde res quæ ita incipit, dicitur apud Philosophos, incipere per *primum esse sui*; quia de ipsa verum est dicere eo instanti; Nunc primò res habet *esse*, & immediatè anteà non habebat. Tunc verò rem in instanti extrinseco incipere asseritur, quando in isto instanti nondum habet suum *esse*, sed immediatè posteà (id est, in parte temporis statim sequente) habebit. Ideòque res, quæ ita incipit, dicitur incipere per *ultimum sui non esse*, quia de ipsa verum est dicere illo in instanti; Nunc res ultimò non est, & immediatè posteà erit.

Præterea tunc desinit res aliqua in instanti intrinseco, cùm isto in instanti habet postremò suum *esse*, & immediatè post (id est in parte temporis hoc instans subsequente) non habebit; unde res, quæ isto desinit modo, dicitur desinere per *ultimum sui esse*, quoniam de ipsa verum est dicere eo in instanti: Nunc ultimò res habet

bet *eſſe*, & immediatè poſt non habebit. Denique illud in inſtanti extrinſeco deſinit, quod ejuſmodi inſtanti non habet ſuum *eſſe*, ſed immediatè anteà habebat; unde res, quæ ſic deſinit, deſinere dicitur per *primum ſui non eſſe*; quia tunc de ipſa verum eſt dicere: Nunc primò res non habet *eſſe*, & immediatè anteà habebat. His prænotatis & explicatis.

Dico 1. res ſucceſſivæ (ut motus & tempus) ſecundùm ſuam eſſentiam conſideratæ, incipiunt & deſinunt per inſtans extrinſecum. Ita communiter Philoſophi.

Prob. 1. p. tunc res aliqua ſecundùm eſſentiam conſiderata, incipere dicitur in inſtanti extrinſeco, quando in inſtanti ſui initiativo nondum ſuam habet eſſentiam, ſed immediatè poſteà habebit: atqui res ſucceſſiva in inſtanti ſui initiativo nondum ſuam habet eſſentiam, ſed immediatè poſteà habebit: ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. mi. eſſentia rei ſucceſſivæ conſiſtit in ſucceſſione partium, quarum aliæ ſunt priores, & aliæ poſteriores: atqui res ſucceſſiva nondum habet in inſtanti ſuo initiativo, ſucceſſionem partium, quarum aliæ ſint priores, & aliæ poſteriores; cùm enim inſtans, utpotè indiviſibile, ſic totum ſimul; *prius* & *poſterius* ſucceſſivè in eo non dantur: ipſa verò res ſucceſſiva immediatè poſt, id eſt, in partibus ſequentibus temporis, habebit ſucceſſionem partium, quarum aliæ erunt priores, & aliæ poſteriores; ut patet: ergo &c.

Prob. 2. p. tunc res aliqua ſecundùm eſſentiam conſiderata deſinere dicitur in inſtanti extrinſeco, quando in inſtanti ſui terminativo non habet ampliùs eſſentiam ſuam, ſed anteà immediatè habebat: atqui res ſucceſſiva in inſtanti ſui terminativo ſuam ampliùs non habet eſſentiam; quia, ut probatum eſt, eſſentia rei ſucceſſivæ in inſtanti ſalvari non poteſt: immediatè verò anteà, hoc eſt in partibus præcedentibus temporis,

poris, ſuam habebat eſſentiam, videlicet p
tium priorum & poſteriorum ſucceſſionem;
evidens eſt: ergo &c.

Dico 2. indiviſibilia rerum ſucceſſivarum (
ſunt inſtantia temporis, & *mutata eſſe* motus)
cipiunt per *primum eſſe ſui*, & deſinunt per *u*
mum ſui eſſe.

Ratio clara eſt. Tunc etenim aliquid dici
incipere per *primum eſſe ſui*, quando in ipſo ini
totum habet ſuum *eſſe*, & immediatè anteà ill
non habebat: atqui quodlibet indiviſibile rei ſu
ceſſivæ habet ipſo initio totum ſuum *eſſe*; cù
enim illud eſſe ſit indiviſibile, totum in initio
diviſibili poteſt ſalvari: & præterea indiviſib
rei ſucceſſivæ immediatè ante ſui initium non
bebat *eſſe*; ut patet: ergo &c.

Deinde, tunc aliquid dicitur deſinere
ultimum ſui eſſe, quando in ultima ſui termi
tione adhuc ſuum habet *eſſe*, & immediatè po
non habebit: atqui quodlibet indiviſibile
ſucceſſivæ adhuc habet *eſſe* in ultima ſui term
tione; nam cùm illud *eſſe* ſit (ut dixi) indivi
le, in indiviſibili terminatione ſervari poteſt
indiviſibile rei ſucceſſivæ immediatè poſt u
mam ſui terminationem non habebit *eſſe*; ut
ſpicuum eſt: ergo &c. Unde diſtinguunt Ph
ſophi duo inſtantia rationis, in quorum pri
indiviſibile rei ſucceſſivæ concipitur incipere
in ſecundo, terminari ac deſinere.

Dico 3. res permanentes (ſive ſubſtantiæ
ſive accidentia) incipiunt per inſtans int
cum. Ita communiter Philoſophi.

Prob. tunc aliquid incipit per inſtans i
ſecum, quando in primo inſtanti ſuæ dura
initiativo habet *eſſe*, & immediatè anteà
habebat: atqui quælibet res permanens in p
inſtanti ſui durationis initiativo habet *eſſe*
enim illud *eſſe* ſit permanens & totum ſimu
teſt inveniri in inſtanti, quod totum eſt in
& immediatè anteà, id eſt, ante p

inſtans ſuæ durationis initiativum, non habebat eſſe; ut conſtat: ergo &c.

Dico 4. materiales ſubſtantiæ corruptibiles reipſa deſinunt in inſtanti extrinſeco.

Prob. tunc aliquid deſinit in inſtanti extrinſeco, ſeu per *primum ſui non eſſe*, quando in inſtanti ſui terminativo, primò non habet *eſſe*, & anteà immediatè habebat: atqui materiales ſubſtantiæ corruptibiles in inſtanti ſui terminativo, primò non habent *eſſe*, & anteà immediatè eſſe habebant: ergo &c. Maj. aperta eſt. Prob. min. exemplo ſubſtantialis formæ animalis; in inſtanti quippe ejus terminativo, in quo moritur animal, introducitur in materiam forma cadaverica, ita ut eo inſtanti verum ſit dicere: Nunc cadaveris forma in materia præſens eſt: unde cùm cadaveris forma, & forma animalis, mutuò inter ſe pugnent, eodem in inſtanti etiam verum eſt dicere: Nunc forma animalis in materia primò non eſt, & immediatè anteà erat: proindeque illo inſtanti primò non habet *eſſe*, & anteà immediatè eſſe habebat: deſinit ergo ſubſtantialis forma animalis (ac proinde & animal, quod eſt aliqua materialis ſubſtantia corruptibilis,) In inſtanti extrinſeco.

Nec dicas cum aliquibus Recentioribus, ſubſtantialem formam animalis, & formam cadaveris, poſſe eodem inſtanti ſimul eſſe in materia; eo modo, ut forma animalis ſit in via corruptionis, forma verò cadaveris ſit in ſtatu permanentiæ.

Contrà enim eſt, quòd ſi ita fieret, idem pro eodem temporis inſtanti ſimul eſſet animal & cadaver; quod planè repugnat. Animal itaque, & quævis alia materialis ſubſtantia corruptibilis, deſinit in inſtanti extrinſeco; per accidens tamen, nimirum propter formæ corruptæ, & formæ de novo genitæ in eadem materia incompatibilitatem. Unde, ſi ſubſtantialis forma per ſe deſineret, abſque novæ alterius formæ ſubſtantialis cum priore

in-

Articulus Quartus.

Verum ex Dei absoluta potentia multitudo actu infinita dari possit?

Affirmant nominales, & ex Scotistis plures, quibus consentiunt multi recentiores. Negant tamen Angelici Doctoris Discipuli, imò & Philosophi communiter, cum quibus

Dico: ex Dei absoluta potentia, multitudo actu infinita dari non potest.

Prob. 1. ratione, quam tradit D. Thomas 1. p. quæst. 7. art. 4. in corpore: multitudo nihil est aliud, quàm unitatum aggregatio mensurata per unum; ita ut multitudo major sit, vel minor, prout in ea ultima unitas magis vel minùs à prima recedit (quamobrem centum homines majorem constituunt multitudinem, quàm quinquaginta) necesse igitur est, ut in omni multitudine sit prima & ultima unitas, & ita principium & finis: ergo implicat, ut detur multitudo actu infinita (quoniam repugnat planè, ut id, in quo est principium & finis, sit propriè actuque infinitum) proindèque nec etiam de absoluta Dei potentia dari potest.

Respondent 1. aliqui, definitionem illam multitudinis: *Multitudo est unitatum aggregatio mensurata per unum*: debere intelligi de multitudine quantitativè (quæ nempè est numerus quantitativus, specialiter in prædicamento quantitatis collocatus, de quo in categoria quantitatis dictum est) non autem de multitudine transcendentali, quæ ex unitatibus transcendentalibus, id est, ex quibuscumque entitatibus coalescit.

Sed contra sic argumentor: sicut multitudo quantitativa ex unitatibus quantitativis aggregatur; ita eodem proportionali modo, multitudo transcendentalis ex unitatibus transcendentalibus

libus coaleſcit : ſicut ergo neceſſe omninò eſt, ut in omni multitudine quantitativa poſſibili ſit prima & ultima unitas quantitativa ; ſic proportionaliter eſt prorsùs neceſſe, ut in omni multitudine tranſcendentali ſit prima & ultima unitas tranſcendentalis.

Reſpondent 2. alii, multitudinem finitam eſſe quidem aggregationem unitatum menſuratam per unum; non tamen multitudinem actu infinitam.

Sed contra ſic argumentor : ſicut quia homo in communi definitur : *Animal rationale*; idcircò omnis homo, etiam poſſibilis ex Dei abſoluta potentia, debet neceſſariò eſſe animal rationale; ſic pariter, quia multitudo in communi definitur : *Aggregatio unitatum menſurata per unum*; eſt penitùs neceſſe, ut omnis multitudo, etiam poſſibilis ſecundùm potentiam Dei abſolutam, ſit aggregatio unitatum menſurata per unum; ideòque ex abſoluta Dei potentia dari non poteſt multitudo, quæ non ſit finita, utpote per unum menſurata.

Reſpondent 3. alii, non repugnare, ut multitudo ſit actu infinita, & tamen ſit in ea prima & ultima unitas; dummodò in multitudine tot ſint unitates, ut incipiendo ab una, ſive à prima, nunquam, ſucceſſivè numerando, ad ultimam perveniatur.

Sed contra : eſt quippe apertiſſima repugnantia, ut multitudo ſit actu infinita, & tamen ſit in ea, prima & ultima unitas; etenim prima unitas eſt principium multitudinis, & ultima unitas eſt ejus finis : quis autem non videat, manifeſtam eſſe repugnantiam, ut multitudo ſit actu infinita, & tamen ſit in ea principium & finis ?

Prob. 2. ſi Deus produceret multitudinem actu infinitam, v. g. hominum, divina omnipotentia circa humanum genus exhauriretur : atqui divina omnipotentia circa humanum genus

ex-

exhauriri non poteſt: ergo &c. Min. patet: potentia enim, quæ exhauritur, nihil ampliùs poteſt: repugnat verò, ut omnipotentia divina nihil ampliùs poſſit: cùm *omnipotentia* ſic appelletur, quia omnia poteſt, in omni genere, & in omni ſpecie. Prob. verò maj. Tunc exhauritur virtus aut omnipotentia Dei, quando nihil ampliùs poteſt: atqui ſi Deus produceret multitudinem hominum actu infinitam, divina omnipotentia circa humanum genus nihil poſſet ampliùs; ergo &c. Maj. clara eſt. Prob. min. Deum aut Dei omnipotẽtiam aliquid poſſe circa humanum genus, eſt Deum aut omnipotentiam Dei poſſe hominem vel homines producere: atqui ſi Deus produxiſſet multitudinem hominum actu infinitam, Deus non poſſet ampliùs alium hominem, aut alios homines producere: ergo &c. Maj. etiam clara eſt. Prob. min. productis omnibus omnino hominibus poſſibilibus, Deus non poſſet ampliùs alium hominem, vel alios homines producere; alioquin omnes omninò homines poſſibiles & producibiles non produxiſſet: atqui ſi Deus produxiſſet multitudinem hominum actu infinitam, produxiſſet omnes omninò homines poſſibiles & producibiles; quandoquidem omnes omninò homines poſſibiles & producibiles collectivè ſumpti, ultra multitudinem actu infinitam extendere ſe nequaquam poſſunt: ergo &c.

Reſpondent adverſarii, producta hominum multitudine actu ſimpliciterque infinita, Deum poſſe alios homines in infinitum producere, quia multitudo actu infinita hominum eſt infinities à Deo producibilis.

Sed contrà: ſi multitudo actu infinita hominum eſt infinities à Deo producibilis, contingere poteſt, ut infinities à Deo producatur (contingere enim poteſt, ut Deus id producat, quod ab ipſo producibile eſt:) producat ergo Deus infinities multitudinem hominum actu infinitam; quæritur, utrum Deus aliquid ulteriùs poſſit circa

muniter; contra Scotum, quem multi Recentiores ſequuntur.

Prob. 1. ratione Ariſtotelis & Div. Thomæ: quod movet, debet eſſe in actu, ſecundùm id, ad quod movet; & quod movetur, debet eſſe in potentia, ſecundùm id, ad quod movetur (ſic ferrum frigidum calefacere manum, ſive ipſam ad calorem movere nequit, quia non eſt in actu caloris: è contra verò ignis calefieri, ſive ad calorem moveri non poteſt, quia non eſt in potentia ad calorem;) proindèque, ſi idem moveret ſe ipſum, & ſimul à ſe ipſo moveretur, idem ſecundùm idem eſſet in actu ſimul, & in potentia: atqui hoc planè repugnat: ergo &c. Scio fieri ab Adverſariis contra hanc rationem plures inſtantias difficiles; ſed hæ inſtantiæ commodiùs infrà proponentur & ſolventur.

Prob. 2. ſi idem realiter ſe ipſum moveret, & realiter à ſe ipſo moveretur, idem realiter penderet à ſe ipſo: atqui idem realiter à ſe ipſo pendere non poteſt: ergo &c. Ma. ex eo conſtat, quòd mobile pendet à movente, à quo movetur, (quandoquidem ab ipſo recipit motum; & omne recipiens pendet ab eo, à quo aliquid recipit) ſubindèque quando mobile realiter à movente movetur, realiter ab eo dependet; & ita ſi idem à ſe ipſo realiter moveretur, idem realiter penderet à ſe ipſo. Min. verò non eſt minùs manifeſta; nam realiter *mobile* relationem habet realiter ad *movens*, à quo realiter movetur ac pendet; ſi igitur idem realiter moveretur ac penderet à ſe ipſo, idem haberet relationem realem ad ſe ipſum; quod prorſus repugnat, quia ſecundùm Philoſophos, inter ſubjectum, quod realiter refertur, & terminum relationis realis, diſtinctio realis intercedat, neceſsè eſt.

Objicies 1. ex communi Philoſophorum doctrina, viventia movent ſe ipſa: ergo non omne

quod

quod movetur, ab alio realiter distincto movetur.

Respondeo distinguendo ant. viventia movent se ipsa inadæquatè, quatenùs una pars movet alteram, concedo; reverà namque cor cætera movet membra motu vitali: viventia movent se ipsa adæquatè, ita ut eadem pars sit movens & mota, nego ant. & distinguo similiter consequens: ergo non omne quod movetur, ab alio realiter adæquatè distincto movetur, concedo: ergo non omne quod movetur, ab alio realiter saltem inadæquatè distincto movetur, nego. Quamvis itaque necesse non sit, ut movens & mobile, semper realiter adæquatè distinguantur, videlicet tamquam duo tota: attamen necesse semper est, ut movens & mobile realiter distinguantur; vel adæquatè velut duo tota; vel saltem inadæquatè tamquam duæ partes, & hujusmodi.

Instabis: cor viventis à se ipso movetur: ergo saltem tunc mobile nullo modo realiter à movente distinguitur.

Respondeo ex D. Thoma opusc. 35. motum cordis esse à generante; essentia quippe & proprietas effectus ab eadem causa oriuntur; motus verò cordis viventis, est ipsius proprietas; (unde & cum illo convertitur, rectè namque dicitur: *Cor vivit, ergo movetur: cor movetur, ergo vivit*) hinc sicut essentia cordis est à generante, ita & ejus motus.

Urgebis: motus vitalis ab agente extrinseco non procedit, sed potiùs à principio intrinseco viventis: ergo cùm motus cordis sit vitalis, à generante extrinseco oriri non potest.

Respondeo distinguendo ant. motus vitalis ab agente extrinseco non procedit, sed potiùs à principio intrinseco viventis: si motus ille non

ſit proprietas viventis, concedo: ſi ſit proprietas viventis, ſubdiſtinguo: non procedit ab agente extrinſeco, quod non dedit *eſſe* viventi, concedo: non procedit ab agente extrinſeco, quod dedit *eſſe* viventi, nego; ex communi etenim axiomate: *Quod dat eſſe effectui, dat ipſi proprietates, quæ tale eſſe conſequuntur*: generans autem eſt agens extrinſecum, quod dedit *eſſe* viventi.

Dici etiam poteſt, motum cordis non oriri à generante immediatè, ſed mediante forma aut anima viventis, quæ eſt principium ipſi viventi intrinſecum.

Objicies 2. potentia intellectiva, & ſenſitivæ potentiæ, movent ſe ipſas: ergo non omne quod movetur, ab alio realiter diſtincto movetur. Prob. ant. non magis repugnat, ut potentia intellectiva, & ſenſitivæ potentiæ, ſe ipſas moveant, quàm ut in ſe ipſas agant; agunt autem in ſe ipſas, cùm eas recipiant actiones, quas eliciunt.

Reſpondeo negando, intellectivam potentiam, & ſenſitivas potentias movere ſe ipſas, abſque ulla diſtinctione reali mobilis à movente; ut enim docet D. Thomas 1. part. q. 82. a. 4. potentia intellectiva & ſenſitivæ potentiæ movent ſeu agunt, prout per qualitatem aut virtutem à voluntate, vel ab appetitu, acceptam, ad motum ſive ad actionem applicantur: moventur verò, ſive motus & actiones in ſe recipiunt, conſideratæ ſecundùm entitates ſuas nudè ſumptas; ideòque prout habent rationem moventis & agentis, realiter includunt aliquid, quod non involvunt, prout habent rationē mobilis ſeu paſſi; proindèque in potentia intellectiva, & in ſenſitivis potentiis moventibus & motis, movens ſeu agens, & mobile ſeu paſſum, realiter, ſaltem inadæquatè, ſive reali

diſtin-

distinctione includentis & inclusi, ab invicem distinguuntur.

Instabis: saltem voluntas, seu appetitus rationalis, movet se, nec movetur ab alio.

Respondeo distinguendo: concedo namque, voluntatem, aut appetitum rationalem, non moveri ab alio particulari movente; at nego, voluntatem, vel appetitum rationalem, non moveri ab alio, ut universali motore, nempè à Deo.

Objicies 3. essentiâ ad proprietates comparata, est movens seu agens, & simul mobile seu passum; est quidem movens, seu agens, & efficiens, quia in eas efficienter influit; est verò mobile, seu passum, aut recipiens, quoniam illas in se recipit.

Respondeo ex alibi dictis, essentiam ad proprietates comparatam, non habere propriè rationem moventis, agentis, & efficientis; sed improprié tantùm: licèt etenim proprietates efficienter ex essentia resultent (ac proinde impropriè ab ea efficiantur,) attamen à solo generante, ut à movente, agente, & efficiente propriè dicto, oriuntur; generans verò realiter ab essentia distinguitur.

Objicies 4. aqua calida cùm sponte frigescit, se ipsam frigefacit: ergo se ipsam movet; frigefacere quippe est ad frigus movere.

Respondeo, quòd quando aqua calida, amoto igne, sponte frigescit; frigefactionis motus ab aqua non procedit (nisi ad summum impropriè & per resultantiam,) sed à generante; proprietatis siquidem consecutio est à generante (cùm etenim generans dederit *esse* effectui, debet etiam dare proprietates, quæ tale *esse* consequuntur;) frigefactio autem in aqua est proprietatis, nempè frigiditatis, acquisitio. Nec ob-

ſtat, quòd generans non ſit præſens: licèt etenim formaliter in ſe ipſo præſens non ſit, virtualiter tamen præſens eſt, velut in termino primario, in eſſentia aquæ ut ad frigiditatem determinata; prout *q.* 8. *a.* 1. §. 5. explanatum eſt.

Objicies 5. corpora gravia & levia moventur à ſe ipſis (nullum ſiquidem adeſt agens, à quo moveantur:) ergo non omne quod movetur, ab alio realiter diſtincto movetur.

Reſpondeo ex Ariſtotele lib. 8. Phyſic. textu 33. & D. Thoma ibidem, negando ant. nam ex eorum mente, corpora gravia & levia, non à ſe ipſis, ſed à generante moventur. Et ratio eſt, quia motus deorſum corporum gravium, & motus ſurſum corporum levium, quibus ad ſuum tendunt centrum, ſunt ipſorum proprietates; proprietates verò *geniti*, ſecundariò à generante oriuntur, videlicet tamquam ſecundarii generationis termini. Et licèt quando corpora gravia & levia in motum exeunt, generans non adſit formaliter in ſe ipſo, adeſt tamen virtualiter in eſſentia illorum corporum, ut ad præfatos motus determinata.

Dices: mobile eò tardiùs movetur, quò magis à movente recedit; è contrà verò corpus grave nonnumquam eò velociùs movetur, quò magis à generante abſcedit; ut patet in pluvia in ſuperiori parte aeris genita, quæ eò celeriùs movetur & deſcendit, quò propiùs ad terram accedit.

Reſpondeo diſtinguendo; nam quando mobile violenter movetur, verum eſt, ipſum eò tardiùs moveri, quò magis à movente recedit (ut conſtat in baculo violenter ſurſum projecto;) quia virtus motrix violenta paulatim debilitatur at quando mobile connaturaliter, & ad centrum movetur, ſæpè eò celeriùs movetur, quò magis à movente diſcedit; quia tunc motrix virtus

tus in mobili non debilitatur, ſed potiùs augetur ac perficitur per acceſſum ad centrum. Quando verò pluvia in ſuperiori parte aeris genita ad terram deſcendit, ad centrum accedit; unde mirum non eſt, ſi celeriùs moveatur. Et idem dicendum eſt de quolibet alio corpore gravi, à generante ſuo recedente, & ad centrum accedente.

Dices iterum; ſi motus deorſum corporis gravis eſſet à generante, maximè, quia remoto impedimento, corpus grave ſtatim deorſum movetur: hæc autem ratio nulla eſt; nam etiam ignis, remoto impedimento, ſtatim calefacit lignum, & tamen hæc calefactio non eſt à generante.

Reſpondeo negando paritatem: etenim motus deorſum in corpore gravi eſt acquiſitio centri, quæ eſt ejus proprietas, quam, amoto impedimento, neceſſariò exigit; proprietates verò ſunt à generante: at in igne, calefactio ligni non eſt acquiſitio centri, nec ipſius ignis proprietas; ſed eſt caloris in ſubjecto externo productio; & ideò ligni calefactio non debet in igne eſſe à generante, ſed potiùs ab ipſo igne, per ſpecialem potentiam (calefactivam ſcilicet) operante.

Objicies 6. naturalis calor ventriculi in hyeme, propter circumſtans frigus conſtringens poros cutis, & impediens, ne calor interior viventis ad externas corporis partes dilatetur, detinenſque ſpiritus vitales, qui calidiſſimi ſunt, ne foras erumpant, eſt intenſior; proindeque ſe ipſum intendit, & conſequenter movet ſe, agitque in ſe ipſum. Simile argumentum fieri poteſt de puteorum aqua, cujus frigus eſt intenſius in æſtate, propter aerem calidum circumſtantem, impedientem frigus, ne exeat, detinentemque aquam, ne frigidos à ſe ſpiret vapores.

Reſpondeo, intenſionem caloris naturalis ventriculi in hyeme, eſſe per accidens ab aere circumſtante (modo in objectione explicato ,) & per ſe à generante ; agens ſiquidem quod producit formam , per ſe debet eam intendere ; eſt autem generans , quod naturalem ventriculi calorem produxit.

Simili modo reſpondendum eſt ad exemplum aquæ puteorum , cujus frigus eſt in æſtate intenſus ; hæc enim intenſio eſt per accidens ab acre calido circumſtante , & per ſe à generante , quod virtualiter præſens permanet in aqua , ut ad hanc intenſionem , ſuppoſito aere calido circumſtante , neceſſariò determinata.

Objicies 7. piper in ore , vinum in ſtomacho & calx in aqua , prout ſunt virtualiter calida , ſe ipſa calefaciunt ; proindèque & ſe movent : ergo non omne quod movetur , ab alio realiter diſtincto movetur.

Reſpondeo negando , piper in ore , vinum in ſtomacho , & calcem in aqua , ſe ipſa calefacere ; ea ratione , ut in eis *movens* & *mobile* , nullo modo realiter diſtinguantur. Calefaciunt quippe ſeu movent motu calefactionis , prout realiter ab alio excitantur & applicantur (piper ſiquidem in ore , & calx in aqua , per humiditatem ac frigiditatem ſalivæ & aquæ excitantur & irritantur ; vinum verò in ſtomaco à calore naturali realiter excitatur & applicatur :) calefiunt verò ſeu moventur calefactionis motu , ſecundùm entitates ſuas , in quibus recipiunt motum calefactionis ; unde prout ſunt *moventia* , aliquid realiter includunt , quod ut *mobilia* non involvunt ; piper enim & calx , prout calefaciunt , & movent , realiter includunt frigiditatem atque humiditatem excitantes & irritantes ; prout

autem

autem calefiunt, & moventur calefactionis motu, tamquam subjecta mobilia motum calefactionis recipientia, nudas exprimunt entitates. Similiter vinum in stomacho, prout est *calefaciens* & *movens*, realiter includit calorem naturalem excitantem & applicantem; prout verò est *mobile*, quod reipsa movetur calefactionis motu, à se producto, suam dumtaxat exprimit entitatem; est quippe entitas vini, quæ calefit calore ab ipso vino producto, non verò naturalis calor stomachi: piper ergo, vinum, & calx, prout sunt *moventia*, distinguuntur realiter inadæquatè, seu distinctione includentis ab incluso, à se ipsis, prout sunt *mobilia*, sive subjecta motum calefactionis recipientia.

Hinc convellitur præcipuum Adversariorum fundamentum. Putant enim, idem realiter posse movere se ipsum, & à se ipso posse moveri, quando est in actu virtuali, & in potentia formali ad calorem: hoc, inquam, convellitur fundamentum ex eo, quòd id, quod est in actu virtuali caloris, numquam movet, nisi ab alio realiter distincto excitetur & applicetur (ut ex dictis de pipere, vino, & calce liquet;) & ita nisi ut *movens*, realiter inadæquatè à se ipso, ut *mobili*, distinguatur; ut explicatum & probatum est.

Articulus Secundus.

Utrum movens & mobile debeant esse simul?

Sensus tituli est, utrum movens, seu agens, debeat jungi immediatè mobili seu passo, ut ipsum moveat, & in ipsum agat; utrum verò possit dari actio in distans?

Circa quod notandum est, posse agens dupli-

citer eſſe præſens paſſo, nempè præſentia ſuppoſiti, vel præſentia virtutis. Tunc agens præſentia ſuppoſiti præſens eſt paſſo, quando agens, & paſſum, ſecundùm ſubſtantias ſuas immediatè junguntur: hoc modo ignis præſens eſt foco. Tunc verò agens eſt præſens paſſo ſola virtutis præſentia, quando agens ſecundùm ſubſtantiam ſuam abſens quidem eſt, diffundit tamen virtutem ſuam per medium uſque ad paſſum; hoc modo ignis præſens eſt ligno, quod ad quamdam diſtantiam calefacit. Hoc prænotato.

Circa propoſitam quæſtionem duplex eſt Philoſophorum celebris ſententia. Prima docet, agens non poſſe agere, & effectum producere, niſi ſit præſens paſſo ſeu ſubjecto, in quo agit, ſaltem præſentia virtutis: hanc ſententiam tuetur omnium Thomiſtarum ſchola. Secunda ſententia eſt Scotiſtarum, & Nominalium communiter, & nonnullorum recentiorum aſſerentium poſſe etiam naturaliter dari actionem in diſtans. Pro prima ſententia.

Dico: non poteſt, ſaltem naturaliter, dari actio in diſtans; ſed neceſſe eſt, ut agens ſit præſens paſſo, ſeu ſubjecto, in quo agit, præſentia, vel ſuppoſiti, vel virtutis.

Prob. 1. ex Ariſtotele 7. Phyſic. cap. 2. textu 9. ubi ſic loquitur. *Primum autem movens, non ut id, cujus gratia, ſed unde eſt motionis principium, cum eo, quod movetur, ſimul eſt; dico autem ſimul, quòd nihil inter ea intercedat; hoc enim rei omnis, quæ movetur, & ejus quæ movet, commune eſt.* Quibus verbis apertiſſimè docet, movens & mobile debere eſſe ſimul, adeò ut inter ea nihil intercedat; aſſeritque id eſſe commune ac generale in omni movente & mobili. Quæ Ariſtotelis verba exponit & approbat D. Thomas *ibidem*.

Prob. 2. experientia & inductione. In primis namque primum movens, primumque agens,

agens, (Deus scilicet) est præsens iis omnibus in locis, in quibus operatur. Hinc Paulus Act. 17. in medio Areopagi cum Philosophis disputans, Dei toto in orbe præsentiam ex ejus actione & activa motione colligebat, his verbis: *Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Quasi clariùs dixisset Apostolus : est veritas apud vos & omnes Philosophos, ad instar axiomatis usurpata, omne movens debere esse præsens mobili; cum ergo nos omnes à Deo moveamur, Deus nobis omnibus præsens est.

Deinde (teste Philosopho) intelligentia (seu Angelus) motrix cœli, est præsens in Orientali parte, in qua incipit motus. Ignis quoque lignum non calefacit, nisi fiat ipsi præsens secundùm calorem ab ipso igne diffusum (qui est ipsa virtus ignis.) Debet igitur omne movens, omneque agens, ibi esse præsens, ubi movet ac operatur.

Prob. 3. ratione fundamentali : cùm in communi Philosophorum sententia, existentia moventis & agentis sit ad motum & ad operationem planè necessaria conditio, debet omne movens, omneque agens, (seu operans) ibi existere (proindeque & esse præsens) ubi movet & operatur; unde quemadmodùm agens nequit agere eo in tempore, in quo neque secundùm substantiam suam, neque secundùm virtutem, existens & præsens est; ita simili modo agere nequit eo in loco, in quo neque secundùm substantiam, neque secundùm virtutem suam, existens ac præsens est. Hinc ortum est commune axioma: *Operari sequitur esse*: ac subinde operatio aut actio agentis supponit ejus *esse*, seu ipsius existentiam ac præsentiam in loco, in quo ab ipso agente exercetur. Sanè, concipi non potest, quonam modo agens alicubi operetur, ubi nullo

modo præſens eſt, id eſt, neque ſecundùm ſubſtantiam, neque ſecundùm virtutem à ſe diffuſam; nec magis præſens eſt, quàm ſi nunquam in rerum natura fuiſſet.

Prob. 4. agens (v. g. ignis) nequit agere ad quamcumque diſtantiam (ut quotidiana docet experientia); ſed determinatam habet ſuæ activitatis ſphæram, ultra quam agere non poteſt: atqui hoc erit falſum, ſi per medium non debeat agens diffundere virtutem uſque ad ſubjectum diſtans: ergo &c. Prob. mi. ideò enim, v. g. ignis nequit comburere lignum ad quamcumque diſtantiam, quia debet per medium diffundere calorem uſque ad lignum diſtans; unde cùm calor in medio receptus, ſit in eo peregrinus, & plerumque in illo inveniat frigus ſibi contrarium, paulatim debilitatur, & tandem poſt determinatam diſtantiam totaliter deſinit: ſi ergo agens (v.g. ignis) non debeat per medium diffundere virtutem (v. g. calorem) uſque ad ſubjectum (v. g. uſque ad lignum) diſtans, nulla erit ratio, quare non poſſit agere ad quamcumque diſtantiam, & cur habeat determinatam ſuæ activitatis ſphæram, ultra quam agere non poſſit.

Objiciunt 1. Adverſarii plures experientias, in quibus putant dari actionem in diſtans. In primis magnes attrahit ferrum à ſe diſſitum, & electrum paleas diſtantes, non attracto tamen aere intermedio, nec attractis aliis rebus intermediis. Prætereà piſciculus, *Torpedo* nomine, diſtantem manum ejus, qui ipſum arundine vel reti attigerit, ſtupefacit, adeò ut retia laxare cogatur; ut teſtantur Plinius lib. 32. cap. 1. & Ariſtoteles lib. 9. de hiſtor. Animal. cap. 37.

Inſuper *Echeneis* piſcis prætereuntem navem remoratur (à quo & nomen *Remoræ* accepit,) cùm tamen prætereuntem aquam minimè detineat. Baſiliſcus ſuo ſibilo cætera fugat animalia, ſoloque viſu enecat, teſte B. Alberto Magno

gno lib. 25. de Animal. *Catobiepas*, seu *Catophepa*, homines similiter interimit solo intuitu, etiam ad mille passus; inquit Plinius li. 8. c. 21.

Lupi videndo, raucedinem inducunt in hominem distantem. Oculi fascinantes lædunt pueros distantes, non verò propinquiores viros. Sol producit aurum in fodinis, in quibus tamen præsens non est. Nervus unius lyræ, dum percutitur, movet nervum alterius liræ etiam distantis ad plures passus, modò sit ad parem numerum contentus. Gravi tussi laborans provocat alios longè distantes ad tussiendum, & oscitans ad oscitandum.

Ignis inflammat sulphur distans, vel stupam distantem, non inflammato aere proximo. Acus nautica fricta magnetis ita disponitur, ut à stella polari, non obstante quorumcumque corporum interpositione, ad ipsam moveatur, & in certo situ detineatur. Denique pulvis sympathicus (ex vitriolo contuso vel simplici, aut ad vehementissimos *caniculæ* æstus calcinato, conflatus) agit in distans; cùm experientia constet, hominis absentis curari vulnera, si pannus ejus sanguine tinctus ali pulvere aspergatur, modò talis pannus servetur in loco temperato; si enim sit in loco calidiori, vulnus inflammatur.

Respondeo ad 1. experientiam, distinguendo: concedo etenim, magnetem, & electrum, agere in distans distantia suppositi; at nego, ipsa agere in distans distantia suppositi, & virtutis; nam quamvis magnes & electrum secundùm sua supposita non sint ferro & paleis præsentia, benè tamen secundùm virtutem attractivam, secretò ad ferrum & paleas transmissam. Nec mirum est, quòd aerem intermedium, aut alias res intermedias, non attrahant; quia hæ res eam non habent cum magnete vel electro sympa-

BIBLIOTECA C. F. MONTEFUSCO (Av)

thiam ſive convenientiam, quam habet ferrum aut palea.

Ad 2. experientiam, dico ſimiliter, torpedinem diſtare quidem à manu, quam ſtupefacit, diſtantia ſuppoſiti, non tamen diſtantia virtutis; torpedo ſiquidem ſtupefacit manum piſcatoris per venenum diffuſum ab hamo per arundinem vel rete ad manum; & ita agit per veneni virtutem diffuſam, & manui ſtupefactæ præſentem. Nec etiam mirum eſt, quòd torpedo ſuo veneno arundinem vel rete non ſtupefaciat, ſed ſolam manum piſcatoris; quia cùm arundo & rete non vivant, non ſunt illorum omnium effectuum capacia, quorum manus vivens capax eſt.

Ad 3. experientiam, reſpondeo, Echeneidem piſcem remorari prætereuntem navem ſecreta virtute totam per navem diffuſa. Nec mirum videatur, ſi piſciculus ingentem navem remoretur: ſi enim ars inſtituere potuit gubernaculum, quod parvum eſt inſtrumentum, quo gubernator navem quantumvis grandem ad voluntatem ſuam vertere poteſt; cur non potuit natura, quæ arte potentior eſt, ſufficientem tribuere piſciculo virtutem ad navem, quantumcumque magnam, remorandam? Echeneis tamen piſcis non detinet aquam præteruntem; quia conatum ſuum ei imprimere nequit, ob nimiam ejus raritatem.

Ad 4. experientiam, reſpondeo, Baſiliſcum ſuo ſibilo cætera fugare animalia, quoniam tranſmittit ad alia animalia, ſuo ſibilo, ſpecies ſenſibiles ſive intentionales, quibus ipſum ut inimicum apprehendunt. Enecat autem ſuo intuitu homines, aliaque animalia, quatenùs intuitu ſuo mortiferum venenum diffundit per medium. Et idem reſpondendum eſt ad exemplum Catoblepæ.

Lupi

Lupi etiam videndo, & fascinantes suo visu, malignam per aerem diffundunt qualitatem, qua lupi raucedinem inducunt, & fascinantes teneros lædunt pueros, non autem duriores viros propinquiores: unde hujusmodi agentia agunt quidem in distans distantia fúppositi, non tamen in distans distantia virtutis; quin potiùs per virturem diffusam, ibi fiunt præsentia, ubi agunt.

Sol pariter producit aurum in fodinis, in quibus non est præsens præsentia suppositi, benè tamen præsentia virtutis: quæ cùm efficacissima sit, etiam efficacissimas habet influentias, profundissimasque terræ regiones penetrat.

De nervis verò lyræ; dico, sonum nihil aliud esse, præter tremorem per aerem diffusum: qui si sit fortis, etiam solidiora concutit corpora. Hinc ad sonum vel strepitum tonitrui, tormentorum bellicorum, & grandium tympanorum, terra sub pedibus nostris, etiam ad sensum, contremiscit. Si verò sonorosus tremor sit mollior, ea tantùm percutit corpora, quæ sunt tali tremore facilè mobilia; unde cùm unus lyræ nervus sit facilè mobilis eo sono & tremore, quo alter ad parem numerum contentus movetur; sonus & tremor unius lyræ per aerem diffusus, nervum alterius lyræ paululùm distantis, & ad eumdem numerum contentæ, commovet percutitque: ideòque quamvis nervus unius lyræ movens nervum alterius lyræ distantis, non sit ipsi præsens præsentia suppositi, est tamen illi præsens præsentia diffusæ virtutis.

Dum verò gravi tussi laborans, aut oscitans, alios distantes provocat ad tussiendum, vel ad oscitandum; dico, id fieri per species intentionales, quas tussis aut oscitatio emittit; unde, nisi audiamus eum, qui tussit; & videamus eum, qui oscitat; ad tussiendum, vel ad oscitandum, minimè provoca-

vocamur,) & ita per virtutem emiſſam vel diffuſam.

Quando autem ignis inflammat ſulphur diſtans, vel ſtupam diſtantem; dico, ignem eſſe ſulphuri vel ſtupæ præſentem præſentia virtutis diffuſæ, nempè præſentia caloris per aerem ad ſulphur vel ſtupam diffuſi. Idcircò verò ignis tunc inflammat ſulphur diſtans, aut ſtupam diſtantem, non inflammato aere proximo; quia aer, propter humiditatem, magis igni reſiſtit, quàm ſulphur & ſtupa, quæ ſunt valdè ſicca & ad inflammationem aptiſſima.

Ad exemplum acus nauticæ, reſpondeo, ſtellam polarem non agere in diſtans, dum acum nauticam ad ſe commovet, allicit, & trahit; nam ſtella polaris per aerem intermedium uſque ad acum nauticam diffundit quandam ſubtilem & ſecretam virtutem attractivam, qua agit. Quòd ſi inter ſtellam polarem & acum nauticam ſolida corpora interponantur, vel acus illa ponatur in loco admodùm occluſo; ipſa polaris ſtella non movebit acum ita promptè, ſed poſt ſufficientem moram, poſt quam nempè virtus illa ſubtiliſſima ſeſe per poros corporum illorum inſinuaverit.

Denique ad exemplum pulveris ſympatici, reſpondeo 1. non conſtare ſatis de experientiis ad magnam diſtantiam factis; quidquid dicant hujuſmodi pulveris defenſores.

Reſponderi poteſt 2. curationem vulnerum hominis abſentis & longè diſtantis, fieri ope Dæmonis, qui in præparatione ſympatici pulveris explicitè vel implicitè invocatus, curat vulnera hominis illius, applicatione activorum ad paſſiva, id eſt, applicando vulneribus illis virtutes aut qualitates activas naturales illorum curativas.

Reſponderi poteſt 3. pulverem ſympaticum

cum applicatum panno sanguine hominis absentis tincto, emittere exhalationem balsamicam continentem spiritus sanguinis effusi, qui in illa exhalatione balsamica circumquaque volitantes; & proprium ac vetus hospitium (nempè vulnus hominis absentis, ex quo primò emanarunt) inquirentes, ubi ipsi occurrerint, statim se insinuant; & cùm insint balsamicæ & medicatæ exhalationi vitrioli, maximè conferunt ad curam vulnerum. Unde data pulveris sympatici experientia, datur quidem actio in distans distantia suppositi, non tamen in distans distantia virtutis; quoniam pulvis sympathicus, media exhalatione balsamica, transmittit curatricem virtutem ad vulnus hominis absentis.

Obj. 2. aliquando agens, fortiùs agit in subjectum distans, quàm in medium & propinquum: ergo saltem tunc datur actio in distans. Conseq. constare videtur. Prob. ant. multis exemplis & experientiis. In primis sol plus caloris imprimit parieti distantiori, quàm aeri intermedio & propinquiori. Deinde, genus aliquod bituminis, quod *Naphtha* nuncupatur, accendi solet ab igne ad tantam distantiam, non accenso tamen aere intermedio & propinquo; sicque ignis fortiùs agit in *Naphtham* distantem, quàm in aerem propinquum.

Præterea, speculum ardens efficit ignem in panno distante atque opposito, & non in aere intermedio ac proximo; quod non fieret, nisi speculum ardens fortiùs ageret in pannum distantem.

Nec minùs id evidenter cernitur in lebete, cujus fundus tepescit, aqua in eo æstuante & bulliente; ut experientia notum est, & docet Aristoteles sect. 24. Problematum qu. 5. & 8. hoc verò non contingeret, nisi aqua distans fortiùs

tiùs caleſieret ab igne, quàm fundus ipſi igni proximus.

Simile argumentum fieri poteſt de oleo chartæ papyraceæ appoſito, quod ita ab igne ſubjecto incaleſcit, ut charta integra remanente, cibi duriuſculi in illo coquantur. Hoc enim argumento eſt, ignem fortiùs agere in oleum diſtans, & in cibos diſtantes, quàm in chartam propinquam.

Reſpondeo conceſſo ant. neg. conſeq. quamvis etenim agens nonnunquam fortiùs agat in ſubjectum diſtans, quàm in medium & propinquum; ſemper tamen agens diffundit virtutem per medium uſque ad ſubjectum diſtans, ideòque fit illi præſens præſentia virtutis.

Nec obſtat, quòd virtus agentis in medio ſit minùs fortis minùſque intenſa, & in ſubjecto diſtanti ſit fortior atque intenſior; ideò etenim ita fit, quia ſubjectum diſtans eſt ad intenſionem hujuſmodi virtutis magis diſpoſitum, quàm medium. Hinc ſol plus caloris imprimit parieti diſtantiori, quàm aeri intermedio & propinquiori; quia in pariete ſolido magis uniuntur radii lucis ſolis, quàm in aere raro; ſoliditas quippe parietis eſt major ad unionem radiorum lucis ſolis, & ad intenſiorem calorem ex ejuſmodi radiis unitis concipiendum, diſpoſitio, quàm ſit raritas aeris. Ob eandem rationem, ſpeculum ardens efficit ignem in panno diſtante ac oppoſito, & non in aere intermedio ac proximo; quia nimirum in panno, propter ſoliditatem, major eſt diſpoſitio ad uniendos lucis ſpeculi ardentis radios, ignemque per ipſos genitum recipiendum, quàm in aere, ob ipſius raritatem.

Simili modo *Naptha* accendi ſolet ab igne ad certam diſtantiam, non accenſo aere intermedio & propinquo; quoniam in *Naptha*, ob ejus ſiccitatem, eſt major ad intenſiorem calorem, & ignem concipiendum, diſpoſitio, quàm in aere, propter ipſius humiditatem. Nec eſt abſur-

ſurdum, ut calor minùs intenſus, in aere ab igne productus, efficiat, ut inſtrumentalis cauſa ignis, calorem intenſiorem in *Naphtha* (propter majorem ejus diſpoſitionem;) quia ea eſt cauſæ inſtrumentalis natura, ut producat effectum ſe præſtantiorem.

Ad exemplum lebetis, reſpondeo, fundum lebetis eſſe initio calefactionis calidiorem; ut locis citatis ait Ariſtoteles; quoniam aqua adhuc frigida exiſtente, concluditur calor in fundo lebetis, nec aſcendere permittuntur vapores calidi ab igne in fundo excitati. At procedente calefactione, calefactiſque profundioribus aquæ partibus, ipſiſque aſcendentibus (eo quòd vi caloris tenuiores atque leviores effectæ ſunt;) partes aquæ ſuperiores & frigidiores, ac proinde graviores, deſcendunt ad fundum lebetis, ejuſque calorem immediatè ab igne acceptum ſua frigiditate temperant; licèt tandiu poſſet ignis in lebetem, & in aquam in illo exiſtentem, agere, ut jam omnes aquæ partes fierent calidæ, funduſque lebetis intensè calidus efficeretur. Ex qua doctrina inferri poteſt, ignem non agere in fundum lebetis, vel in aquam in ipſo exiſtentem, calefaciendo; niſi fiat præſens præſentia ſuppoſiti, vel diffuſæ virtutis, nempè diffuſi caloris.

Ad exemplum de oleo chartæ papyraceæ appoſito, reſpondeo ſimiliter, chartam papyraceam eſſe initio calefactionis calidiorem; at procedente calefactione, calefactiſque profundioribus olei partibus, illiſque aſcendentibus (quibus coqui poſſunt cibi) partes olei ſuperiores & frigidiores deſcendunt ad fundum chartæ, ejuſque calorem ab igne immediato receptum ſua frigiditate & humiditate temperant, adeò ut charta integra & incombuſta aliquantulùm permaneat; quamvis tandem, ſi ignis diutiùs agat, charta ipſa comburatur.

Objic. 3.

Obj. 3. agens, fortiùs agit in paſſum ſibi directè oppoſitum, licèt magis diſtans, quàm in paſſum ſibi ad latus oppoſitum, quamvis minùs diſtans: ergo dari poteſt actio in diſtans. Conſeq. videtur clara. Prob. ant. nam in primis ſol objecta ſibi directè oppoſita magis illuminat, quàm ea, quæ ad latus ſunt poſita, tametſi iſta minùs diſtent. Similiter manus directè oppoſita igni per foramen furni, majorem ſentit calorem, quàm ſi ad latus ponatur; quamvis ad latus poſita, minùs diſtet à furno.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. quòd enim agens fortiùs agat in paſſum ſibi directe oppoſitum, licèt magis diſtans, quàm in paſſum ſibi ad latus oppoſitum, quamvis minùs diſtans, ex eo non oritur, quòd petat, vel poſſit, agere in diſtans (agit quippe in utrumque per virtutem diffuſam), ſed ex eo, quòd agit in paſſum ſibi directè oppoſitum, per virtutem directam & integram; agit verò in paſſum ſibi ad latus oppoſitum, per virtutem reflexam, refractam, & diminutam.

Et hinc eſt, quòd ſol perſtringat oculos ſibi directè oppoſitos, non verò indirectè tantùm objectos: tum maximè quia ſol ſuam diffundit lucem per lineam rectam, ſeu per radios recta procedentes, qui proinde non poſſunt directè oculos ſubintrare, ipſoſque perſtringere, niſi ipſi directè vertantur ad ſolem.

Obj. 4. quando Petrus projicit lapidem ſurſum, ſtatim ac egreſſus eſt lapis è manibus Petri, ipſe Petrus non eſt ampliùs præſens lapidi; & tamen agit in eum, impellendo ipſum ſurſum: ergo tunc datur actio in diſtans.

Reſpondeo diſtinguendo; concedo namque, quòd quando Petrus projicit lapidem ſurſum, ſtatim ac egreſſus eſt lapis è manibus Petri, ipſe

Pe-

Petrus non est quidem ampliùs præsens lapidi, præsentia suppositi, benè tamen præsentia virtutis impulsivæ lapidi impressæ.

Obj. 5. imaginatio, quæ est in cerebro, cor alterat, variisque movet affectibus, & imaginibus suis consignat existentem in utero materno fœtum: ergo agit in distans.

Respondeo concesso ant. negando conseq. imaginatio quippe, sive dum varios affectus excitat in corde, ipsum constringendo, dilatando, aliove modo movendo; sive dum notis quibusdam & imaginibus consignat existentem in utero materno fœtum, semper aliquid agit per totum medium: magna siquidem est inter imaginationem in cerebro existentem, cor, & receptaculum fœtus in mulieribus, communicatio, quæ fit mediantibus nervis à cerebro ad prædictas partes procedentibus, ac deferentibus animales spiritus, vi quorum ii omnes effectus fiunt, qui imaginationi tribuuntur.

Obj. 6. saltem intellectus agit in distans, dum objecta intelligit absentia.

Respondeo negando, intellectum propriè agere in distans, dum objecta intelligit absentia. Nam ut agens propriè agat in distans, duo (apud Philosophos) exiguntur; nempè, ut agens agat actione transeunti; & præterea, ut ista actione effectum producat in subjecto distanti, nihilque in medio efficiat. Intellectus verò objecta absentia speculativè intelligendo, actione transeunti non agit, sed solùm actione immanenti, qua objecta illa percipit, denominatque solùm extrinsecè cognita. Si tamen intellectus effectum aliquem ad extra produceret (ut est intellectus Angeli Cœlum moventis), tunc intellectus deberet saltem præsentia virtutis fieri præsens subjecto, in quo effectum produceret.

Ob. 7. si agens nunquam ageret in distans, sed quodlibet agens diffunderet virtutem per medium,

dium, uſque ad ſubjectum, in quo effectus eſt producendus; quodlibet agens haberet immenſam ſuæ activitatis ſphæram, poſſetque ad quamcumque diſtantiam, aliquem effectum producere: atqui hoc apertè falſum eſt: ergo &c. Prob. maj. virtus ab agente diffuſa ad unam diſtantiam, poſſet alteram diffundere virtutem ad aliam diſtantiam, & ita in infinitum & in immenſum procedendo.

Reſpondeo negando maj. virtus quippe ab agente per medium diffuſa, cùm ſit in ipſo medio peregrina, & plerumque in illo ſibi contrarium inveniat, paulatim debilitatur, ac tamdem adeò debilis evadit, ut nihil ulteriùs diffundere vel producere poſſit.

Quæres, utrum de potentia Dei abſoluta poſſit agens agere in diſtans?

Reſpondeo, probabile eſſe, agens creatum poſſe de potentia Dei abſoluta agere in diſtans; quia indiſtantia & approximatio agentis ad paſſum, videtur dumtaxat conditio ad agendum naturaliter requiſita. Si tamen contingeret, ut agens creatum ibi operari diceretur, ubi neque ſecundùm ſuppoſitum, neque ſecundùm virtutem, foret preſens; tunc operatio, & effectus productio, agenti creato propriè tribui non deberet, ſed ſoli Deo illius vices ſupplenti. Unde tunc agens creatum phyſicè effectum non produceret, ſed moraliter tantùm; quatenùs Deus effectum non præſtaret, niſi veluti ſolo nomine agentis creati, cujus præſentiam, vices, & influxum immediatum ſuppleret.

Finis Tomi Tertii.

3613
BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

TECA O. F. M.
(PV)

Kodak Gray Scale
C
Y
M
© Kodak, 2007 TM: Kodak
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19


1 2 3 4 5 6 7
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Kodak Color Control Patches
© Kodak, 2007 TM: Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black